





1
7
384

















HISTORIÆ LITVANÆ PARS ALTERA


SEV DE REBVS LITVANORVM

[illegible] Magni Ducatus cum Regno [illegible] in VNIONEM eorum [illegible]

[illegible]

ANTVERPIÆ
[illegible] IACOBVM MEVRSIVM
ANNO [illegible]

Istor. Lituan



HISTORIÆ LITVANÆ PARS ALTERA,

SEV DE REBVS LITVANORVM,

A coniunctione Magni Ducatûs cum Regno Poloniæ ad VNIONEM eorum Dominiorum.

LIBRI OCTO

AVCTORE
ALBERTO WIIVK KOIALOWICZ
SOCIETATIS IESV S. THEOLOGIÆ DOCTORE.





ANTVERPIÆ
Apud IACOBVM MEVRSIVM
ANNO M. DC, LXIX.

ILLVSTRISSIMO DOMINO

DOMINO

CASIMIRO IOANNI

SAPIEHA

COMITI IN BYCHOW

Magni Ducatûs Lituaniæ, Curiæ Thesaurario, Brestensi, Volpensi Capitaneo &c.

DOMINO ET PATRONO

COLENDISSIMO.

POsteaquam priorem Historiæ Lituanæ partem CASIMIRO LEONI SAPIEHA M. D. L. Procancellario, Heroi æternâ memoriâ

moriâ dignissimo, Patruo Tuo, dicaui: huic alteri in publicum prodeunti, non potui quærere Patronum, alium à Te Illustrissime Domine; vtpotè sanguinis propinquitate, Nepote; affectûs & lustralis Fontis iure, Filio; non tantum Nominis, sed etiam propensionis erga bonas artes, Hærede. Quæ me ad Sapiehanæ domûs venerationem momenta ante inclinârunt: eadem nunc, ne ab eâ declinem, impellunt. Quemadmodum enim sub initia exardescentis per Russiam seruilis rebellionis, Res Lituana, præsidijs Patrui Tui, vnicè seruata est: ita hisce annis, Illustrissimo Parenti

renti tuo PAVLO IOANNI SAPIEHA, Palatino Vilnenſi, Supremo Lituaniæ exercituum Duci, potiſsimùm debet; quòd cùm coortis ab omni parte hoſtibus validè in ruinam nutaret; non omninò corruerit. Palmaris hæc eius gloria, non à palpantis calami vbertate, ſed è vero nata, pridem vniuerſam Europam occupauit. Tuam hîc, Illuſtriſsime Domine, diuturnam extra Patriæ limites peregrinationem, teſtem appello. Multas vrbes, ac prouincias acceſsiſti: nullam tamen reperiſti, ad quam Te Parentis Tui admiratio, non præceſſerit: vidiſti, audiſtique plurima; ſed pauca om-

ninò, quæ non fuerint infra Parentis Tui Famam, concordi populorum plausu, non ex vano, neque supra meritum, celebratam. Quantò latiùs per orbem, ante decennium [a], de Republica nostra conclamatum fuerat: tantò grandior, certiorque laus seruatæ Patriæ, Parenti Tuo constat. Deploratissimus siquidem eâ tempestate, Lituaniæ status erat. Latera ab omni simul parte, finitimorum armis quassabantur: viscera dissidijs, factionibusque ciuium, fatiscebant: Rege temporum se iniuriæ extra Patriam tantisper subtrahere coacto; nemo ad gubernaculum erat. E duobus militiæ Litua-

[a] a Anno 1655.

næ

IV

næ Ducibus, Supremus, re, quam perditam putabat, deſertâ, ſub noua imperia conceſſerat: campeſtris, ſub poteſtatem collegæ redactus, nihil ſuo iure agere poterat. Supererant quidem exiguæ, militis ſaniora conſilia ſecuti, reliquiæ, quiduis pro aris & focis, auſuræ: Sed neque neruum, neque caput, bello gerendo, habebant. In tanta publicæ rei calamitate, Parens Tuus omnium votis, ſtudijs exercitûs, nobilitatis ſuffragijs, auctoritate Regia, Palatinus Vilnenſis, & ſupremus Lituanæ Militiæ Imperator dictus, ſe in Ducem belli, Fortunas omnes in neruum, pro Rege &

Patria

Patria deuouit. Quamobrem ſicut longè laudabilius æſtimatur, inueniſſe; quàm inuentis addidiſſe: ita quamquam nemo negauerit, non defuiſſe viros Regi fidos, Patriæq́ue amantes, qui erigendæ Reipublicæ humeros ſuos admouerint; hanc tamen ſupremam Gloriam, quòd iuuandæ illius curam, infinitis implicitam periculis, profuſis ægrè explicandam ſumptibus, *Primus* Sapiehano animo ſit aggreſſus; *Solus* ſibi optimo iure vendicat. Peruetuſtam, nulliſq́ue caſibus ruptam, in Maiorum ſuorum Domo, Fidei in Patriam & Principem conſtantiam, non eſt paſſus, aut hoſtilibus artibus,

bus, aut ciuium exemplis, labefactari. Graſſanti impunè Moſcho, *Primus* aperto campo ſe ad Breſtiam [b] obiecit, atque exigua manu Oruſouum, cum octodecim millibus illi Prouinciæ impendentem, profligauit. Vtinam verò miles, quàm fidus Patriæ ſemper fuit, tam deinceps, à victoriâ moderatiore animo, Duciſque imperijs obſequentiore, ad Wierzchovvicze [c] fuiſſet! iam tunc, Parentis Tui ductu, exactus Lituaniâ totâ hoſtis, pacata omnia reliquiſſet. Ad nuncium Regij in Ruſiam reditûs, Primus in occurſum Lituana ſigna duxit, atque Suecum Lubli-

b 23. Nouemb.

c 27. Nouemb.

no depulit. Primus Varſauiam, nuper Poloniæ Regum ſedem, tunc hoſtilium optimatum domicilium, armatis[d] cinxit: quo facto & Sueticis capitibus Vitembergio, Oxeyſternio, cæteriſque conſiliorum adminiſtris, euadendi ſpem præcidit; & ciuitatis arciſque obſidionem, ſuperuenientibus Regijs copijs, expeditiorem reddidit. Oppugnatio ſubſecuta, ſemper eius conſilia, impenſas, operam, in parato habuit. Ea ipſa militaris famulitij audacia, quâ arrogans, pertinaxque hoſtis, fractus eſt, atque ad deditionem compulſus, magnâ parte, vires animumque, à Paren-

tis

d *Anno 1656.*

tis Tui exemplis, ac largitione, ſumpſit. In pugnâ ad Varſauiam, [e] in qua Suecus cum Brandeburgico, aliquot cohortium impetu, loco motus, fronte aciei & tormentariâ re, deſertis, fugam non obſcurè reſpectabat; non ampliùs animum & prælium reſumpſiſſet: ſi per tibiæ ante paucos dies confractæ dolores, Parenti Tuo campo inuehi, auxilia ordinare, gladio, pro more ſuo, victoriam vrgere, licuiſſet. Quàm integer illi in ægro corpore animus conſtiterit; argumento poſteris erit: quòd breui perfecerit; ne hoſti ex depulſis campo Regijs copijs voluptas diuturna eſſet. Mi-

e 31. Iulij.

râ enim celeritate, ingentique ſumptu, attrita reparauit ſigna: atque, cùm ipſe ægritudine excluderetur à campo, Collegæ ductu, ſuis auſpicijs, hoſtem ad oppidum Proſtki,
f 4. Octob. inſigni clade fudit [f], caſtris ac impedimentis exuit. Poſt Philipouien-
g 21. Octob. ſem cladem [g] rursùs exercitum reparauit: atque reſumptis aliquantùm viribus, ipſe, Tykocinum duxit. Obtinebatur locus ille, firmo Suecorum præſidio, quod terna propugnacula, vallo, operibuſque, trium inſtar diuiſarum arcium, permunita, atque tormentis inſtructa, inſederat: vnde vicinas Prouincias, Mazouiam ac Podlachiam, grauiſ-

simis

ſimis excurſionibus, infeſtabat. Obſidio eius nuper ab alijs, irrito, ne dicam, damnoſo conatu, tentata, pertinaciam hoſti auxerat. Verùm à Parente Tuo, ſimul vndique admota vi, intra pauculas horas[h] ſuccubuit eius fortitudini: cuius clementiam pridie reiecerat. Inde per Tribunos ſuos, Pruſsiam Sueticas partes ſecutam, latiſsimè euaſtauit: quo conſilio, vires hoſtium in ſe auertendo, Regi iter Dantiſco in Poloniam apparanti, ſecuritatem muniuit. Nouo, à Tranſyluania exorto bello, legiones, quòd nulla illis è publico ſtipendia numerarentur, militiam detrectantes, in obſequio

h *Anno* 1657. *Febr.* 1.

de ſuo continuit: atque modicâ recreatas quiete, in hoſtem mouit. Naruiâ & Bugo ſuperatis, Ianouiam, Mielnicum, cæteraſque Podlachiæ arces recepit: præſidij Breſtiæ impoſiti excurſiones ſtitit: Lublinenſem oram hoſtibus eiectis vindicauit. Rakotzio Viſtulam ad Zavvichoſtum tranſgreſſo, atque extremam vaſtitatem, viciniæ omni, ferociter minanti, caſtra ſua oppoſuit: equitatûs populabundi per obuia graſſationes caſtigauit, repreſſitque: auxilia Zaporouiorum, humanitate ac liberalitate ſuâ, Lituano nomini deuincta, à Tranſyluano auertit: vniuerſum totius exer-

citûs hostilis robur, solido triduo, feliciter sustinuit: denique instructâ pro castris modicâ suorum manu, hosti victoriæ confessionem extorsit. Quid enim aliud erat Rakotzium summam rei aperto prælio credere non audere? exercitum numerosum, absque certamine, ex acie priorem deducere? quàm, victum se fateri. Abeuntem verò, aut potiùs fugientem, constanter insecutus, à lateribus excursores cædendo, cohortes tardiùs procedentes intercipiendo, impedimenta diripiendo, tantâ Transyluanos afflixit clade: quantam illi, cùm se pugnæ subtraherent, timuerunt. Parte

copiarum

copiarum equeſtrium, duce fortiſ-
ſimo Tribuno Alexandro Polubin-
ski, trans Viſtulam miſſo, pluri-
k Iul. 11. & 22. mùm contulit, vt [k] ſemel iterumq;
Tranſyluanis à Polono milite cæſis,
intra paucos dies integrè debellare-
tur. Digreſſus è caſtris cum ſuo
domeſtico comitatu, equeſtrem
Haſtatorum centuriam Breſtiâ ad
Tranſyluaniæ Principem tenden-
tem, quàm animosè inuaſit, tam
fortunatè deleuit. Verſis deinde in
Moſchos armis, ſub conſpectu ho-
l 1658. in Oct. ſtium, haud procul Vilnâ [l], caſtra fi-
xit. Legatorum Regiorum ſecuri-
tatem, atque in ijs Regis ac Reipu-
blicæ Maieſtatem, ſub lubrica per-

iuræ

IX

iuræ gentis fide in ancipiti poſitam, ſeruauit: deſtinatas à Georgio Dolhoruki in profundiorem Lituaniam excurſiones ſtitit: auxilijs è Moſchouiâ venientibus, viam ad Miedniki præcluſit: ipſum Ducem, cum exercitu, Moſchouiam fugientis ſpecie repetere, coëgit: Minſcum admotâ per Legatum ſuum vi, hoſti eripuit. Curoniam dolo vicini Sueci interceptam, per ſuas copias iniuſto poſſeſſori [m] ademit, Reipublicæ aſſeruit. Andream Chovvanski Moſcum, ingenio ferocem, ſucceſſuum nuperorum memoriâ audacem, quatuor ſupra viginti armatorum millibus præfidentem, col-

m 1659.

a 1660. Iun. 28. latis ad Polonkam ſignis, [a] profligauit : atque eodem curſu triumphali, caſtris hoſtilibus à pugna loco per aliquot leucas diſsitis, Victor inuectus, Arcem ſui iuris Lachovvicze, nullius hoſtis poſſeſsione violatam, trimeſtri oppugnatione fatigatam, ſuis & Reipublicæ vindicauit. Promoto deinde trans Boryſthenem exercitu, alterum hoſtilium copiarum Ducem Georgium Dolhoruki, (qui magis metu quàm vallo exercitum ſuum ad fluuium Baſia clauſerat) infeſtis incurſionibus in apertum elicuit, auſumq́ue aciem ad prælium inſtruere, toto equitatu [c] mulctauit. Verbo rem

c Octob. 8.

complector.

complector. Quidquid redux in Patriam, aut ſeruatum aut reſtitutum per Lituaniam reperiſti : totum id integrè, Parenti Tuo ante alios, debemus vniuerſi; debebitque poſteritas, illum verè Patrem Patriæ æternum prædicatura. Hæc, aliaqúe, Parentis Tui ampliſsima erga Rempublicam merita; Aui item Tui Ioannis Sapieha, triginta victorijs, Triumphatoris Moſchouiæ titulos prætergreſsi, geſta, explicatiùs tertia Hiſtoriæ pars datura eſt: intereà tamen accedenti Tibi ad Rempublicam, præclaris Maiorum Tuorum conſilijs, atque factis firmatam & auctam; Sapiehanæ Do-

mûs gloriam, in Parentis Tui pro Deo & Republica intra decennium actis, ſub compendio ſtrictim reuocare libuit; vt ad magna aſpiranti, Maiorum veſtigia præ oculis eſſent. Sequere igitur Duce Parente Maiores Tuos: perge ad ſumma Sapiehanis paſsibus: imple ſpes omnium, atque inprimis Nomen SAPIEHÆ, quod ſemper in Hoſtes fulmen, pro Patria ſcutum, audijt, fuitque. Hoc ego, priuatus quidem, voueo, ſed ex publico bonorum ſenſu, ac præſertim parentis meæ, minimæ Societatis IESV: quæ priùs quàm potuiſſet ſuis officijs, debitam Tui Nominis venera-

tionem,

tionem, testari; iam te Sapiehano præiudicio Patronum suum experitur: atque vt eo deinceps fruatur glorieturque, se atque sua pro Tua incolumitate, atque felicitate, mecum deuouet.

ILLVSTRISSIMÆ CELSITVDINIS TVÆ

Cliens indignus

ALBERTVS WIIVK
KOIALOVVICZ.
Societatis IESV.

FACVLTAS
R. P. PROVINCIALIS.

Ego infra ſcriptus Societatis Iesv, per Prouinciam Lituaniæ, Præpoſitus Prouincialis, poteſtate mihi ad id factâ ab Admodum Reuerendo Patre Noſtro Ioanne Paulo Oliua Vicario Generali, facultatem concedo, vt, Historiæ Litvanæ pars altera, à P. Alberto Koialowicz ſcripta, & ab aliquot eiuſdem Societatis Theologis, reuiſa ac approbata, typis mandetur. In quorum fidem, has literas manu mea, & conſueto Officij ſigillo munitas, dedi. Grodnæ 9. Septemb. Anno Domini 1663.

Ioannes Rywocki.

APPRO-

APPROBATIO CENSORIS.

R. P. Alberti Wiiuk Koialowicz S. Iesu Presbyteri S. Theol. Doctoris Historiæ Lituaniæ pars altera à RR. PP. Societatis Iesu ad hoc deputatis examinata, poterit typis excudi & publicari, vtpote nihil continens quod fidei Catholicæ Romanæ aduersetur. Datum Antuerpiæ 26. Iun. 1668.

AVBERTVS VANDEN EEDE
I. V. L. Protonot. Apostolicus Canonicus & Archidiac. Antuerp. Libr. Censor.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII REGII.

CAROLVS Dei Gratiâ Hiſpaniarum Indiarumque &c. Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, ne quis librum, cui titulus eſt, HISTORIÆ LITVANÆ pars altera Auctore R. P. Alberto Wiiuk Koialowicz Societatis IESV, citra Iacobi Meurſij Typographi Antuerpienſis voluntatem vllo modo in Belgio, intra nouem annos proximos, imprimat, aut alibi terrarum impreſſum in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemúe habeat. Qui ſecùs faxit confiſcatione librorum, & pro ſingulis exemplaribus peregrinis huc illatis, triginta florenorum penſione multabitur: vti latius patet in litteris datis Bruxellæ, die xx Aprilis, Anno M. DC. LXIX.

Signat.

LOYENS.

HISTO-

HISTORIÆ LITVANÆ PARS ALTERA

DE REBVS LITVANORVM

Post coniunctionem Lituaniæ cum Poloniâ, ante vnionem earundem gentium.

LIBERI I.

DE REBVS LITVANORVM

Sub Principe Casimiro I. Skirgelone. *An. Dom. 1387.*



MVtatâ nuper Reipublicæ formâ, cùm Poloniæ sese adiunxêre Lituani; tranquillitas Lituaniæ, Principis sui in Regem Poloniæ fide, maximè consistebat: atque eo fortè imprimis respectu CASIMIRVM Skirgelonem sibi suffectum, Magnum Lituaniæ Ducem, Rex IAGELO, renunciârat. Quamquàm enim inconstantiore animo, repentinisque in ferociam affectibus, CASIMIRVS esset: *Casimirus Skirgelo M. Dux Lituaniæ creatus.*

 à na-

An. 1387 à natura tamen procliuis in ea vitia, quæ otio aluntur, illi genius, non vanam ſpem faciebat; pronius fore, vt recentem illam ſupremi Magiſtratûs poteſtatem, magis in luxus materiam, quàm in occaſiones nouandarum rerum inſumat. At, quæ humanorum conſiliorum ratio eſt propè perpetua, vt quæ tanquam optima eliguntur ab ignaris futurorum, plerumque malorum fontes contineant: tandem ea ſpes, ingentibus diſpendijs Lituaniæ conſtitit. Nam licet Caſimirus Romanis ſacris, ſimul cum Rege fratre, Cracouiæ initiatus fuiſſet; nihilominus inſtituto Ruſſorum, inter quas adoleuerat, Græcis ritibus addictior, Catholicæ religionis apud ſubditos populos promouendæ negligens, curam eam aut omnino dimiſerat, aut ad poſtremas relegârat. Neque intentior in eam Reip. partem, quæ ciuilia negotia complectitur: dies ſolidos per commeſſationes ducere ſolitus, cùm ex crapulâ raro ſibi ſufficeret, publico propè nunquam par erat. Conuiuiorum exitus, plerumque cædibus funeſtabat: nam aut longè ante conceptas ſuſpiciones feralibus inter calices ſententijs in capita, vindicabat; aut ſi quæ fortuitò ad menſam offenſæ occaſio dabatur, ipſe per ſe repentino ictu aliquem conficiebat: quo mortis genere, multi familiarium Principum leuiſſimas cauſas luerunt.

Remp. & Religionē negligit.

Ab his vitijs, meritò plurimis inuiſus proceribus, Vitoldo vltra commune odium, prætenſionem nouorum motuum dedit. Agebat is Luceoriæ, vir animo ingenti, neque minore ambitione: atque hinc non tam ad vitia

Vitoldus rebellat Casimiro.

vitia Casimiri, quàm ad dignitatem eius moderatè ferendam, plane imbellis: pensabat tacitus, sua in Iagelonem, & Lituaniam merita: quæ vt magna certè erant, ita maiora apparebant oculis affectu vitiatis. Possidebat quidem Iagelonis beneficio amplissimas Prouincias, Samogitiam, Podlachiam, Polesiam, partemque præcipuam Volyniæ: sed hæc infra merita æstimabantur, quia infra votum erant, supremam Lituaniæ Præfecturam, titulosq; Magni Lituaniæ Ducis, ambienti. Dolere itaque se ea spe delusum, quâ ante aliquot annos ostentatâ, ad amicitiam Prussorum eiurandam, illectus fuerat. Ab eo dolore, simul irâ in Iagelonem, & inuidiâ in Casimirum plenus, bellum moliri cœpit, occupandique Principatûs consilia. Augebat animos, quòd & palàm multos factioni accessuros, & priuatim facinus suum nemini procerum non probandum speraret. Quę enim omnis rebellio meritò damnanda habet, ea populus odio aut metu Principis obcæcatus, aut difficulter perspicit, aut facilè dissimulat. *An. 1387*

Initium motui sumptum ab inuasione Vilnæ: quæ vrbs, & genti vniuersæ caput, & Magno Duci sedes. Gerendæ rei opportunitatem aperuerat Casimiri absentia. Polociæ enim, qui locus leucis quinquaginta Vilnâ distat, Casimirus versabatur. Vitoldus ratus per Principis abitum negligentiùs res Vilnæ administrari, cum modicis copijs, raptim lectis, Vilnam aduolat. Ingressu arcium à præsidiariis prohibitus, vim semel, iterumque adhibet: sed vtraque vice à ciuibus & Polonis, *Vilnam conatus occupare reijcitur.*

An. 1387 quibus præſidium conſtabat, reiectus eſt. Vbi aſtus fruſtra fuit, proditis iam conſilijs, ad apertum bellum comparandum neceſſitate ipsâ deuenit: certus, & Caſimirum arma contra ſe correpturum, & Iagelonem Regem auxilia è Poloniâ maturaturum. Podlachiâ, ac Poleſiâ, quàm maximè poterat, munitis, valida ex Germano milite præſidia, per Grodnam, Surazum, Breſtiam, Cameneciam, aliaſque arces partitus, ipſe cum coniuge, familiâ, pretioſiore ſupellectili, ſuæque factionis capitibus, in Mazouiam, ad Ianuſium, & Semouitum Duces, affines ſuos abijt. Ab vtroque ita acceptus eſt, vt ingratum hoſpitem ſe eſſe non difficilè ſentiret: ſic enim illi ſua in profugum officia temperabant; vt metus, incurioſè celatus, latere non poſſet, quo & ab inquieto Vitoldi ingenio, & ab offensâ regiâ ſibi prouidebant, intenti, ne ancipiti ſurgentis belli cauſæ, res ſuas aliquo modo immitterent. Inſanum enim profectò eſt, bella ſuis auxilijs inter eos populos alere, è quorum pace plùs commodi ſperes. Deſperatis ab ea parte auxilijs, in aliam circumegit conſilia Vitoldus: ſecundiorem votis ſuis portum quæſiturus, ad Pruſſos tranſijt. Ibi vti ſperauerat, apud Conradum Zelnerum Ordinis Magiſtrum, conſilijs ſuis ſtabiliendis, omnia expedita reperit. Quamquam enim Vrbanus IV. Pontifex ſummus, literis ante annum datis, tum Regem, tum Equites Crucigeros ad colendam mutuò pacem, grauiter fuerit cohortatus: Zelnerus tamen belli occaſionem non illibenter arripuit. In ſpeciem commiſeratione

In Mazouiam fugit.

Ex Mazouia in Pruſſiam.

exulis,

exulis, quidquid bello opus esset, abundè offerebatur: *An. 1387*
cæterùm, quod res erat, cupiditate ac spe ditionis per
Lituaniam proferendæ, miles sumptusq́ue belli, satis
promptè à Conrado addicebantur. In plano erat non
dari, sed vendi auxilia, lucro omni tandem ad Cruci-
geros redituro. Primum eorum officium iacturâ Sa-
mogitiæ constitit: nam Vitoldo ab initio belli pecunijs
egenti, non priùs trecenta millia *Koparum* (genus
Lituanæ monetæ est, quod nunc sextam imperialis
nummi partem quinquies continet) annumerata sunt,
quàm vniuersæ Samogitiæ possessionem, pignoris no-
mine Crucigeris consignâsset.

Fœdere completo, ad infestandos finitimos Litua- *Bellum cũ Prussis Lituaniæ infert.*
niæ agros, bifariam prædabundæ immittuntur legio-
nes, per Memenum è Prussia, è Liuonia per Dunam, flu-
uios. Graue bellum ab externis viribus, non tamen om-
nino formidabile; quòd sæpiùs ante Crucigerorum co-
natus Lituanis armis repressos esse, populus meminis-
set. Longè magis domestica dissidia periculum exage-
rabant: multi enim Equites, Proceresq́ue apertè Vi-
toldo fauebant; neque ex vano metuebatur, fore vt in
dies, longè plures proderent Casimiri partes. Rex Ia-
gelo acceptis nuncijs, quo statu res Lituaniæ essent,
multùm à Vitoldi artibus timebat; neque minùs à Casi-
miri ignauiâ. Celerrimis itaque itineribus, expertum
bello virum, Nicolaum Moskorouium Regni Procan-
cellarium, rebus necessarijs, atque aliquot Polonis co-
hortibus instructum, in Lituaniam mittit. Casimirus

An. 1387 quoque non dubius molem belli eò vertendam, vbi ſumma & præmium victoriæ eſſet, lectis properè præſidijs Vilnam firmauit: Moskorouio, præſidij, vrbis, arciumque præfecturam, atque adeò vniuerſam belli adminiſtrationem tradidit. Vitoldus ingenti per agros vaſtitate editâ circumferens latè bellum, priuſquam Vilnam perueniret, quarto inde milliari ad Trocos conſedit: non tam oppugnandi eius loci neceſſitate, quàm vt contractis iſthic è populatione copijs, totâ ſimul vi, ad caput belli progrederetur. Conatus eſt tamen intereà, extemporaneâ operâ, arcibus oppidoque Trocenſi potiri: ſed duplici aſſultu inter damna ſuorum amiſſo, rem infectam deſeruit: veritus, ne quantùm illâ morâ ſuorum vires animique attererentur, tantùm ſpatij permuniendæ accuratiùs Vilnæ relinqueretur. Subita ſiquidem vis, & integris animis illata oppugnatio, meliores ſucceſſus habere ſolet. Vilnam motis caſtris, per imminentes vrbi à meridie montes ducto exercitu, à tergo arcium, ab Oriente inter montem & fluuium Viliam (quem locum vulgari linguâ *Antakalnic*, id eſt, ante-montanum dicimus) fixit tentoria. Trocis venienti prima ciuitatis mænia in conſpectum occurrebant, ſed eius oppugnationem prudens neglexit, ſiue alio quopiam conſilio, ſiue quod iudicaret eius expugnationem, & aliquantò operoſiorem, & parum vtilem. Nam quod copioſus ſatis miles in ciuitate haberetur, facilè pars hoſtem à mænibus arcere, pars per loca eruptionibus commoda, latera oppugnantium infeſtare potuiſſet.

Trocos primùm irrito conatu,

deinde Vilnam oppugnat.

potuisset: expugnatâ verò ciuitate, tantumdem negotij superfuisset, in oppugnandis arcibus, in quibus solis quidquid bello illo petebatur, conclusum habebatur. Superiorem arcem satis editi, ac prærupti montis iugo incumbentem, Polonorum præsidium obtinebat: inferiorem, quæ ad radicem montis sita, Vilna fluuio cingitur, Lituanus miles tuebatur. His arcibus sæpiùs tentatis, cùm præsidiariorum virtus, omnem eius conatum vinceret, obsidionem soluere, exercitumque in Prussiam reducere coactus est. Redibat quantùm spolijs locuples, tantùm spe suâ minor, animoque egens: quòd non prædæ, sed dominationi obtinendæ, eã expeditionem suscepisset. Crescente in horas animi ægritudine, inter varias, quæ mentem subibant, cogitationes fluctuare: ex inauspicatis primis successibus longè aliter, quàm ante, de vniuerso bello, ominari: æstimare secum constantiam Procerum pro Casimiro, & Rege: inspicere penitiùs, quàm ægrè, quàm lubricâ fide à Crucigeris auxilia suppeditarentur, trahendo tantùm bello sufficientia, non autem necessaria eius dignitati asserendæ; propriam nimirùm rem magis, quàm eius agentibus: suspicari, quòd possit adhuc Iagelo permoueri, vt abrogatâ Casimiro præfecturâ, fasces Lituaniæ ad Vitoldum transferat.

An. 1387

Varijs cõsilijs agitatus,

Quare, siue pertentaturus tantùm sententiam Iagelonis, siue aliunde edoctus, quid ab eo sperare posset, per occultos fidosque nuncios in eam sententiam Regi scribit. Funesti belli, quod Lituaniam, miserè nunc exerceret

Regi Iageloni recõciliatus.

An. 1387 exerceret, ſe militem eſſe: Ducem verò, & facem; ipſum Caſimirum Skirgelonem: cuius vitijs, omnes quidem ad indignationem, ſe verò vti cæteris Lituani nominis amantiorem, etiam ad arma actum, iam eò vſque prouectum eſſe. Porrò ne vlteriùs pergeret, adhuc in Iagelonis poteſtate relinqui. Lituaniam perditam, neque vmquam ſe voluiſſe, neque nunc cupere: illud ſolùm hactenus Crucigerorum auxilijs tentaſſe, vt Caſimiro exacto, Lituaniam non ſibi, ſed Lituaniæ ipſi aſſereret, quam ſub ignauo Principe, peſſum ire nemo non videret. At verò poſtquàm comperiſſet Crucigerorum conſilia in perniciem Lituaniæ intendi; paratum ſe eſſe ad arma odio Caſimiri ſumpta, amore Iagelonis & patriæ ponenda: modò Iagelo ipſe, Fratrem ſe potiùs habere mallet, quam Hoſtem. Non actorum pœnitentiâ, ſed agendorum deſperatione Vitoldus iſta agebat: quare, cùm idem omnino, quamquam alijs artibus, quærere conſtitutum eſſet; pax neque longa, neque fida ſperari poterat. Nam veluti magnetis attactu vitiata acus, extra debitam ſtationem nequit conquieſcere: ita animus ambitionis malo ſemel agitatus, neſcit, ante deſtinatum veſtigium quietè conſiſtere; neque prius conſilia in omnem partem verſare deſinit, quàm votum occupet. Plana nimis iſthæc omnia erant Iageloni: quia tamen metuebat, ne Lituania ac Ruſſia, moleſti belli pertæſa, ſub poteſtatem Vitoldi concederet; qui non armis modò palàm, ſed tacitis quoque machinationibus res ſuas clam promouebat: belli impetum, quibuſ-

uis

uis conditionibus, maturè ſiſtere maluit. Breuiter ita- *A. 1387.*
que per literas hortatus Vitoldum, ne inconſultos af-
fectus incitatiùs proſequendo, per patriæ damna, ho-
ſtium cupiditatem ſaginaret; iniectâ etiam ſpe Princi-
patus; reſpondit: Pacem non Lituaniæ modò neceſſa-
riam, ſed & ipſi Vitoldo honorificam, optatiſſimam ſi-
bi eſſe.

Ambientibus, nihil faciliùs, quàm ſpes; nihil prom- *A. 1388.*
ptiùs, quàm fides: cùm ea promittuntur, quæ cupiun- *Fugam ex*
tur. Vitoldus complexus animo veluti certiſſima, quæ *Pruſſia*
à Rege acceperat ſcripta, inchoatis conſilijs inſiſtit, *adornat.*
qua ſe ſuoſque ex Pruſſia euoluere poſſet, intentiore
curâ veſtigat: nam ſiue proprius impetus, ſiue Cruci-
gerorum artes, ita eum implicuerant, vt huc atque il-
luc verſanti animum, vix aliquid ſuccurreret, quod in
rem opportunè conficiendam, vſui fore videretur. Tan-
tum momenti eſt, ad ipſa fæderum initia præuidere
mente, quomodo amicitias cum hoſtibus inchoes: ne
fortè eò vſque deferaris; vnde cùm hoſtem iterum ex-
pertus fueris, quà pedem efferas, non reperias. Tan-
dem vt erat prompto verſatilique ingenio, iſtud conſi-
lij commentus eſt. Coniugem cum imbelli familiâ, ſu-
pellectili quæ oculis patebat, immotâ, velut ad recog-
noſcendam per attributa à Crucigeris prædia rem fa-
miliarem, propediem redituram dimittit. Ipſe paucis
poſt diebus Magiſtrum Ordinis clam adit, ſecreti ſpe-
cie auctoritatem figmento facit: confirmat ſe inſignem
Lituaniæ cladem animo concepiſſe, cuius momenta

A.1388. celeritate ac ſilentio conſtarent: eam ob cauſam, ſibi ac militibus ad leue ac volatile expeditionum genus aſſuetis, quales ſoli ſui eſſent, negotium totum demandari poſcit. Facilem habuit ad ea magiſtrum, ſuapte cupidum, vt per nouas Lituaniæ iniurias, exulceratis ampliùs offenſis, quò difficilior redderetur cum Rege Iagelone concordia, firmior cum Crucigeris ſeruaretur amicitia. Arma ergo ſuos, annonam in plures dies, & quidquid ſubitæ excurſioni opus, expedire iubet: ipſe ſingula ita moderari, ne vel impedimentis ſui onerarentur, vel Crucigeris ſuſpicio fugæ præberetur. Digreſſus Mariæburgo diuersâ viâ ab eâ, quæ ad prædium ducebat, mox iter flexit: coniugem ex deſtinato ad omnia intentam, cum gaza, è prædio abripit; atque curſu prope in propinqua Samogitiæ euadit: inde verſo in Podlachiam, quam ſuis præſidijs obtinebat, itinere, per confinia Pruſſiæ, Iurborgi, Neihauſij, Mergenburgi, amici ſpecie acceptus, gregarium Germanorum militem trucidauit, arces ſpoliatas exuſsit, Præfectos abduxit. Grodnam, ſuæ ditionis oppidum delatus, celerrimis nuncijs Iageloni ſcribit. Regis patriæque causâ, non amicitias modò Crucigerorum ſe recidiſſe, ſed etiam veteres inimicitias nouis cladibus reſtaurâſſe. Quàm vera ſcriberet, integrâque fide ageret, Crucigeros ipſos argumento fore, quos in finitimis Præfecturis ab ſe captos Regi mitteret. Quare, quoniam quæ Rex poſtulare potuiſſet, ea ipſe iam longè exaggeratiùs præſtitiſſet, orare: vt quæ ſibi promiſſa fuerant,

Magnum Lituaniæ Ducatum ambit.

rant,

rant, ex fide præstarentur. Amoueretur Lituaniæ Præfecturâ homo superbiâ suâ nemini ferendus, quantùm in hostes ignauus, tantùm in suos cruentus. Vt verò eo eiecto, sui ante alios Rex rationem habere velit se tacente, satis fore, si fidei datæ meminisset. Esse quidem illi germanos: sed hos solo sanguinis iure; se veteris erga Regem amicitiæ, meritorum in patriam ipsiusque regij promissi, præiudicio, ad eius in primis beneficentiam, tum ad Magni Lituaniæ Ducis titulos audere niti. *A. 1388.*

Gaudebat Rex solutâ inter Crucigeros & Vitoldum, armorum societate: at ne pura ea voluptas esset vacuaque curis, postulata Vitoldi corrumpebant, immodicæ solicitudinis materiâ. Nam neque Casimirus repentè Principatu moueri, neque alij fratres Regij posthaberi, neque Vitoldus apertè repelli, absque nouorum motuum metu poterat. Illa tandem regi cura probata, susceptaque est: ita literis ac promissionibus Vitoldi spes sustentare atque tractare, ne qua repulsæ opinio porrigeretur: quin imò persuaderetur, Regem haud imprudenter veritum, ne violentis consilijs nouas seditiones concitaret, in occasionem, exequendo commodam intentu, nihil nunc abnuere, sed & postulata eius & promissa sua, aliquantùm differre. Siue ita animo Rex constitutus reuerà fuerat, siue etiam ad confirmandum in amicitiâ Vitoldum, dissimulanter magis, quàm verè ista dicebantur: Vitoldus certè spes suas, votaque non diu quieta tenuit.

Rege ad petita eius tergiuersante,

rursus Regi offenditur:

A.1388. Moræ impatiens, neque minùs procraſtinatione offenſus, quàm ſi apertè repulſus fuiſſet, ad ingenium facilè redijt. Principatum Lituaniæ imprimis aſtu, tum ſi is irritus abijſſet, vi inuadere conſtituit. Non remedia, ſed incrementa, à tempore veniunt ambitioni: quemadmodùm amnes, ſi obiectum aggerem collectis exæquant aquis, perrumpunt; ita ambitio, morâ repreſsâ, creſcit, & niſi ab aduerſo obiectâ potentiâ ſpes omnis ſuperetur, tamdiu audet, donec perfringat. Vilnam ante omnia dolo quopiam intercipere deſtinabat Vitoldus: commodumque per id tempus acciderat, vt de nuptijs inter Henricum Mazouiæ Ducem, & Ringailam Vitoldi Sororem agi, fama ſpargeret. Occaſione enim inde ſumptâ, vulgat connubiali pompæ delectam eſſe Vilnam: vbi rumor variè ſparſus, ita inualuit, vt fabula ſatis ſuperque fidei apud pleroſque haberet; delectam è nobilibus in facinus expeditis manum præmittit, quæ ſparſim intra ciuitatis mænia recepta, ſignum ad vim expectaret. Deſtinato inuaſioni die, trecenti currus, rebus apparando conuiuio neceſſariis onerati ſubmittuntur, quibus quadringenti viri occulebantur, præter curruum rectores, agreſtes quidem illos, at in pugnam comparatos. Omnia ad fraudem ſcitè inſtructa, nullum ſuſpicioni locum relinquebant. Solum Vitoldi nomen ſatis per ſe ſuſpectum, tergiuerſandi aliquam occaſionem, ſimulque detegendæ fabulæ initium dedit. Cùm enim à Præfecto curruum, de admittendis in arcem curribus, deponendiſque oneribus, animoſiùs

Vilnam occupare nititur aſtu.

Vitoldi nomine agitur; portarum custodes, obstinatiùs A.1388.
moras nectunt: interea præmissi nuper Nobiles, vel insolitâ circa portas concursatione, vel nimiâ solicitudine (plerumq; enim eæ curæ, quibus doli anxiè teguntur, inde se maximè produnt, vnde nimiùm cauent) seu alio quopiam indicio, præsidiarijs, præsertim Polonis, suspicionem astûs mouerunt. Cœperunt itaque curiosiùs *Irritò euentu.* excuti currus: armati deprehenduntur, atque cæduntur: soli equites, qui extra arcem agebant, sub ipsa initia detectæ fraudis, maturè sunt elapsi. Vitoldus hoc conatu infeliciter abeunte, tanquam non elusum dumtaxat telum esset, sed etiam in auctorem remissum, quantùm dolere, tantùm furere: rursus arma, cædes, animo præcipere. Quòd verò his affectibus priuatæ opes non *Quare rursus ad Crucigeros transit.* sufficerent, veritus ne repentino bello inde à Iagelone, hinc à Casimiro interclusus opprimeretur, ad fœdera Crucigerorum, iteratò maturauit: vnicum eâ tempestate perfugium omnibus, qui contra legitimos Lituaniæ Principes aliquid tentaturi, viribus egerent. Infidus vicinus, fomes erat rebellionum. Vix fidem apud lectorem res reperiet, post tot delusiones, aut Prussos Vitoldo amicitiam postulanti credere potuisse, aut Vitoldum sperasse eos credituros: at vtilitatis spes maximam quiduis persuadendi vim habet. Certè Conradus Valerodus Ordinis Magister, Zelnero vitâ functo, successor datus, auidè hanc subigendæ Lituaniæ occasionem arripuit: quare militem, omnemque operam Vitoldo liberaliter obtulit. Quibus conditionibus nouum illud

A. 1388. fœdus coaluerit, proditum non reperio. Vitoldus quàm primùm à Magistro responsum accepit; cum omni familia, præcipuis Procerum vtriusque suæ fortunæ socijs, ac præsertim Ioanne Algimundo Duce Holsano in Prussiam se contulit: vbi integros deinde duos annos exegit.

1389. *Corybuto Seueria attribuitur.* Nihil tamen intereà hostile à Crucigeris in Lituaniam motum esse, argumento sunt, monumenta fœderis inter Lituanos, & Robinum de Eloz, Magistrum Equitum Liuoniensium icti. Sub idem tempus Demetrio Corybuto dominium in Seueriensem Principatum, confirmatum est, à Iagelone Rege. Verùm priùs, viri Seueriæ Principes, Demetrij legati, Dauides Russanus, Basilius Toroszcraius, & Gregorius Niesvvicki, suam Principisque sui fidem, Iageloni iureiurando obstrinxerunt: sanctè polliciti, Demetrium semper in obsequio regis mansurum; quod si is aliquo euentu à regno Poloniæ, aut Rege deficeret, Seueriam illi auxilia non ministraturam. *Linguenio Nouogardia.* Pari iure Simeoni Linguenio Miscislauiensi Duci, Iagelonis Germano, ditio magnæ Nouogardiæ concessa est: quo nomine Simeon Regi ac Regno fidelitatem iurauit. Vitoldus verò, vt eò magis hostilem animum dissimularet, quò intentiùs bellum cogitabat, nouâ cum Casimiro amicitiâ initâ, promissisque contra quosuis hostes (dempto solo Iagelone) auxilijs, fallaci illâ securitate, ignaui Principis periculum auxit.

1390. *Vitoldiani infestant Lituaniã,* Ad ipsum enim initium proximi anni, dum maiore

mole bellum in æstatem paratur, milite per Prussiam *A. 1390.*
ac Germaniam conscripto; subitis agrorum vastationibus, ab ijs maximè cohortibus, quas Podlachiæ præsidio Vitoldus reliquerat, præludi cœpit. Neque Lituanæ solùm, sed & Polonæ ditionis agri infesti habebantur. Indixerat Iagelo quoque delectum per Lituaniam: sed is lentiùs procedebat. Quare nobilitatem priùs Polonam Iagelo in Podlachiam contra Vitoldianos duxit. Nam & ad arcendas à Minore Polonia prædas, & copias in Lituaniam moturo, necessarium erat vniuersâ priùs Podlachiâ, ac Polesiâ Vitoldianos eijcere: quòd ea media inter Poloni Lituanique iuris Prouincias, si ab hoste obtineretur, haud leuia incommoda militi, hinc inde commeanti, allatura procul dubio esset. Neque minùs momenti ad accelerandam expeditionem addidit metus, ne quantùm Rex quiesceret, tantùm Vitoldi factio per Lituaniam & Russiam virium sumeret: cùm nutantes Procerum animi in eas partes procumberent, in quam ostensis armis impellerentur. Brestiæ imprimis regius exercitus admotus est: arx ac ciuitas intra decem dies Regi cesserunt: Rex, præfecturâ Brestianâ Hincæ Rogovvski commissâ, cùm bellum victoriamque vlteriùs promouere contendit, militari seditione retardatus est. Suscepta quippe erat expeditio infestâ adhuc anni parte, cùm Februarius decurreret, mensis ante alios, per vicina Septentrionibus loca, hyeme peracutâ sæuire solitus. Impatiens eius mali Polonorum exercitus, molestam, atq; vix ferendam liberis hominibus

Rex Iagelo cum Polonis intrat Podlachiam.

Brestiam expugnat.

A.1390. minibus militiam detrectabat: missionem flagitans eò contumaciùs, quòd non stipendijs auctoratus esset, sed ex vetere harum gentium instituto, publico equestris ordinis tumultu, lectus. Dimissis hisce copijs, Rex viribus longè minor, animo tamen integer, solo aulico comitatu, & voluntariam militiam professis, Camenecum aggressus est. Nongentos non excedebant omnes sub signis: virtute nihilominus Ductoris, ac militis, in vices numeri subeunte, parum negotij fuit in eijciendis inde Vitoldianis. Cameneci Zindramo Maskovvski Regni Ensifero, ad locum præsidio obtinendum, relicto, signa reliqua Grodnam mota. Habebat Grodna, præter ciuitatem, arces duas, operibus ac milite Germanico contra vim validè instructas: quare tamdiu ab oppugnatione cessari debuit, donec Lituanarum legionum accessione, quas haud procul abesse nunciabatur, exercitus augeretur: interea tamen paucis licet cohortibus per Nemenum transportatis, clausa sunt itinera, ne inferendæ annonæ commoditas in arcem pateret. Paucis post diebus regij Fratres Casimirus Skirgelo vniuersæ Lituaniæ ac Russiæ, Volodimirus Kiiouiæ, Corybutus Seueriæ, Duces, cum validis copijs in castra peruénerunt. Rex ergo eas copias trifariam partitus, arctatâ vndique obsidione, infestiùs è propinquo obsessos vrgere cœpit. Vitoldus etiam neque sibi, neque suis deerat: vbi audijt Regem cum exercitu in Podlachia esse, captisque Brestia & Cameneco Grodnæ instare, lecto quàm primùm per Prussiam milite, Grodnam re-

Camenecũ capit.

Grodnam obsidet.

ctà

ctâ duxit: caſtris in aduerſa ripa Nemeni, ſub arcis re- *A. 1398.*
giorumque conſpectu, poſitis, incertum quo conſilio
ad excitandum editum tumulum, muniendumque in
eo propugnaculum, primas operas conuertit. At regij
obſtinatiùs oppugnationem vrgebant, quòd ob pro-
pinqua hoſtium auxilia, pronius eſſet cuique vereri, ne
importatis in arcem validioribus præſidijs, annonâ, ac
vario miſsilium genere, obſidio pænè perfecta, aut in
irritum omnino abiret, aut obſidentibus, quàm obſeſ-
ſis, grauior redderetur. Inualeſcebat enim in dies per
regia caſtra fames, militi iumentiſque exitioſa: ex va-
ſtatis circumquaque agris nihil annonæ pabulique ha-
beri poterat: plerique agreſti pane, ex integris ſpicis
contuſis confici ſolito, vitam ægrè ſuſtentabant: equis
verò aut folia arborum ſub niuibus collecta, aut ſtra-
men caſis ruſticanis detractum, idque quatuordecim
inde leucis quæſitum, pabuli loco erat. Cum hoſte ſi-
mul, & tot malis, miles confligebat: quare vt quàm
primùm debellaretur, ipſe metus trahendi belli, vel in-
uitos animabat: & iam inferioris arcis vallum regij non
incruento ſucceſſu obtinuerant, Vitoldo ſuorum cla-
dem ab altera ripa inſpectante; rapido enim prægalto-
que fluuio, vti his menſibus accidere ſolet, à ſuis abſtra-
ctus, tantùm ſpectare regios cogebatur. Vbi tandem *Vitoldum*
obſidionem ad diſcrimen ſuperioris arcis loco editiore *à ferendo*
ſitæ, redactam aduertit, opem periclitantibus matu- *ſubſidio* *arcet.*
rare & extemporaneo ponte militem conari tranſpor-
tare. Vtramque Nemeni ripam craſſiore ferreâ catenâ,

A. 1390. inter caſtrorum propugnaculum, portamq́ue arcis iungi iuſſerat: tum naues anchoris, palis, & catenâ contra aquarum vim obfirmatas exiguis interuallis ſeiunctas, trabibus tranſuerſim iniectis colligari, ac tabulis inſterni. Prope abſoluebatur opus, quando ingentes rates, à regijs confectæ, ac ſecundo flumine, magno cum impetu in pontem illatæ, catenam ruperunt, ac pleraſque naues cum operis, ac milite ſubmerſerunt. Vnicus natandi non imperitus, ne quidquam Germanis ab arce clamantibus, vt mergi ſe potiùs pateretur, quam ſalutem hoſtili in ripa quæreret, quà propior ripa certiorem vitæ ſpem promittebat, ad regia caſtra euaſit. Ad Regem introductus, quàm arctæ res in arce eſſent, quantùm Vitoldo militis, quidúe conſilij, expoſuit. Inſtare itaque acriùs Rex, & continuis oppugnationibus obſeſſos fatigare. Vitoldus, tanquam ſi vniuerſa iuuandæ arcis ſpes nauibus fuiſſet vecta, ſimulq́ue cum ijs fluuio hauſta, non pontis modò, ſed & ſpei omnis iacturâ factâ, in Pruſſiam cum ſuis redijt. Neque præſidiarijs, poſt deſperata auxilia, diu pertinacia fuit. Quinquageſimo ab inchoata oppugnatione die, arcem regi permiſerunt. Rex Grodnâ receptâ, in Maiorem Poloniam abijt, tuendæ contra vlteriores Vitoldi progreſſus Lituaniæ curâ, Caſimiro Principi demandatâ. Secuta paucorum dierum quies, ingentis belli procellam, matureſcente iam meſſe, adultáque æſtate, effudit.

Grodnâ potitur.

Principes Chriſtiani contra Lituaniam militant.

Lenceſtriæ Dux Henrici Angliæ Regis filius, & Algardus Hohenſteinianus Comes in Pruſſiam venerant; vterque

vterque religionis ſpecie, ad honorariam militiam pertractus: prior Anglos, Scotos, Gallos; poſterior Germanos, ducebat. Quamquam enim Lituania, vti iam memoratum eſt, Iagelonis operâ, ad Chriſtiana ſacra, maximâ iam parte acceſſerat; ea tamen res inter Chriſtianos Principes obſcurior, Crucigerorum præſertim artibus, habebatur: intererat illorum ſiquidem, Lituanos, adhuc inter Ethnicos cenſeri, atque ita ſacræ militiæ prætextu Chriſtianos armare, quorum deinde armis, non iam Religioni, ſed ſuæ per Lituaniam ditioni ſtabiliendæ, abutebantur. His exterorum copijs auctus Valerodus, aſſumpto qui ex Pruſſia ac Liuonia educi poterat, milite, iunctis legionibus, quæ Vitoldi ſtipendijs in Germania conſcriptæ fuerant, totâ ſimul mole opprimendæ Lituaniæ incubuit. Partem exercitûs Valerodus, partem aliam Liuoniæ Magiſter, tertiam Vitoldus ducebant, diuerſis itineribus, vt ſtrages latiùs extenderetur: poſt quam vniuerſæ copiæ ab agrorum populatione circa Caunam conuenerunt, Trocos ductæ ſunt. Oppidum eius loci, atque arces paruo temporis laboriſque impendio occupatæ, exciſæ. Flexo inde ad Viliam itinere ſuperato fluuio, ſub conſpectu Vilnæ in Siskinijs campis, cui nunc loco Soltani curia nomen eſt, conſederunt. Oppoſuit hoſti intrepidè regium exercitum Caſimirus Skirgelo, è Lituanis ac Ruſſis lectum, præter paucas Polonorum cohortes, quas Iagelo, dum Poloniam repeteret, reliquerat. Pertinaciter vtrimque decertantibus, variantiſque fortunæ vicibus, agri

A. 1390

Agros vaſtant.

Skirgelonē prælio fundunt.

A. 1390. agri Verkos vſque patentes, campum præbebant. Satis erat animi Skirgelianis ad audaciam, vtpote domi ſuæ rem agentibus: attamen quia numero, & armorum genere, longè infra Vitoldianos erant, poſtquam prælium cum aurora inchoatum, in meridiem conſtanter fortiterque pertraxerunt, tandem arenâ excedere ſenſim cœperunt. Victi planè, neque tamen temerè in fugam effuſi. Vilnam ſe recipientibus, Vilia fluuius occurrebat: ne ergo tumultuariâ fugâ, opprimendi ad ripam reliqui exercitûs occaſionem victoribus facerent, ſeruatis quantum fieri poterat ordinibus, receſſerunt. Amiſit in eo prælio Skirgelo è præcipuis Hlebum Smolenſciæ, Simonem Iawnutiadem Zaſlawiæ, Hlebum Conſtantini Czartoriiſcenſium, & Iuanum Lwowicz, Duces. Qui prælio ſuperfuerunt, inſtantem victorem fortiter reprimendo, cum Skirgelone, Trocos ſeſe receperunt.

Vitoldus depulſis campo regijs, vniuerſas vires ad expugnandas Vilnenſes arces, conuertit. Sed expugnationem ſpe ſuâ difficiliorem reperit. Nam & obſeſſi pertinaciſſimè dimicabant: & Skirgelo properè refecto Trocis exercitu, omnem viciniam hoſtilibus caſtris infeſtam fortunatis excurſionibus reddebat. Securos ab externa vi, domeſtica proditio prope perdidit. Aliqui obſeſſorum, vel Vitoldianis promiſſis corrupti, vel odio Skirgelonis furentes, duabus infimæ arcis portis ignem ſubiecerunt. Munitio è lignis constructa conceptum occultè incendium, periculoſiùs longè in publicum

Vilnam oppugnat.

euomuit:

euomuit: cùm flamma per pinnas loricamque mœnium decurrens, prope momento propugnatores depulisset; vniuersos verò ancipiti nimiùm malo inuoluisset. Mansuris intra arcem, ab igne; erumpentibus, ab hoste, pereundum erat: quatuor, supra decem, capitum millia, quà flammis, quà ferro interijsse memoratur. Accessit cladi Dux Constantinus Korigelo, Iagelonis germanus. Hic ægrè ex incendio elapsus, cum in Germanorum cohortem incidisset, ad Vitoldum perductus vitam flammis ereptam, ab hoste seruatam, apud fratrem amisit. Vitoldi iussu caput ei amputatum, atque in hastili per castra circumlatum, miserabile argumentum præbuit, plus crudelitatis semper habere fraternas inimicitias. Putabat Vitoldus tantâ suorum clade fractos obsessos, faciliores se ad deditionem præbituros, quare totis viribus oppugnationem vrgebat: præsertim, quòd castelli iugo montis impositi paries Caluo-monti obuersus, non exiguâ parte, tormentorum ictibus deiectus, viam ad assultum aperuisse videretur. At præsidiarij numero non animis imminuti, nihil de constantia remiserunt: omnes hostium machinationes Miskorowij industria, irrito conatu abibant. Murorum ruinæ, iumentorum corijs, & saccis lupulo impletis, ad eludendum hostilem oculum tegebantur: interea incredibili celeritate, terrâ ceterâque materiâ, congestâ occludebantur. Enituit inter primos, eximia Narimundi Pinscensium Ducis virtus, qui cum suis non solùm rudera, quæ igni supererant, inferioris arcis A. 1390.

 fortiter

A.1390. fortiter retinuit, ſed etiam ad ferendas, cum res poſcebat, Miskorowio ſuppetias, in tempore ſemper aderat. A Vitoldiano tandem equite ad ſingulare certamen prouocatus, cum animosè magis, quàm feliciter decertat, haſtili ex equo deiectus, viuus in poteſtatem hoſtium venit. Nihilo tamen inde fortunatiùs oppugnatio Vitoldo procedebat: ſed neque plus fraudes ei profuerunt. Miskorowius enim, quos vel ſuo ingenio, vel Vitoldi æſtimatione inconſtantiores, atque ad nouandas res procliuiores deprehenderat, ac præſertim Ruſſos, omnes ex arce eiecerat. Furere itaque Vitoldus, & tantæ expeditionis in irritum abeuntis dolore percitus, cùm non haberet, quò impotentis animi ferociam effunderet, in captiuum Narimundum, plus quàm barbarè deſæuijt. In proximo prato, pedibus ab vlmo ſuſpenſum, tormentis teliſque obſeſſorum obiectum, ipſe ſuâ manu & arcu confecit. Deſperatâ demum expugnatione, plurimis ſuorum amiſſis, atque inter primos germano Totiuido Principe, & Algardo Comite Hohenſteiniano, obſidionem ab VIII. Kal. Iul. ad ipſas Oct. Kal. continuatam ſoluere coactus, in Pruſſiam cum vniuerſo exercitu redijt. Tantus erat Chriſtiani illius exercitus inter redeundum in obuia furor, vt ne à templis quidem ſibi temperaret: ita nihil ſacri illis eſt, qui humanis affectibus in præceps ſe agendos ſemel permiſerunt. Vitoldus, cæteris copijs dilapſis ad hyberna, adiunctis Ragnetenſi & Inſterborgenſi præfectis, vicinam Samogitiam inuaſit, fædè iſthîc igne ac ferro in omnia graſſatur.

Irrito euētu in Pruſſiā redeūt.

Vitoldus Samogitiā vaſtat.

Peri-

Periclitanti Lituaniæ ſubſidium laturus Rex Iagelo, cum exercitu aduentabat; ſed tardiùs quàm periculum poſtulârat: nullo itaque ferè alio emolumento, præterquam quòd fama venientis, hoſtem ad maturandum cum prædâ abitum, permouerit. Itaque ſubtractâ belli gerendi materiâ, ad componendum afflictæ Reipublicæ ſtatum, conſilia vertit. Annonæ imprimis ex hoſtili vaſtitate difficultatem, ex agris bello intactis omni frumenti genere abundè conuecto releuauit. Tum humanitate ac liberalitate regiâ eos in obſequio continere contendit: quos tantarum calamitatum pertæſos, quòd Skirgelonem bello infauſtum, pace crudelem odiſſent, alienatis ab eo voluntatibus, etiam in fide erga Regem non obſcurè nutare, ſermo erat. Miskorowio tamen nullâ ratione perſuadere potuit, vt pro Rege, Vilnæ præeſſet. Permoleſtæ, ac prope continuæ hoſtium incurſationes, maximè verò Skirgelonis arrogantia ac ſæuitia, patientiam viri planè profligauerat. Subſtitutus, eſt illi Ioannes Oleſnicki, ſtudijs militaribus, maiorumque antiquitate, per Poloniam in paucis clarus. Remanebat adhuc internarum proditionum fomes, exoſa Caſimiri Skirgelonis præſentia. Nolebat Iagelo mouere eum Principatu, earum ipſarum rationum reſpectu, ob quam Principem creauerat. Verùm res ipſa exigebat omnino, vt Vilnâ amandaretur. Liberalitatis ergo ſpecie in Ruſſiam eum relegauit, auctum Kiiouienſi Principatu, quem Vlodimiro, fratri natu maximo, ademerat. Ianuſſio quoque Mazouiæ Duci

A. 1390. Iagelo Rex in Lituaniam cum exercitu tardat.

Reip. ſtatum ordinat.

A. 1390. Drogicinum, Mielnicum, Bielſcum, attribuit ita, vt æquo cum cæteris per Lituaniam Ducibus iure, Regi ſubeſſet. Ita Mazouiæ Ducum opibus, contra Vitoldianas infeſtationes Podlachiâ firmatâ, cæteriſque per Lituaniam rebus ex ordine diſpoſitis, Poloniam Rex repetijt.

Redit in Poloniam.

1391. *Vitoldus Crucigeros in Lituaniā ducit.*

At Vitoldo nondum ſpes omnis capiendæ Vilnæ euanuerat. Nam, vt vis non ſuccederet, proditioni viam non defore videbat. Regij ergo in Poloniam reditûs occaſione vſus, ſuadere inſtitit Equitum Crucigerorum primoribus, ne grauarentur tertiò inſtaurare oppugnationem Vilnæ. Secundis auribus acceptus, non multis opus habuit, vt perſuaderet. Sciebant nullum exercitum à Rege relictum, qui arcendo apertâ acie bello, par eſſet. Solam proinde Principatûs ſedem, vnicum deſperatæ rei refugium, totam belli materiam fore augurabantur. Vitoldus ante alios gaudebat belli reliquum cum ipſo Skirgelone Vilnam compingi: quòd & mœnia infirma, facilè poſſe capi exiſtimaret; & odium præſentis Skirgelonis, plurimùm apud ciues ad proditionem valiturum ſperaret. Non minores certè animorum quàm corporum febres ſunt: cùm enim nimijs affectibus inardeſcunt, fingunt gaudia, quæ nuſquam ſunt. Ex inſana imperandi cupiditate Skirgelonem Vilnæ, Vilnam abſque munitione, Vitoldus ſomniabat. At iam Skirgelo Kiiouiæ agebat. Oleſnicius verò exuſtis vicinis arci ædibus, plebe omne intra infimæ arcis ſepimenta receptâ, locum vndique varijs operibus,

ribus, contra hoſtilem vim egregiè permunierat. Spe tamen plenus Vitoldus, ingentes copias, varijs machinis oppugnando neceſſarijs inſtructas, terrâ atque aduerſis fluuijs Nemeno ac Viliâ deduxit: ac ne tempus minore pretio tereret, ad caput rei admouit, Vilnâ obſidione cinctâ. Germanorum legiones armorum genere, & geſtorum memoriâ feroces, inter ipſa exuſtæ vrbis rudera, planâ ad Deiparæ Virginis templum arenariâ, poſuerant caſtra. Oleſnicius non ignarus quantùm virium ex primis belli veſtigijs, reliqui ſucceſſus ſumant, verebatur, ne ſi eam Germanorum ferociam non caſtigatam relinqueret, ſuorum animos imminueret. Non diu itaque cunctatus, hoſtem aggredi, priùs quàm caſtra curioſiùs permuniret, ſtatuit. Promptiſſimum quemque ad rem fortiter agendam hortatur: aciem intra vallum inſtruit: cohortibus ſingulis diuerſa mandata, pro loci commoditate, edicit: tum per decliues Vilnæ amnis ripas educto clam milite impetum in Germanorum caſtra facit. Depulſus eſt proximis ſtationibus hoſtis, multi Pruſſorum cæſi captique, nemo Lituanorum amiſſus. Plus tamen tumultûs, ac terroris, quàm periculi fuit. Oleſnicius enim conſcius virium, quàm impares debellando eſſent, non expectauit, donec receptis animis, maiore numero hoſtiles cohortes ad arcendum periculum concurrerent: ſed dato maturè ſigno receptui, victorem militem ſeruatis ordinibus, inter relicta ſuorum opportunis locis præſidia, intra arcem reuocauit. Creuêre ab eo euentu obſeſſis animi,

A. 1391.

Vilnam obſidet Oleſnicio feliciter eã defendẽte.

A. 1391. ex fortunato initio, non iniquum belli exitum augurantibus: Vitoldo autem, & Crucigeris, desperatio: præsertim cùm resciuissent solius Olesnicij ductu & auspicijs, omnia in arce geri; & Lituanorum in Skirgelonem odia, per eius absentiam, non leuiter refrixisse. Experiri tamen vim priùs placuit, quàm spem omnem abijcerent. Vniuersis copijs, semel iterumque oppugnatio instauratur: vtraque vice reiecta, cum clade oppugnantium. Nunciatur subinde Skirgelonem è Russia properare ad soluendam obsidionem. Vitoldus, siue metu, quòd fama Skirgelonis copias exagerasset nimiùm, siue ne in spem irritam diutiùs in eo loco tempus tereret, siue alio consilio, ad nuncium aduentantis Skirgelonis, properè solutâ obsidione in Prussiam mouit. In eo itinere, Nouogrodeci, quam munitionem nuper Skirgelo ad Viliæ ripam excitauerat, ex Vilcomergiæ ad amnem *Svvienta* sitæ, oppugnatione retardatus est. Per vim vtroque loco potitus, præsidia excidit, munimenta ac ædificia exussit. Assecutus est eum, haud procul inde Skirgelo: sed exercitum, ad carpenda auersa agmina, aut palantes liberiùs intercipiendos, quàm iustæ dimicationi comparatiorem habebat: modicum, & leuiter armatum. Ausus nihilominus apertâ acie signa conferre, post breue certamen, inconsultæ audaciæ pœnas luit, non minùs infelix, quàm temerarius; vt ferè in bellis indiuisa temeritatis comes est, infelicitas. Amisso exercitu, ægrè Trocos fugâ euasit, plus miseræ patriæ profuturus, si in acie mansisset, infeli-

Oppugnat cum suorũ clade.

Soluit obsidionem

Vilcomergiam & Nouogrodecũ capit.

Skirgelonem prælio fundit.

cem Principatum, & clades Lituaniæ, morte fortiter *A. 1391.* obitâ, conclusurus. Victores cæsis in campo armatis, cùm nihil per agros ad prædam, post iteratas toties populationes nancisci possent, in Prussiam redierunt. Modicâ ibi quiete refecto milite, instaurata est in Samogitia irruptio; quâ duo territoria bello hactenus intacta, peruastata sunt. Hyems successit nihilo æstate quietior Lituanis, Vitoldo neque ab hybernis expeditionibus temperante.

Samogitiam vastat.

Quòd enim Cauna Viliâ ac Nemeno confluentibus cincta, per æstatem difficilior accessu videretur; aquis per hyemem glacie instratis planiorem oppugnationem spondebat: eius capiendæ spe, tacito per syluas agmine Vitoldus progressus, inopinatò sub vallo cum milite comparuit. Valido opere arx, ciuitasque communita, firmo præsidio à Lituanis, ac Polonis stipendiarijs obtinebatur. Operosiorem proinde quàm crediderat Vitoldus oppugnationem reperit. Quoties miles admotus vallo, toties magno damno reiectus, Poloni præcipuè peditatûs insigni virtute. Desperatâ expugnatione, ne nihil egisse eâ expeditione dicerentur hostes, ad Insulas Nemeni, vnâ ferè leucâ dissitas digressi, nouas arces moliuntur. Duas insulas, Nouam & Equestrem, Neiuerder, & Retteruerder dictas, suo præsidio Crucigeri, tertiam Mettenburg vocatam, Vitoldus suo, firmarunt. Infesta nimiùm erant vicinis agris ea præsidia: exiguis, at frequentibus excursionibus, maiora quàm pro suo numero inferebant impunè damna.

Caunam frustra tẽtat.

Noua castella in Lituania excitat.

A. 1391. Ea Alexander Vigundus frustra oppugnat. Ea res Alexandrum Vigundum Kiernouiensem Ducem permouit, vt eiiciendi inde hostis curam susciperet. Tribus Polonorum peditum, & aliquot Lituanorum equitum turmis Retteuerdum aggressus, haud dubiè eo castello potitus fuisset, si adniti ampliùs voluisset, ne adultam iam deditionem desereret. Ex ipsis enim hostibus deinde cognitum est, obsessos ne aliquot quidem dierum moram laturos fuisse. Non diu ei expeditioni superuixit Vigundus, veneno domi suæ sublatus. *Moritur veneno sublatus.* Acer erat iuuenis, militaribus studijs ante alios fratres commendatus: ob quam laudem à Rege, germano suo, finitimas Prussiæ præfecturas, Bidgostiensem, & Inowloclauiensem acceperat. Verùm vt nemo alius inter fratres erat, quem magis Iagelo diligeret, ita non alius, cui Vitoldus esset infensior: oderat siquidem iuuenem, vt ætatis respectu minimum; ita indole ac meritis, plus quàm alios in spem Principatûs, ex omnium voto, surgentem. Inde fabuláne, an vera narratio fontem habuerit, nescio; vt propinati veneni suspicio, maximè ac prope vnicum, Vitoldum, apud vulgus notaret.

Iagelo conatur Vitoldũ reconciliare. Iagelo Rex expeditiorem Lituaniæ pacem fore certus, si Vitoldum Magnum eius Ducem renuntiaret, ne ad id consilium hactenus animum verteret, solius Vigundi respectus maximè obstiterat. Nam vt non difficile fore existimabat, Skirgelonem, ac Suidrigelonem, venationibus, commessationibusque, quàm gerendo Principatui aptiores, ab æmulatione auertere, collatis alijs possessionibus, vbi pro suo genio solitis vitijs op-

portuniùs

portuniùs indulgerent: ita Vigundi, nihil humile spi- A.1391.
rantis, ferocem animum, promptumque agendo ingenium, non poterat, non subuereri. Ea nunc curâ solu- 1392.
tus, liberiùs de reuocando Vitoldo cogitare, nec difficilem se eum præbiturum, credere. Cùm enim in omnes occupandi Principatûs vias, præceps ambitione ageretur, non ex vano promitti poterat, eum spe Principatûs firmiore, quàm alias fuerit, ostensâ, in regias partes concessurum. Ita decretum est, permolesto, ac diutino bello, quod neque Rex, Poloniæ negotijs oppressus, per se gerere posset, neque Skirgeloni infausto Duci permittere auderet, finem imponere: & Lituaniam ab extrema calamitate vindicare. Præsertim, quòd inde Lituani nimiâ vastitate exhausti sumptibus belli non essent, inde Poloni tanquam in alienam rem ægrè pecuniam conferrent. Consilio inito, cui tam secreti negotij moles tuto demandaretur, qui & apud Crucigeros extra suspicionem, & apud Vitoldum in auctoritate esset? Henricus Semouiti Mazouiæ Ducis filius nuper Plocensis Antistes dictus, delectus est ad obeundam à Rege apud Vitoldum legationem. Aduentûs eius causa, (quamquam plerique eam celari posse affinitatis prætextu opinabantur) non potuisset non esse suspecta Crucigeris: nisi sors ita tulisset, vt sub hoc ipsum tempus Vitoldus filiam suam Sophiam, Basilio Moschouiæ Duci magno apparatu in matrimonium Mariæburgi elocaret. Cum cæteris enim Principibus ad connubialem pompam, Henricum Annæ Vitoldianæ

per Henricũ MazouiæDucem.

 coniugis

A.1392. coniugis fratrem venisse credebatur. Accidit & alia res, quæ plurimùm momenti ad fallendos Crucigeros contulit. Henricus quamquam Diaconi gradu ad Sacerdotium inauguratus, iam aliàs, vt lubrica iuuenibus præsertim in opulentiore fortuna, morum constantia est, Sacerdotalis continentiæ pertæsus, & Ringalæ (soror ea Vitoldi erat formâ insignis, & florentissimâ ætate) amore æger, contemptunè an ignorantiâ sacrarum legum non constat, apud Vitoldum institit, vt Ringalam sibi coniugem daret. Neque Vitoldus abnuebat. Tyro quippe adhuc inter Christianos erat, vt non admodùm disciplinæ Romanæ gnarus, ita non nescius apud Russos Sacerdotum matrimonium non damnari.

Succedit Henrico conatus.

Cumulantur itaque solemnia: post Sophiam Moscho desponsam, Ringala despondetur sacrilegis nuptijs Henrico. Crucigeri interea id solum ab vxorio iuuene agi rati, minimè animis in alia intendebant: cæterùm Henricus ipso nouæ affinitatis iure fidentiùs cum Vitoldo agere permissus, quoties eum absque arbitris nancisci posset, Iagelonis mandata ac promissa depromere: obtestari ne tot stragibus ac impendijs, irrito conatu quæsitum Principatum, suapte venientem è manibus elabi sineret: per omnia hospitij ac iteratæ affinitatis sacra spondere, quàm primùm amicus Vilnam accessisset, ab Olesnicio intra mænia admittendum, summâ etiam rei in vrbem & arces permissâ: id à Senatu magno consensu suasum, id à Rege constitutum. Neque destitit animum Vitoldi, ex Superiorum memoria, præ-

Vitoldus Regi recōciliatur.

sentia

ſentia æſtimantem, variè verſare, donec excuſſis timoribus ac ſuſpicionibus, in fidem & amicitiam Regis inflexit. Vitoldus officijs hoſpitalibus perfunctus, vbi ſibi relictus eſt, ſupputare animo, quæ cum Henrico condixerat: vereri, inde ne quid Crucigeris ſuboleret; inde ne Rex more ſuo aliquid innouaret: moram itaque, velut periculum excutere: maturare conſilia, inſtruere abitum, miræ ac planè incredibilis ſolertiæ, in fallendis toties Crucigeris. Coniugem cum imbelli aula, ſpecie filiæ, in Moſchouiam abeuntis, honoris causâ aliquantùm deducendæ, in Samogiticas poſſeſſiones relegat: promptiſſimum quemque ſecum manere, in momenta paratum, iubet. Captatâ deinde occaſione cùm Mettenburgum, ſuæ ditionis arcem aduolâſſet, vicinum Retteruerderum inſperatus inuadit: leui cum imparatis pugnâ caſtello potitus, quotquot Teuthonici generis mercatores, aut milites deprehendit, cæſos in prætęrfluentem Nemenum abijci mandat, præcipuis Crucigerorum ſecum ductis. Vulgatâ citò eius cladis famâ, vicinorum præſidiorum præfectos ad arma exciuit: ſiue contemptu paucitatis, ſiue ſpe prædæ recuperandæ, rapto equitum agmine, Vitoldum in profundiora Lituaniæ abeuntem audaciùs inſequuntur. Vitoldus accepto eo nuncio, iubet captiuos prædamque omnem cum exiguo præſidio ſubſiſtere, ipſe remenſus iter, aptas inſidijs anguſtias cum armatis inſedit; quas cùm temerè hoſtis intrâſſet, omnes internecione deleuit. Cæſorum inde capitum numero inito, vti is, qui omnia

Cruci-

A. 1392.

Ex Pruſſia ſe ſubducit.

Crucigerorum arces inuadit, exſcindit.

A. 1392. Crucigerorum perſpecta habebat, facilè coniecit, quàm pauci ad præſidium arcium, cæteris ad inſequendum profectis manſiſſent. Quare celerrimè ſuos ad earum oppugnationem ducit: vacua prope milite caſtella nullo negotio occupat, exſpoliat, exurit, ac diruit: atque victor ad relictum ſuorum agmen reuertitur. Præmiſſo inde, qui Oleſnicium de ſuo aduentu edoceret, Vilnam rectà tendit. Oleſnicius tempeſtiuè mandatis regijs inſtructus, vti hactenus cupidè Vitoldum expectauerat, ita præſentem magnâ omnis humanitatis teſtificatione intra mœnia deduxit. Nihil honoris in eum omiſit, quem in ſpem Principatûs veniſſe non ignoraret, neque ambigeret tam certò amicum regium eſſe, quàm non dubiè Crucigerorum hoſtem cerneret, à recentibus eorum cladibus, cum præda atque captiuis, ouantis ſpecie, portas Vilnæ intrantem. Vt verò magis eum erga Iagelonem obſtringeret, atque fidendo fidere doceret, quemadmodùm imperatum à Rege fuerat, arcium Præfecturam, in nouum hoſpitem à ſe tranſtulit.

Vilnã ab Oleſnicio ſplendidè deducitur.

Celerrimis totius negotij nuncijs in Poloniam perlatis, Rex Iagelo cum Regina, procerumque Polonorum ſplendido comitatu in Lituaniam profectus eſt. Verebatur ne ex mora noui aliquid ſuboriretur diſcriminis: quod ex facili euenire poterat, quamdiu inter Skirgelonem & Vitoldum non conueniret. Inuectus eſt Vilnam magnâ Procerum, populique lætitiâ, quam affulgens publicæ tranquillitatis ſpes animis omnium affundebat: neque multùm moratus ad reconcilianda

Rex Iagelo Vilnam venit.

rei capita, Skirgelonem & Vitoldum Duces, toto conatu incubuit; arbitrium tamen concordiæ, vt extra inuidiam apud germanos ſuos eſſet, ſibi non ſumpſit. *A. 1392.* Ab ipſis Ducibus Regina Heduigis arbitra lecta: cuius operâ in eas conditiones, poſt longa verborum certamina, conuentum eſt. *Reginæ arbitrio Skirgelonem & Vitoldum recōciliat.* Alexander Vitoldus cum coniuge Anna, pro ſe, ſuiſque poſteris iuraret, ſe in regis obſequio ac fide, cum vniuerſis Lituaniæ ditionibus conſtanter manſurum: magni Ducatûs Lituaniæ factam cum Regno Poloniæ coniunctionem, ac ſocietatem integram inuiolatamque ſacroſanctè conſeruaturum: amicos ac hoſtes communes cum Regno ac Rege Poloniæ ſemper habiturum. Cum Skirgelone pacem, atque fraternam amicitiam coleret. Kiiouienſem Ducatum, cum omnibus eius ditionibus ſuis impenſis, ac milite, Skirgeloni eiuſque poſteris vindicaret. Trocos, Cremeneciam, & alias quaſdam minores poſſeſſiones ſtatim ei conſignaret. Caſimirus verò Skirgelo, attributis Ducatibus contentus, Principatum Lituaniæ non repeteret. Rex Iagelo neminem Vilnenſi, Vitepſcenſi, Merecenſi, ac Grodnenſi, arcibus præfectum, inſcio aut inuito Vitoldo imponeret. Lituania vniuerſa, cum ſubiectâ ſibi Ruſſiâ, ita ex forma, icti per Iagelonem cum Polonia fæderis à Vitoldo adminiſtraretur, vt ſub Regis Poloniæ imperio maneret. Hæ conditiones in tabulas relatæ, annulis ac ſubſcriptione capitum fæderis, atque adeò iureiurando firmatæ, ad publicum regni tabularium Cracouiam ſunt remiſſæ. Completis mox,

A.1392. quæ tempore non egebant, Vitoldus Skirgeloni suffectus est, atque Olesnicius Vilnæ administratione abire iussus.

LIBER II.

DE REBVS LITVANORVM

Sub Principe ALEXANDRO I. Vitoldo.



Lexander Vitoldus, Magnus Lituaniæ Dux renunciatus, nouam Reipublicæ fortunam orditur: quæ quamquam hactenus non pœnitenda fuerit, & deinceps satis florens; nunquam tamen aut rerum gestarum gloriâ, aut imperij amplitudine, augustior, quàm Vitoldo Principe. Vir erat ingenio vehemente, atque otij impatiens: & quemadmodùm famæ ac proferendi imperij auidiori, nunquam bellorum materia deerat, ita vix aliquando in susceptis expeditionibus ab euentu destituebatur, à puero militaribus artibus innutritus, solitusque impigrè exequi, quæ animo destinâsset. Magno apparatu, tum ipsius Vitoldi, tum coniugis Annæ inauguratio, Vilnæ in templo D. Stanislai, ab Andrea Wasilone Antistite Vilnensi peracta est: ritibus, quorum ab antiquo vsus erat, ad Christianæ religionis integritatem, ab omni superstitione castigatis. Fusa inde in publicum lætitia, mirum dictu, quantùm popularium animos exhilarauerit:

Alexandri Vitoldi Magni Ducis inauguratio.

Diuersimodè à varijs accipitur.

rit: pacem plurimùm expetitam, minimè ſperatam, A. 1392.
eoque iucundiorem, quà publicè, quà priuatim, omnes mutuò gratulari: varia hilaritatis argumenta in vulgus edere: fauſta omnia, nihilque mediocre, non ſolùm ex noui Principis indole, ſed etiam ex communi plebis vniuerſæ in hilaritatem conſpiratione, ominari. At verò qui non totos ſe lætitiæ illius ſenſui permiſerant, cogitationes profundiùs immittere, ſagacique mente veſtigare; quantorum motuum ſemina illo die iacta eſſent! quantùm ignis ſuperiniecto cinere ſepultum? Germani fratres conſobrino poſtpoſiti. Skirgelo Principatu exutus; Volodimirus, Demetrius Korybutus, Boleſlaus Suidrigelo, alijque præteriti. Kieyſtutiades imperans; Olgerdiadæ priuati, ac ſtipendiarijs accenſi. Vt calamitatum auctor præmium ſceleris haberet, quod ſupererat cladibus Lituaniæ, Vitoldo donatum. Plerisque omnino non perſanatum, ſed obligatum dumtaxat vulnus videbatur.

Et certè ſola ferè præſentis Regis auctoritas continebat, ne ipſa publicæ hilaritatis ſacra, aliquibus motibus funeſtarentur: at, vbi Rex abijt in Poloniam; non diu concepta animis ægritudo quieuit: quàm violentè fuerat diſſimulata; tam ferociter in apertum erupit. Caſimirum Skirgelonem ex amiſſo Principatu, & damni dolor, & pudor, exacerbabant; Boleſlaum Suidrigelonem ſpes interuerſæ: nam vti natu proximus Skirgeloni erat, ita ad ſucceſſionis iura primus. Skirgelo in audaciam pronior, Ruſſorum quoque gratiâ, ac pecuniâ *Skirgelo rebellat.*

 in

a.1392. in Principatu corrasâ potens, proprijs viribus bellum moliri cœpit, comparato per Russiam exercitu, Vilnam ac Vitoldum aggressurus. Suidrigelo, cui & ingenium timidius, & arctiores, quàm pro tanto ausu opes, & popularium exiguus fauor, spiritus minuebant; ad
Suidrigelo in Prussiā fugit. vim apertam domi impar, apud vicinos hostes consilijs suis subsidia quæsiuit. Nouus tunc Magister Equitum, Prussiam administrabat Conradus Iuningen: hic
1393. ad militarem fortunam, initio Magistratûs, apud suos probandam, suapte bellum optabat; quare non illibenter auxilia Suidrigeloni spopondit. non eius vtique gratia: sed Vitoldi, aut odio, aut metu. Nam & amicitiæ tot federibus instauratæ repentina rescissio, acuebat odium ad vindictam: & potentia inquieti ac bellicosi hominis vicino Principatu aucta, non ex vano metuebatur; præsertim si armorum cessatione firmatâ, formidolosior euaderet. Faciliùs nimirùm obsistitur malo, ne vires sumat, quàm validum iam viribus opprimi possit. Suidrigelo Crucigerorum armis succinctus
Padlochiā cum Crucigeris vastat. primùm priuatas Vitoldi ditiones inuasit, confinia Podlachiæ fædè peruastauit, Stramelam, Surazium, Grodnam arces vi cœpit; ac tria captiuorum millia in Prussiam abduxit.

Nouis turbis excitus Rex Iagelo properè in Lituaniam accurrit, omneque studium adhibuit, vt pacatis
Rex Iagelo Skirgelonem Vitoldo conciliat. consilijs, arma Skirgeloni excuteret: plurimùm apud eum auctoritate valebat, ægrè tamen id euicit, attributis ei, ad veteres possessiones, arcibus, earumque am-

plis

plis territorijs: Starodembo in Seueria, Cremeneco in Volynia, veteribus Trocis in Lituania. Neque Vitoldus in eis permittendis aut inuitum, aut difficilem se exhibuit: mallebat exiguæ partis detrimento, periculum totius redimere, vt conciliato sibi Skirgelone, liberiùs in solum Suidrigelonem, animum viresque intenderet. Ne autem per leuem quampiam dissensionem, noua bello materia deinceps daretur, inter vtrumque conuenit, vt exortæ controuersiæ solius arbitrio Regis decidendæ relinquerentur. In eodem congressu Vitoldus Principatûs sui inuidiam apud regios fratres volens imminuere, amicitiam eorum sibi varijs rationibus conciliare est conatus: atque inprimis beneficio in Andream Vigundum Ducem Trubecensem collato. Molientem turbas, atque Crucigerorum armis Principatum affectantem, primo sui regni anno Iagelo Andream in carceres coniecerat, atque in eum vsque diem in vinculis vitæ incertum detinebat. Pro eo Vitoldus enixè apud Regem egit, vt illius diei lætitiam geminare vellet, non solùm Vitoldo ac Skirgelone ob regiam auctoritatem, simultatem deponentibus; sed etiam Andrea ob Vitoldi preces in gratiam Regis recepto. Ægrè quidem, obtinuit tamen Andreæ vitam, libertatem, & possessiones. Ijs deinde Andreas contentus, tam procul à suspicionibus & periculo, quàm remotus à curia, priuatam vitam egit, nullamque deinceps Reipublicæ partem attigit; auctor insignium, rebus gestis familiarum, Polubinsciorum, ac Trubeciorum Ducum.

A. 1393.

Andream Vigundum libertate donat.

 Stabi-

A.1394. Suidrigelone instigãte, Crucigeri bellum adornant.

Stabilitâ per hyemem in Lituania pace, Iagelonem Poloni regni negotia reuocârunt. Suidrigelo verò incitare Crucigeros pergebat, vt per hybernam quietem bellum in primam æstatem apparare non negligerent. Non ordinarius modò exercitus nouis per Prussiam delectibus auctus est: sed etiam è vicina Silesia, Austria, atque adeò totâ Germaniâ, non modica auxilia contracta; multis ad honorariam militiam etiam ex Anglia, & Gallia, concurrentibus. Ordo siquidem ille Teuthonicorum equitum, quos vulgò Crucigeros vocabant, ob perpetuum armorum studium, pro theatro militaris gloriæ, eâ tempestate habebatur: quare non modò stipendijs actis celebres, ac emeriti milites, sed etiam expertissimi bello Duces, in Spem augendi Nominis, in Prussiam ex regnis Christianis confluebant.

Lituaniã inuadunt.

Conradus Magister equitum non suo tantùm, sed exterorum quoque exercitu fretus, adulto vere in Lituaniam mouit: ab vtraque Nemeni ripa agros latissimè populatus, aliquot arces Lituanis, Samogitisque eripuit. Legionibus ab agrorum populatione ad Mariæuerdum insulam contractis, antequam in profundiora Lituaniæ duceret, celebratissimum Prussorum annalibus, conuiuium in eadem insula eum instruxisse scribitur. Adhibiti mensæ Duces omnes, ac præcipui equitum, eo ordine, quem cuique eximiæ virtutis dignitas fecisset. Caput mensæ cessit Equiti Austrio Kinodiut, quòd solus sexaginta Turcas, se insequentes, occidisset. Proximus ei accubuit Fridericus Marchio à Misnia, ob

Conuiuiũ celebre prælio præmittũt

præro-

prærogatiuam familiæ, ex qua nemo vnquam ordinem deseruit. Tertius Comes Hildermirdus natione Scotus, quòd eo parente natus esset, qui vt Regem seruaret, se ipsum neci obiecit. Tum Comes Rupertus, ob imperium Romanum, ad quod vocabatur, spretum. Conradus deinde ipse, conuiuij illius structor, ob sponsam ætate ac formâ florentissimam, gratiâ ordinis Teuthonici desertam. Vestphaliæ signifer Degenhardus, quòd aduersarijs, qui parentem suum occiderant, veniam indulsisset. Fridericus Eques quòd nihil vnquam negâsset ei, qui interposito D. Gregorij nomine aliquid postulasset. Denique reliqui, pro merito quisque. Conuiuium non ad militarem frugalitatem, sed ad vrbanas delicias instructum, horas quinque tenuit, ac quingentis marcarum millibus constitit. Nam non cibi modò ad luxum apparati incredibili copia apponebantur, sed etiam vtensilia omnia, argentea atque aurea, mensæ illata, conuiuis cedebant. Hoc veluti congiario militari, animatis Ductoribus, Conradus rectà mouit contra Vitoldum, ignarus tantis impensis ad lanienam eos saginatos. Idem enim annalium Prussicorum scriptor, qui conuiuium hoc memorat, confirmat pugnatum fuisse cum Vitoldo ad Vilnam, victumque eo prælio Conradum, triginta suorum millia in acie amisisse. Cæterùm apud Lituanarum rerum commentatores, nulla aut conuiuij huius, aut tantæ cladis mentio reperitur. Quod si superioribus annis hæc contigisse, quispiam contendat: necesse erit alios à Vitoldo

A.1394.

A Vitoldo profligantur.

A.1394. do & Conrado Duces, ei bello aſsignare. At compertum habetur, hoc primùm anno, cum ingentibus exterorum ſubſidijs bellum à Conrado contra Vitoldum geſtum eſſe, atque poſt vaſtatos agros, Vilnam obſidione cinctam. Per duos menſes nihil omiſit Conradus, eorum, quæ ad capiendas vrbes, à peritis adhiberi ſolent: poſteaquam verò ea omnia fruſtra fuêre, Suidrigelo ad fraudes ſe conuertit. Impigro è familiaribus iuueni mandat, vt transfugæ ſpecie in vrbem tranſeat: ſi fortè fidem inueniret, atque intra mænia admitteretur, quæreret idoneos, ſibique fauentes, quorum operâ vtriuſque arcis munimentis ligneis, ignis ſimul ſubijceretur. Receptus abſque metu proditionis, veluti transfuga, non alios deſignati facinoris arbitros miniſtroſque adſciſcit, quàm græcæ religionis Monachos Ruſſos. Illos Suidrigeloni, ſectæ ſuæ eximio fautori, non parùm obnoxios faciliùs poſſe ſollicitari ſperabatur, faciliuſque deſtinata exequi, quòd reuerentiâ religionis, huc atque illuc per otium circa mænia commeare, liberè ab excubitoribus permitterentur. Non fuit opus magnâ contentione, vt perſuaderetur ſcelus: onerati promiſsis, exhibitâ quoque non modicâ pecuniâ addicunt operam: monetur Suidrigelo vt in occaſionem expeditos haberet oppugnatores. Succeſsiſſet procul dubio facinus, niſi ex eorum ipſorum Monachorum numero quiſpiam, ſiue pietate in patriam, ſiue ſpe maioris quæſtus permotus, conſilia proditorum arcis Præfecto indicaſſet. Hoſtes in omnia intenti, cùm inſtructas

poſt Vilnã fruſtra oppugnatã vi,

& fraude Suidrigelonis.

ctas ad oppugnationem copias, condicto tempore intra vallum tenuissent, vbi nihil ab arcibus moueri aduerterunt, euulgatam fraudem coniecerunt, desperatoque vlteriore successu paulò post obsidionem soluerunt. Non procul inde Vitoldus suas copias habebat; sed prudens conferre castra non audebat: quod non ignoraret, & armorum genere, & bellatorum multitudine, longè validiorem Crucigeris exercitum esse. Solitâ nihilominùs celeritate non mediocriter afflixit hostem. Cùm tempus obsidione trahitur, expedito equite semel iterumque Prussiam inuasit, ac obuijs vastatis reuersus in Lituaniam celeriter, non pabulatores modò securiùs palantes, sed vigiles quoque pro castris excubantes, intercipiebat: in castra ipsa, alibi tumultu excitato, alibi cæde editâ, incursabat. Neque minùs infestum iter redeuntibus fecit: modò auersa agmina, modò alas à lateribus, carpere; modò præcursores insidijs excipere. Fulguris instar suos huc atque illuc circumagebat, tanto successu, vt damna Lituaniæ, Crucigerorum damnis exæquâsse existimaretur. Crucigeri reductis in Prussiam copijs non diu quieuerunt: trifariam diuiso exercitu, diuersas Lituaniæ Prouincias populati sunt per hyemem. Mareschalcus ordinis Henricus Tettinghar ipsam Lituaniam, Vlricus Iuningen Iudex Sambiensis, frater Magistri, Miednicenses ac Rosienenses in Samogitia agros, Conradus Koborg Balgensis Præfectus Drohicensem in Podlachia tractum. Non tamen impunè: nam eâdem hyeme Crucigeris ad hy-

A. 1394.

Mutuò se inuicem cladibus Crucigeri ac Lituani affligunt.

A. 1394. berna digreſſis, Vitoldus inſperato, cum leuiore equitatu in Pruſsiam irrupit, ac circa Inſterburgum omnibus præuaſtatis, vicem hoſtibus refudit.

Vitoldus ſubiectos ſibi Duces aggreditur

Poſt biennale cum Crucigeris bellum, mutuis quidem cladibus, maiore tamen Lituaniæ damno geſtum: de inſtaurandis propè collabentis Principatûs viribus Vitoldus agitare ſecum cœpit. Quantumuis Suidrigelo quieſceret, à Crucigeris nihil quieti ſperari poſſe, quos non pacis ſtudio, ſed reſpirandi neceſsitate, arma dimiſiſſe, campoque exceſsiſſe conſtaret: Prouincias Pruſſis conterminas, Lituaniam, Podlachiam, Samogitiam hoſtium populationibus miſerè afflictas, ærario Principis diuturnis ſumptibus exhauſto, impares fore vlteriori bello: remotiores verò, Kiiouiam, Seueriam, Podoliam, Regiorum fratrum ambitione, vix in Vitoldo ſupremam Magni Ducis auctoritatem agnoſcere; nedum aliquid in bellicos vſus, contra Lituaniæ hoſtes, aut militis aut pecuniarum conferre velle: ſi tamen ad obſequium veteri more Magno Duci debitum adigerentur; haud dubiè non exiguam virium acceſsionem
1395. futuram. Præcipui Ducum erant, Demetrius Korybutus Dux Seueriæ, Volodimirus Dux Kiiouiæ, Theodorus Coriathus Dux Podoliæ, opibus ac milite potentes. Eorum itaque animos priùs experiri inſtituit, miſſis legatis, qui pecunias ex eorum Prouincijs, in ærarium Magni Ducis Lituaniæ, inferri olim quotannis ſolitas, repeterent. Siue collato conſilio, ſiue ſuo quiſque impetu; ferociùs omnes legatis reſponderunt; ac præ-
ſertim

ſertim Demetrius, ante alios, alieni imperij minùs patiens. Reſpondit ille: Olgerdo ſe Magno Duce Lituaniæ progenitum, Iagelonis Regis fratrem, nihil Vitoldo debere. Fruſtra in ſe captioſis legationibus aliena imperia extendi, qui fraternum etiam non priùs ferre cœpiſſet, quàm armis domitus. Abundè Vitoldo à ſe conceſſum, quòd permitteret eum quietè imperare in Lituania, cuius ipſe hæres eſſet. Permitteret igitur viciſsim Vitoldus Demetrio, æquo cum alijs Ducibus iure, in ſolo Rege ſupremam poteſtatem agnoſcere. Si verò tributarium ſibi eum velit habere, neceſſe eſſe, vt priùs hoſtem ſentiat. Longè magis è re ſua Vitoldum facturum, ſi omiſsâ tributi ac ſubiectionis omni mentione, amicum ſeruaret. Noti erant Vitoldo, hominis feroces ſpiritus: quare cùm non aliud, quàm quod datum eſt, reſponſum animo præcepiſſet, maturè per Lituaniam ac Samogitiam collegerat copias, quas reuerſis legatis contra Demetrium duceret. Verùm neque Demetrium latere poterant Vitoldi conſilia: cùm ex ipſa legatione conſtaret, bello materiam quæſitam eſſe. Lecto properè exercitu, auxilijs quoque Tuerenſium auctus, ne bellum intra ſuas ditiones acciperet, prior in Lituaniam mouit. Ad Niekudouum collata caſtra; neque diu ceſſatum à prælio; eductæ in aciem copiæ acriter concurrerunt, cùm fortuna neutrò inclinans ad plures horas pugnam protraheret: tandem Ruſſorum acies primò nonnihil turbari, ac pedem aliquantum referre. Id verò vbi ſenſit Vitoldus, totis ſimul viribus

A. 1395.

Cum Demetrio Seueriæ Duce cōfligit.

A. 1395. Profligat Seuerios. ribus cônnisus inclinatos impellere, turbatis instare; denique cum fortissimorum cuneo in mediam se aciem inserit, quâ perruptâ, Russos in effusam fugam conicit. Misso leuiore equitatu qui fugientes sequeretur, omniq́ue studio caueret, ne aut locus, aut otium sese recolligendi victis daretur: ipse lectis spolijs cum robore exercitûs in Seueriam successit. Caput Prouinciæ erat Nouogrodecum, vrbs perampla, non priuatorum tantùm opibus, sed Principis etiam gazâ, opulenta: nam & ab antiquo sedes Seueriæ Ducum fuerat, & Demetrius ibi coniugem liberosq́ue habebat, atque ab infelici pugna, cum præcipuis suorum eò se ex fuga contulerat. Quamquam verò & defensorum copiâ, & vallo (vti mos gentis eo tempore ferebat) ligneo, satis valida esset, oppugnare tamen eam Vitoldus ausus est. Nouogrodecum oppugnat, & capit. Multùm omninò intererat eâ potiri, quòd miles refici, ærariumq́ue insigniter iuuari ex præda posset: & Demetrius captus, prorsus debellari. Obsidio longiore tempore egere videbatur: verendum autem erat, ne mora victoriæ cursum abrumperet, cæteris Russiæ Ducibus ad propulsandum à Demetrio periculum concurrentibus, quod, eo oppresso, omnibus commune futurum esset. Totum itaque rei benè agendæ momentum à celeritate pendebat. Quare Vitoldus cum decreuisset coronâ vrbem aggredi, vocatis ad se tribunis ac præfectis imperat: omnia ad vim comparata habeant, militemq́ue quà priuatim, quà publicè moneant. Vrbe non capta, victoriam nuper in campo partam, non quietis,

ſed calamitatum in Lituania ſementem fore: verùm *A.1395.*
eius victoriæ fructum, vnico vallo clauſum ſub eorum
oculis, ac manibus poſitum eſſe: non curarent mænia,
pro quibus ſtarent profligatorum reliqui ex recente pauore
necdum animis receptis: nihil eſſe ampliùs neceſſe,
præterquam audere, & ſolitâ alacritate hoſtem aggredi,
adnitique aliquantum; id ſi facerent, victores vno
impetu euaſuros: amplitudinem vrbis audaciæ incitamentum
debere eſſe, quòd quantò amplior eſſet, tantò
opulentiorem victoribus prædam ſeruare. Hæc Vitoldus
coram Tribunis; eadem tribuni ac præfecti apud
vulgus militum; eadem milites per contubernia iactare
ac exagerare: vnde mutuis cohortationibus inflammato
exercitu, quiſque prælij ſignum auidè expectare. Dato
tandem ſigno, tanto ardore ac impetu in mænia ac
hoſtes vndique procurſum eſt: vt licet hoſtis impigrè
certaret, iam tamen appareret eum de victoria deſperare;
magiſque neceſſitate pugnandi, quàm ſpe vincendi
decertare. Nihil verò ita perdidit Demetrianos, vt
incendia pluribus ſimul locis coorta: ignes enim ad
eum vſum inſtructis machinis ciuitati iniecti, facilè tecta
ædeſque ligneas corripiebant; & per cuniculos ſub
ipſas munitiones ab aliquot partibus perductos, ſecurè
Vitoldiani commeantes, flammas turribus portiſque
ſubijciebant. Tam ancipiti malo propugnatores diſtracti,
cùm in vtrumque non ſufficerent, vrbs capta eſt,
atque direpta. Priuatarum ædium præda, promiſcuè
militi; Principis Demetrij theſauri, & quidquid opum

 in

A.1395. in arcem aut templa comportatum fuerat, Vitoldi fisco
Seueriam Lituaniæ subijcit. cessit. Vniuersâ deinde Seueriâ, nullo negotio sub vetus Magni Ducis Lituaniæ ius receptâ, Prouinciæ Præfectus impositus, qui eam pro Vitoldo obtineret, prouideretque, ne quid belli à Demetrianis emergeret. Demetrius cum coniuge ac liberis Vilnam ablegatus, diu in superiore arce detentus est: neque priùs libertati restitutus, quàm Alexander (vulgò Holha) Dux Rezanensis, multis precibus interuenisset, ac vadimonio adpromisso, Vitoldum conciliâsset. Atque, vt nihil ad do-

Demetrio patrimonium attribuit. mandos contumaces spiritus potentius est aduersâ fortunâ, iam Demetrius in diuturno carcere didicerat subesse. Post obligatam iureiurando, erga Vitoldum eiusque successores Magnos Lituaniæ Duces, fidem, amplas possessiones ab eo accepit Braslawiecium, Winniciam, Cremeneciam, Sokolecium; quibus contentus Seueriam ambire desijt. Vir multis nominibus celebris,

A quo Duces VVisniewiecij, genus ducũt. Zbarazij ac Wisniewiecij ciuitatum conditor, à quibus desumptos titulos, cum sanguine Korybutano Duces Zbarazij, ac Wisniewiecij, Demetrij posteri, ad nostram ætatem deduxerunt, Imperatoriâ gloriâ, nemini per Poloniam ac Lituaniam secundi.

Volodomiro Kiiouiam adimit. Demetrio domito contra Volodimirum Kiiouiæ Ducem, arma Vitoldus vertit. Dúo in publicum probabantur, quæ belli illius indignitatem apud vulgus emollirent: par inprimis Volodimiri cum Demetrio causa, tum recens cum Iagelone pactum, quo vrgeri videbatur Vitoldus ad Kiiouiam proprijs impensis Skirge-

loni

loni asserendam. At reipsa priuatarum offensarum memoria vindictam fodicabat, quòd Vitoldo in Prussia exulante, Volodimirus maximè Iageloni obstitisset, ne Vitoldum Magnum Ducem renunciaret; auxilijsque suis iuuisset, cùm Podlachia, Grodna, cæteræque possessiones armis regijs, Vitoldo adimerentur. Neque Volodimirus spes suas clade Demetrij metiri: intrepidè bellum apparare; quidquid ad repellendam vim spectaret, neque negligere, neque segniter curare. Vitoldus, vt Skirgelonis causam se agere probaret, Owruczam, Zitomirumque arces vi expugnatas Skirgeloni attribuit: inde contra Volodimirum, qui iam in campum prodierat, duxit. Antequam castra conferrentur per opportunè à Iagelone missi primores Poloni adfuerunt: eorum interuentu, & fraternæ acies parricidali prælio abstinuerunt, & belli Duces certis conditionibus concordiam inierunt. Volodimirus Kiiouiæ Ducatum resignauit Skirgeloni: Vitoldus Volodimiro perpetuo iure donauit Kopylum cum latifundijs ad triginta leucas excurrentibus. In ea deinceps portione Volodimirus, conquieuit, neque aliquid deinceps molitus est: habebat satis, extra inuidiam & periculum, eas possessiones pro posteris exornare. Conditâ ciuitate Slucko, per Alexandrum filium (popularibus Olelkonem) Slucensium Ducum nomen, vt dignitatis gradu humilius; ita rerum fortiter pro patria, præsertim contra Scythas, gestarum, maiestate amplius; ad posteritatem transmisit.

A. 1395.

Skirgeloni attribuit.

Skirgelo

A. 1395.
Skirgelone veneno extincto.

Skirgelo neque moram paſſus, ſine qua arces promiſſæ ordine conſignari non poterant, loca aliqua vi occupauit: inquieto ac ſuſpicaci animo, omnia æquo tardiùs, neque ex fide fieri videbantur. Verùm hanc noui Principatûs voluptatem, tam impotenter quæſitam, aliena improbitas, non diuturnam ei fecit. Cùm enim in venandi oblectamenta effuſior Skirgelo, ad propinquum Ruſſorum Monachorum prædium diuertiſſet, poſt lautiorem cænam, vbi potu incaluit, abſque prælibatore hilariùs poculis certanti, eorundem Monachorum præpoſitus, Metropolitani Antiſtitis Kiiouienſis Vicarius venenum clam affudit. Scelerato exemplo, ſed multis optabili euentu; cum vitâ Principis inuiſi, fata eorum, quorum malo victurus erat, prærepta ſunt. Intra paucos dies vi mali conſumptus Kiiouiæ obijt: Kiiouienſes vti in viuis ob prodigam liberalitatem carum eum habuerunt; ita mortuum regio funeris apparatu, in celebres eius regionis cryptas intulerunt. Suffecit ei Vitoldus Ioannem Algimundum Holſanenſem Ducem, ſuarum expeditionum, exiliorumque indiuiſum comitem, non tamen Ducis Kiiouiæ titulo, ſed ſolâ Gubernatoris poteſtate.

Algimundum ei præficit.

Solus iam reſtabat Theodorus Coriathus Dux Podoliæ, qui ex ſociorum clade nihilo, aut modeſtior aut timidior, eò maiore curâ bellum inſtruebat, contra Vitoldum, quò certior erat ſoli ſibi illud gerendum. Ante viſum hoſtem, conſertaque arma, ex ſolâ ſociorum fortunâ, animo vinci, nimis quàm turpè eſſe, aiebat: ſape-

Theodorū Podoliæ Ducē prælio fundit.

rent

rent illi alienis malis, qui nihil ſpei domi ſuæ haberent; *A. 1395.* ſibi neque Vitoldi felicitatem, quæ victoribus perquam lubrica eſt, adeò æſtimandam, neque vires proprias eſſe contemnendas. Cum valido itaque exercitu, quem per Podoliam, & Valachiam collegerat, Vitoldo ad Braſlauiam occurrit. Vitoldiani geminâ victoriâ feroces, tanto ardore in hoſtem iuerunt, vt prope vno impetu eum profligauerint. Effuſis in fugam ſuis, inſtante acriter Vitoldo, ægrè Camenecum Theodorus euaſit. Non poterat tam properè inſtaurare copias ad rem aperto campo reſtituendam; arcem itaque validis præſidijs firmat, certus inde bellum trahere. At Vitoldus victoriâ, priùs quàm eius fama conſeneſceret, celerrimè ad finiendum bellum vſus, non Cameneco, cuius oppugnatio difficilior, nihil ſpei ad celeritatem faciebat, robur exercitûs admouit: ſed copijs diuiſis, propè *Podoliam vniuersã occupat.* fugientium tergis inhærendo, varia Podoliæ caſtella, oppida, arceſque improuiſus inuaſit. Ijs partim metu, partim voluntate, fortunam victoris ſecutis, cùm nihil aut Demetrio ad ſpem, aut ſibi ad periculum totâ Podoliâ remanſiſſet, Cameneci oppugnationem orſus eſt. Vix tamen aliquid ſub ea arce profeciſſet, cuius admiranda naturæ beneficio munitio, omni hactenus vi ac induſtriâ humanâ, ſuperior permanſit. Sed quid tam tutum, validumque quod diſcordiâ non pereat? quid tam inacceſſum, quò animorum diſſenſio non penetret? Siue Vitoldi artibus, ſiue alia ex cauſa, ortis inter *Camenecũ deditione recipit.* Podolios ac Valachos diſſidijs, velut ſtrato ruinis muro,

ro,

A. 1395. ro, via hoſti aperta eſt: omnem communis ſalutis tuendæ curam, apud exacerbatos aduersùm ſe animos, priuata odia reſtinxerant. Mittuntur legati de tradendæ arcis conditionibus acturi: quibus, cùm Vitoldus nihil pacati reſpondiſſet, omnia eius arbitrio ab obſeſſis permiſſa ſunt. Arce deditâ, Podoliâ vniuersâ Lituaniæ rurſus adiunctâ, præſidia ac præfecti Lituanæ originis arcibus oppidiſque ſunt impoſiti. Theodorus Dux, cum familia, Vilnam abductus. Pupugit ea res non leuiter Polonos, veritos ne veteres eorum in Podoliæ poſſeſſionem prætenſiones Vitoldi victoriâ antiquarentur: præſertim, quòd Vitoldus, haud immemor bellorum, quæ Lituani Olgerdo Duce geſſerant, vt Scythas Podoliâ depellerent, eam Prouinciam non ſolùm tanquam recentis victoriæ præmium, verùm etiam tanquam antiqui iuris ditionem ſe obtinere, non diſſimularet. Multis proinde laborandum Iageloni fuit, vt Vitoldo non inuito, ius Polonorum aſſereret. Verùm Vitoldus, eâ maximè causâ, vt Polonos Regi magis deuinciret, flecti ſe tandem permiſit: impenſarum tamen nomine quadraginta millia æris Polonici (florenos dicimus) poſtulabat. Pecuniâ, quòd publicum ærarium exhauſtum bellis eſſet, à Spitkone de Melſtin Palatino Cracouienſi ſuppeditatâ, Camenecum, Smotriciam, Skalam, Czeruonogrodecum, Regno ac Regi reſtituit: quæ deinceps poſſeſsiones Spitkoni fiduciario iure, à Rege ſunt attributæ. Eadem occaſione inter Regem, ac Vitoldum conuenit, vt Seueriæ Ducatui, pro Magno Lituaniæ

Cum Polonis de Podoliæ poſſeſsione tranſigit.

Theodorũ Sãguſzko Ducem Seueriæ renunciat.

niæ Duce, Dux Theodorus Sanguſzko præficeretur. *A.1395.*

Pacata iam videri poterat vndique Lituania, ſi quieſcere voluiſſet Suidrigelo: at ille creſcente ex Vitoldi ſucceſsibus inuidiâ, ampliùs furere; eoque audaciùs, quòd alienis vt armis, ita & periculis fureret. Crucigerorum *Crucigeri* in Pruſſia & Liuonia Magiſtros aſſiduò contra Vitol- *Lituaniã* dum ſolicitabat. Ad VIII. Id. Febr. Lituaniam, tum Sa- *vaſtant.* mogitiam fœdè vaſtârunt. *1396.* Vitoldus copias adhuc per Ruſſiam in hybernis habebat: paucis autem cohortibus, cum quibus in Lituaniam redierat, nihil momenti agi poterat, ſiue populantibus occurriſſet, ſiue abeuntes inſequi voluiſſet. Ne tamen impunè hoſti ea excur- *Vitoldus* ſio abiret, contractis quàm primùm ſuis, Liuoniam in- *Liuoniam* uaſit; agros populatus Dinemburgum ad Dunæ ripam vi expugnauit. Non ambigo eo etiam maximè conſilio arma à Vitoldo in Liuoniam verſa fuiſſe, quòd per *Suidrigelo* exploratores conſtitiſſet, Suidrigelonem ex Pruſsia in *in Liuoniã* Liuoniam tranſijſſe. *tranſit.* Metuebant autem prudentiores, ne inde in propinqua loca, hactenus Crucigerorum vaſtationibus intacta, aliquid moliretur. At Suidrigelo aliò animum ac conſilia flexerat. Videbat illo latrocinij potiùs, quàm belli, genere, quo per interualla ſubitis irruptionibus Lituania ac Samogitia infeſtabatur, ſolos Crucigeros ſaginari; ſe perinde inope ac exule remanente. Cum Ruſsis ergo proceribus agitare cœperat, de rationibus Ruſsiæ occupandæ, ex qua ſuis auſpicijs, *Cum Ruſ-* bello Vitoldum perſequi poſſet. *ſis conſpi-* Non adeò diſsita à Li- *rat.* uoniæ finibus, Albæ Ruſsiæ Prouincia opulenta, Vite-

A. 1396. pſcia, à Theodoro Wioſna Regiarum in Lituania venationum præfecto, pro Iagelone Rege obtinebatur. Etſi enim iam ante fuiſſet per Olgerdum Lituaniæ Principatui adiuncta, Iagelo tamen eam, velut paternæ hæreditatis portionem ſibi retinuerat. Cæterùm (vt ferè fieri ſolet, cùm regiarum cupiditatum miniſtris confinia regnorum committuntur) minùs ſolicitè, ne dicam, negligentiùs, tanquam extra periculi ſuſpicionem habebatur: Vitoldus quoque, vt in re aliena, pericula eius aut ignorabat, aut diſsimulabat. Suidrigelo itaque Ruſſorum proditionis ſecurus, exploratis per Polocenſes ſiluas vijs, tacito agmine tranſgreſſus, cum aliquot Liuonici militis millibus Vitepſciam inuadit; ciuitatem Vitepſcum, geminamque arcem, non ſolùm operibus, ſed etiam opportunitate loci, eximiè munitam, nullo negotio capit: inde Orſzam, ac reliqua inter Boryſthenem, & Dunam loca, Ruſsis ſponte ſub imperium eius concedentibus, in poteſtatem redigit. Celerrimis nuncijs Iagelo ea de re edoctus, non tam damni ex Prouinciæ iactura, quàm ignominiæ (Præfectum enim Prouinciæ Wioſnam Suidrigelonis mandato ex muris præcipitem actum, ceruicibus fractis, perijſſe nunciabatur) impatiens, Vitoldo mandat, ne priùs quieſcat à bello, quàm recuperata Prouinciâ, oppreſſoque Suidrigelone.

Vitepſcenſem Prouinciam occupat.

Vitoldus ſuaptè in id bellum pronior, quòd Albæ Ruſsiæ Prouincias cuperet obſequentiores imperijs Magni Ducis Lituaniæ, quàm ſe exhiberent; lubens eam curam ſuſcepit. Orſza per breuem vim expugnatâ,

Vitoldus cõtra Suidrigelonẽ mouet.

Druckum

Druckum mouit. Drucenses enim Principes, primorum Russiæ Regum progenies, sub initia horum motuum minùs Vitoldo addicti, Suidrigelonem apertè fuerant secuti; at repentino bello oppresi, maluerunt incertam Vitoldi clementiam supplices, quàm armati ferrum experiri: neque difficulter post obligatam Vitoldo, eiusque successoribus iureiurando fidem, veniam obtinuerunt. Georgius quoque Suetonslaides Smolenscensium Princeps, quamquam in absentem Vitoldum, non dubium se hostem gessisset, præsentium armorum terrore, inimicitias dissimulauit, atque vt fortunæ consilia applicaret, copias suas Vitoldo coniunxit. Smolenscensium accessione auctus Vitoldi exercitus, Vitepscum ductus est. Mensem integrum oppugnatio tenuit: non quia neglectum est aliquid, quod in eiusmodi euentibus probatum profuerat; sed quia Suidrigelonis non tam exhortationibus, quàm imperijs & minis animati præsidiarij, ac præsertim Liuones, summâ contentione resistebant. Trigesimo demùm die Vitoldiani in arcem inferiorem per stratos ruinis muros perruperunt: occupatis mænibus, pauci ad cædem sunt intercepti. Desperatis enim rebus magno tumultu milites iuxta ac ciues in superiorem arcem, montis iugo impositam, euaserant. At hoc ipsum, ad celeriorem perniciem plurimùm contulit. Quo maiore numero promiscua cum liberis ac coniugibus, multitudo confluxerat, citiùs omni absumptâ annonâ, fames primùm (validissimus ad expugnandas arces aries) subsecuta,

A. 1396. Proceres Russorum domat.

Vitepscum obsidet.

Vi capit.

A. 1396. mox ab intolerantiâ famis, priuatorum contra Suidrigelonem occultum murmur, tum aperta plebis gregarijque militis seditio. Cùm pauci hostem, nemo famem, diutiùs sustinere vellet, Suidrigelone nequidquam obsistente, tumultu, non consilio aliquo, arx Vitoldi arbitrio permissa est. Vitoldus recuperatam Prouinciam atque castella Lituano præsidio communiuit: Suidrigelonem captiuum, cum victoriæ nuncio, ad Regem misit.

Suidrigelonem captiuũ Regi mittit.

Confecto eo bello victor exercitus in Lituaniam dimittebatur, cùm nunciatur Smolenscensium Principem Georgium, ex socio repentè hostem factum, in reditu ex castris Vitepscensibus, magnam Orszani fundi partem hostiliter inuasisse, eiectisque possessoribus, agros inter suos clientes partitum esse. Expostulanti per legatum Vitoldo de iniuria, non modò nihil pacati, sed etiam arroganter respondebatur. Socer enim Georgij Dux Rezanensium Holha, exsurgente in vicino Vitoldi potentia, mistâ metu inuidiâ æger, augebat iuueni animos ac turbulenta consilia. Vitoldus malum in ortu compescendum ratus, signa Lituaniam petentia, in Russiam absque mora redire iubet: Orszano agro hostes depellit, Smolenscum rei caput, bello petit. Georgius, vti mos quibus in lingua Mars totus, postquàm aduertit rem ad manus deductam, neque viribus, neque animo, in bellum suffecit: non aperto campo credere, non Smolenscensibus vallis fidere: præmaturâ fugâ, cum coniuge ad socerum, belli facem, euasit.

Smolenscum Georgio Duci ademptũ.

ſit. Deſerti à Principe Smolenſcenſes, eò melioribus conditionibus, quò maturiùs, cum arce atque Vniuerſa prouincia ſub imperium Vitoldi concesſerunt. Hlebus quoque Georgij frater facilè impetrauit, ne innoxium, vti videri volebat, fraterni criminis, par cum fratre diſcrimen, eum inuolueret; ſi antiquo maiorum ſuorum patrimonio exueretur. Subſtitutus Georgio Hlebus non diu in fide manſit, Rezanenſi ignem, materiamque rebellionis miniſtrante: quàm primùm Vitoldus in Lituaniam mouit, Hlebus ad fraternum genium rediјt; auſus apertè imperia Vitoldi aſpernari, & obſequium erga Magnum Lituaniæ Ducem, cum vniuerſa Prouincia excutere. Importunè omnino is motus Vitoldo acciderat aliud bellum totis Lituaniæ ac Ruſſiæ viribus meditanti. Et ſi enim in promptu copias habebat, quibus rebelles Hlebi ſpiritus reprimere poterat, dolebat tamen militis & temporis iacturam. Mutua ſiquidem, licet inæqualia, vincentium ac victorum damna eſſe; atque vt ferrum cædendo ligna, obtundi, ita exercitus vincendo, conſumi neceſſe eſt: quidquid autem gerendum eſt ſuo tempore eget ac morâ. Veritus itaque Vitoldus, ne ſi contra Hlebum moueret, dum eâ expeditione & tempus & miles teritur, Ruſſorum ad Scythicum bellum ardor conſeneſceret: ita conſilia in Smolenſcenſem intenta diſſimulauit, vt vicini Duces, ipſeque Hlebus, priùs intellexerit Smolenſcum à Vitoldo occupatum, quàm Vitoldum ex iniuriæ ſenſu vltionem meditari.

A. 1396. Hlebo eius fratri attribuit.

Hlebo rebellãte iniuriã diſsimulat.

Cele-

A. 1396. *Scythici belli occasione Hlebum fallit.*

Celebratiſſimus Scythicorum populorum, trans Volgam habitantium Ductor, Latinis dictus Tamerlanes (Ruſſis *Temirkucien*, Scythis *Temirkutki*, Moſchis *Temirakszak*, id eſt felix, aut claudum ferrum) Tachtamem Scytharum quoque regulum bello oppreſſum, paternis ditionibus eiecerat. Tachtames cum præcipuis primorum, quos *Murzas* & *Vlanos*, vocant, ad Vitoldum confugit, faciliq́ue negotio perſuaſit, vt reſtituendi illius in auitum regnum cogitationem ſuſciperet. Non ignoro proditum eſſe à quibuſdam, augendæ famæ imperijq́ue proferendi cupiditate tam audax conſilium à Vitoldo admiſſum eſſe. At perpendenti, quòd quantacunq́ue ea fuiſſet, bellis Pruſsicis abundè exſatiari potuiſſet, propius longè verò videtur, eum ex Ruſsiæ ſeruandæ ſolicitudine Scythici belli curam ſuſcepiſſe. Cum enim Tamerlanes magnâ orbis parte euaſtatâ, fractaq́ue Baiazetis Turcæ potentiâ, reliqua regna magno metu concuſsiſſet: inprimis timendus erat vicinæ Ruſsiæ, Scythicas vires, fatales ſibi, non ſemel expertæ. Monitis itaque vniuerſæ Ruſsiæ Regulis, quantùm periculi à Tamerlane immineret; quantùm ſecuritatis accederet, ſi Tachtame in patrocinium recepto, præcipui Scytharum populi, in amicitiam belliq́ue ſocietatem pertraherentur, procul dubio acceſſuri ijs, quos pro ipſius Scythiæ libertate arma ſumpſiſſe viderent: quàm facilè victoria ſperari poſſet, ſi vniuerſæ Lituaniæ ac Ruſsiæ vires contraherentur. Ipſe Vitoldus ad Smolenſciæ fines cum exercitu conſedit. Inde rurſus ad

ad ſingulos datis literis, permouit, vt in caſtra frequentes conuenirent, de vlterioribus belli gerendi rationibus præſente ipſo Tachtame, quem ſecum duxerat, conſilia in commune collaturi. Eâ occaſione Hlebus quoque Smolenſcenſium Dux in caſtra aduenit: vbi à Vitoldo tamdiu varijs hoſpitalitatis officijs detentus eſt, donec Smolenſcum cum vniuerſa Prouincia, à Vitoldianis occuparetur. Tum primùm depoſitâ perſonâ fabula detecta eſt, cùm Smolenſcum iter fuiſſet præcluſum. Ampliſſima nihilominus ei Vitoldus latifundia donauit cum Polonna arce, vt eâ hæreditate Smolenſciæ deſiderium temperaret. Quamquàm verò eius oræ Præfecturam, viro impigro, Baſilio Iamonto Boreykowicz demandâſſet: ne tamen in nouo rerum ſtatu, per ipſius abſentiam, turbarum aliquid enaſceretur; aliquantùm Smolenſci Vitoldus hæſit. Intereà copias bifariam partitus, Simoni Linguenio Miſciſlauienſium Duci inprimis negotium dedit, vt Lituani exercitûs parte Rezanenſem Principem, auctorem turbatæ Ruſſiæ aggrederetur. Deinde Olgerdo è proceribus Lituaniæ, vt cum reliquis Lituanis, atque vniuerſo Ruſſorum exercitu, deſertos campos tranſgreſſus, trans Volgam Tanaimque penetraret: itinera, ſitum locorum, vires ac conſilia hoſtium exploraret, &, ſi Superi occaſionem offerrent, fortunæ animique experimentum, in ſequentis belli præludia, ſumeret. Vtraque expeditio ex voto ceſſit. Simon Linguenius cum Rezanenſem nullibi ſe opponere auſum, elicere in campum nequiuiſſet:

A. 1396.

Smolēſciā Lituaniæ adiungit.

Rezaniā Vitoldiani vaſtant.

A. 1396. uiſſet: omni illius ditione, quæ Oca & Tanai fluuijs clauditur, ferro ac igni euaſtata, incolumem prædâque grauem exercitum reduxit. Olgerdo plus operis fuit. Emenſus deſertos campos, fortè ad Tanaim cum caſtris conſederat: cum tres fratres Crimenſium, Kirkelenſium, ac Monlopienſium ſcytharum Regulos, ingentem exercitum ducere nunciatur. Tanto interuallo in hoſticum progreſſis, nulla ſpes ex fuga ſupererat: vincere neceſſe erat, viuere volentibus. Ipſa ergo vincendi neceſſitas, ad pugnam animos Olgerdianis auxit. Commiſſo prælio, ſemel iterumque ſuo more incurrentes Scythas fortiter reiecerunt. Sparſi per campos pernici curſu Scythæ, repentè in legiones conuolare ſolent, actaq; in gyrum vniuersâ acie, mox quâ minimè timeas, globo facto irrumpunt, iterumque ſe prælio eripiunt, ac rurſus reſumpto impetu curſu in pugnam redeunt. Reiecti itaque ſemel iterumque Scythæ, non pari iam alacritate prælium inſtaurabant. Lituani aucta ex vincendi ſpe audacià, animoſiùs abeuntibus ſigna inferunt, atque turbatis eorum gyris ad pugnandum collato pede cogunt. Cæſis neque infimis, neque paucis, atque adeò ipſis Regulis, reliquum exercitum in apertam fugam impulerunt: magna ſtrages in pugnantes, ac fugientes edita. Nuncius eius victoriæ, victorque ipſe Olgerdus, Vitoldum adhuc Smolenſci, vallo arcem munientem, deprehendit.

Ad Tanaim cum Scythis pugnatur.

Scythæ profligantur.

Felix eius expeditionis euentus incredibiliter Ruſſiæ Principes ad bellum Scythicum accendit, atque in-

Vitoldus cũ Ruſſis bellũ con-

H

inprimis Basilium Moscuæ Ducem: hic datâ nuper in matrimonium Vitoldo filiâ, visendi Generi causâ Smolenscum aduenerat, vbi siue reliquorum Ducum exemplo, siue initæ affinitatis respectu, non illibenter fœderi contra Tamerlanem accessit, militem pecuniasque pollicitus. Vitoldus ex faustis initijs ad vlteriora excitatior, Tachtamem cum alijs exulibus in Lituaniam præmittit: publico sumptu liberaliter habendos: mox ipse augendarum copiarum causâ properat. Institutis per hyemem, quàm maximis, delectibus, vniuersas copias Kiiouiam maturè conuenire mandat: atque isthic vlteriora mandata præstolari. Ipse quoque ordinandis nonnihil per Lituaniam rebus moratus, cùm primùm gerendo bello apta tempestas adfuit, ad exercitum venit. Kiiouiâ motis signis, tacito agmine Azouiam contendit. Superato ad Azouiam Tanai, priùs Scythis pugnandum fuit, quàm nuncius de aduentu Vitoldi venisset: in ea pugna ingenti clade Trans-Volgensium & Nahaiensium populorum exercitus, attriti sunt. Captiuorum integræ tribus (Hordas illi vocant) cum imbelli sexu atque ætate abductæ sunt. Pars illorum ad Iagelonem Regem missa, deserto impio Mahomete, ad Christiana sacra, in Polonia, transijt. Qui verò in Lituania sedes acceperunt, obstinatissimè suam sectam retinent: non solùm ad Vacæ amnis ripas, sed etiam tum per agros, tum per suburbana regiarum ciuitatum, Primorumque Lituaniæ possessiones, sparsi. E nobilitate ferè Scythica originem ducunt, qui à Magnis Lituaniæ Du-

A. 1396. tra Tamerlanem molitur.

A. 1397. Exercitũ Kiiouiam contrahit.

Scythiam inuadit.

Fuso exercitu, captiuorum in Lituaniã tribus educit.

A.1397. cibus attributos agros poſſident;& per ſuæ gentis tribunos ac ſigniferos certo numero recenſi,proprijs impenſis militare debent: ſi qui eorum, à iuſta militia liberi manent, ij (maximè iuuentus) aut ſponte ſtipendia in caſtris faciunt, aut in magnatum aulis tabellionum vices obeunt. Reliqui ac præſertim, de promiſcua plebe, aut hortorum culturâ, aut operam vectorum, viatoribus mercatoribuſque locando, rem familiarem tuentur. Prodiderunt aliqui ſcriptores, eos in Lituania,æquo cum equeſtris ordinis capitibus iure viuere: ſed ij multùm aut ignorantiâ, aut affectu lapſi ſunt, diuerſa à vero, ſcribendo. Etſi enim ad arcendas ab eis iniurias, (quæ à Chriſtianis frequentes inferebantur) Principum indulgentiâ extendi cœperit eadem mulcta,quæ in violatorem aut trucidatorem nobilis viri legibus ſtatuta fuerat: ab omnibus nihilominus nobilium prærogatiuis excluſi, ordinario Præfectorum arcibus iuri, non minùs, quàm agreſtes regiorum vicorum coloni, ſubiacere coguntur.

Captiuorũ Scytharũ in Lituania manentium conditio.

A.1398. Proximo quoque anno, Vitoldi aut auſpicijs, aut etiam ductu, contra Scythas bellatum eſſe, argumento eſt, quòd Patricum Vitoldi germanum, eo anno, in prælio à Scythis cæſum fuiſſe, proditum vetuſtis annalibus reperiam. Scriptores verò rerum Lituanarum intenti animo in ſequentem expeditionem, non minùs clade funeſtam, quàm apparatu nobilem, huius anni geſta conſignare neglexerunt. Diſſuadebat ſtudioſè Rex Iagelo Vitoldo, ne Tamerlanis fortunam orbi vniuerſo formi-

Bellũ Vitoldi cõtra Tamerlanem.

formidabilem, temerarijs armis irritaret. Aiebat Rex *A. 1398.*
Præteritis victorijs satis iam Nominis ad famam quæsitum esse: quantò maioribus viribus gerendum bellum susciperetur, tantò plus metûs ex varia bellorum vicissitudine animo obuersari: vicinæ potiùs Prussiæ, à qua nihil fidi sperari posset, arma opponenda; quò propiora inde pericula imminerent, eò præsentioribus illic remedijs opus esse. Regina quoque Heduigis, siue muliebri timore, siue altiore quopiam instinctu mota, multùm ei expeditioni aduersabatur infausti euentûs obnunciatione. Neque defuerunt è primoribus Polonorum, qui Reginæ hortatu, propè de via reuersi, ab incepto destiterunt. At Vitoldus anterioribus successibus inescatus, dimoueri se de sententiâ non permisit. Cum Crucigeris inprimis transegit, qui non modò pacata omnia absenti promiserunt, sed etiam ex noui fæderis formula, quingentos delectos suppeditârunt. Hâc curâ Vitoldus liber, securiùs Samogitiæ ac Podlachiæ incolas ad idem bellum exciuit. Nobilissimi quique Polonorum, Militiæ illi velut sacræ, contra religionis Christianæ hostes Mahometanos, spontè sua nomina dederunt. Raphaël Comes de Tarnow, Spitko de Melsztyn Palatinus Cracouiensis, Socha Palatinus Plocensis, Ioannes de Glowaczyn Palatinus Mazowiæ, Ioannes Dabrowski, Dobrogostus Warszycki, Samotulski, Ostrorogius, Pelikus, Mikocki, Wokasz, alijque proceres. In exercitu verò Lituano, præter alios magni nominis primores, quinquaginta Principes, Magnis Li-

Dissuadetur à Rege & Regina.

A Vitoldo apparatur.

tuaniæ aut Russiæ Ducibus orti, numerabantur.

A. 1399. Inuadẽtibus Scythiã Ediga [illegible]ĩ immẽ[illegible]s copijs occurrit.

Contractis Kiiouiam vniuersis copijs, promotisque versùs Scythiam signis, nullus in ingressu hostici miles occurrit: interiores etiam Prouincias nemine obsistente peruagati, Psolam, & Solam fluuios absque certamine transierunt. Circa Worslam flumen Ediga Tamerlanis Legatus, cum ingentibus Scytharum agminibus apparuit. Ad conspectum innumeræ prope multitudinis, quisque priuatim fortunæ publicæ augur, ex viribus hostium, de euentu pugnæ ominari, ferociam suam præteritam damnare. Delatâ re in consilium, communi sententiâ decernitur, tentandos priùs pacis mentione Barbarorum animos: vbi enim exiguâ aut nullâ victoriæ spe pugnare cogimur, temerarij non fortis viri est, nolle priùs omnia honesta experiri, quàm pugnam. Missus ad hostes Spitko Palatinus, pronos in pacem barbaros reperit. Id posteaquam ad suos reuersus palàm in consilio retulit, prudentiores inclinabant, vt æquis honestisque conditionibus de pace transigeretur. At iuuentus nobilior, sanioribus pro tempore consilijs, spiritus feroces frenare nondum assueta, fremere: materiam gloriæ timidorum sententijs sibi eripi, clamare: veniam ac signum inuadendi, non tam sui, quàm vniuersæ Christianæ religionis hostis, postulare. Ad hæc Vitoldus, ipse quoque pugnæ auidus. Non virium diffidentiâ, aut victoriæ desperatione prælium hactenus distuli: sed ne quid agerem, absque eorum consilio, quorum armis ac pectoribus vincendum esset. Tan-

Ad pacem se pronum ostendit

[illegible]anioribus ac Vitoldo pacẽ spernentibus.

ta itinera emensi, tot difficultatibus superatis eò vsque progressi, vbi in conspectum spontè quæsiti hostis venimus, vt verbis non manu, decernamus, ferre non possum. Cùm agendi tempus instat, nihil iam superest, nisi audere. Promptum iuuentutis ad pugnam animum, in optimum victoriæ nomen accipio. Colluuies hæc barbarorum, non iustus exercitus, sagittis tantùm arcuque edocta præliari, non feret generosum militem, postquàm is collato pede, gladijs ac ferrearum fistularum globis, rem agere cœperit. Baiazetes Turca debellatus, neminem terreat: facilè vincitur, qui aduersis Superis pugnat. At vos Christiani, Numini vero, quod colitis, fidite: aderunt eius auxilia piæ causæ; modò vos solitæ, ac toties probatæ vestræ fortitudini, nolitis deesse. Hæc Vitoldus: at longè aliud euentus, superis ita volentibus, tulit. Dato prælij signo, prope sine pugna, superiorem hostem fecit, ipsa multitudo. Media legio, cui Dux Demetrius Corybutus præerat, in oppositam hostium aciem, quà confertissimus eques constiterat, illata; non armis, sed equorum multitudine obtrita, cum Ductore suo tribusque eius filijs Iwano, Skindero, atque Andrea, interijt. Mox ala vtraque, ac subsidiariæ legiones, ita ab hoste circumfuso cinguntur; vt nec locum ad impetum in hostem faciendum, neque viam ad deserenda signa reperirent. Medij inter hostes intercepti, prope omnes sunt deleti, neque tantùm promiscua capita, sed & præcipui Ductorum. E primoribus Polonorum soli euasêre Ostrorogius, & Samotulski. Spitko

A. 1399.

Prælium committitur.

Profligantur Vitoldiani cæsi plurimis procerum.

A.1399. tko cùm fugâ ſibi conſulere potuiſſet, in confertos hoſtium impetu facto occubuit. Vitoldus cum Suidrigelone ægrè cædi caput pernicibus equis ſubduxerunt. Manſerunt cæſi in campo, Andreas Vigundus frater Regius, Demetrius ac Theodorus Duces Wolski, Vitoldi ex Patrico nepotes, Hlebus & Simon Patrui Iagelonis Corybuti nepotes, Iwanus Kiiouienſis, Hlebus Smolenſcenſis, Michaël Podbereski, Iwanus Bielski, Duces, Ioannes Iewlaskowicz, Iamuntowicz, & alij Lituani ac Ruſsi proceres. Scythæ neque tantâ clade, neque opimis cæſorum fugatorumque ſpolijs contenti, victoriam vlteriùs proſequuntur. Prouincias Ruſſiæ Vitoldo ſubiectas, infeſtis armis aggreſſi, Seueriâ vniuersâ, Volyniâ, atque Kiiouienſibus agris euaſtatis, vrbem Kiiouiam obſidione cinxerunt. Ferendæ illi vtcunque comparata Vrbs, depellendæ omnino impar erat: ſed neque Scythis ad oppugnationem apertam, aut apparatus, aut animus. Itaque cùm maiore pertinaciâ, quàm fructu, ſeptam diu tenuiſſent: tandem deſperatâ expugnatione, vnde ferro non poterant, auro ſe inde depelli permiſerunt, numeratis ſibi tribus aureorum nummûm millibus.

Scythæ Ruſsiam vaſtant & Kiiouiam obſident.

Mortuus eodem anno eſt primus Vilnenſis Epiſcopus Andreas Waſilo. Sed & Reginæ Heduigi idem annus vltimus fuit: filiam enixa, vitâ eſt functa: quæ res mærorem Lituaniæ non parum auxit. Erat ſiquidem Princeps Lituanis ſingulariter addicta, omneque ſtudium ſemper intendebat, ad eorum iuuentutem omni diſci-

Heduigi Reginâ mortuâ.

disciplinarum genere excolendam. Ea de causa, cùm necdum Cracouiæ publicum literarium gymnasium esset erectum, Pragæ in Bohemia Collegium pro Lituanis exstrui curauerat, atque amplis reditibus instruxerat. Rex & publicâ clade & priuato mærore anxius, domesticum vulnus ferè magis sentiebat. Quòd enim nullam haberet masculam prolem, ex Heduigi susceptam, subuereri cœperat, ne coniuge regni hærede elatâ, ipse quoque Poloniâ excedere cogeretur. Degustatâ semel imperij dulcedine, horrebat priuatam vitam animus: timenti autem, nil proniùs erat, quàm suspicari. Quare consultò in Russiam secessit, vt ab eo loco tum animos Polonorum dispiceret, quò inclinarent; tum rationes iniret, quibus, si fortè Poloniâ excluderetur, amoto Vitoldo, Lituaniæ imperium resumeret. Neque priùs ijs curis solutus est, quàm Poloni proceres, regias suspiciones odorati spopondissent, eo viuo, neminem alium in Polonia regnaturum.

A. 1399.

Regis Iagelonis anxietas.

Eâ sponsione Rex erectus, animum ad secundas nuptias flexit: duxitque coniugem Annam Hungaram Ciliæ Comitis filiam, Casimiri Poloniæ Regis neptem. Nuptialibus festis, præter alios Principes, interfuit cum coniuge Alexander Vitoldus. Actum est inter illum & Regem de renouando Poloniæ ac Lituaniæ fœdere: at commodiùs visum, si id negotij in Lituaniam differretur. Intereà tamen Andreas Vigundus Dux Starodubij datis literis fidem suam obstrinxit Regi, se Vitoldo mortuo cum alijs per Lituaniam Ducibus, nullius alterius

A. 1400. & secundæ nuptiæ.

A.1400. imperium agniturum, quàm Regis Poloniæ Iagelonis. Vitoldus in Lituaniam reuersus, memor accepti nuper ab Optimo Numine beneficij, quo ex anni superioris clade incolumis euaserat, ad argumentum gratæ voluntatis, Sacerdotibus Ordinis D. Francisci, Caunæ primùm, deinde Osmianæ, templum cum asceterio munificè erexit, ac dotauit.

A.1401. *Iagelo fædus inter Poloniam, & Lituaniam instaurat.* Proximâ hyeme Rex Iagelo in Lituaniam venit: ab eius aduentu publico gentis vniuersæ conuentu Vilnam indicto, fædus Polonicum curâ exactiore instauratum est. Ampla enim erant nimis Iagelonis promissa, Polonis regni causâ factâ: sed impletu ardua, atque ideò cautioribus suspecta. Quare iteratis literis, ac sponsionibus procerum Lituaniæ, ea firmari Poloni volebant. Præstitum id est, in hoc conuentu, legibus eiusmodi disertè expressis. Lituaniæ ordines, publico monumento testatum facerent, de libero ac concordi omnium consensu, Lituaniam cum suis Ducatibus ac Prouincijs, Regno Poloniæ accessisse: decedente Vitoldo, Lituania cum vniuersis sui iuris ditionibus ad Regem regnumque deuolueretur: principatûs Nouogrodensis portio, cum aliquibus latifundijs Sigismundo Kieystutiadæ, in patrimonium cederet, eâ tamen adiunctâ conditione, si in Regis ac regni obsequio permaneret: vxor Vitoldi, possessionibus dotis nomine sibi addictis, quoad viueret, liberè frueretur: rege vitâ functo, neque Lituani, exclusis Polonis, Ducem Lituaniæ; neque Poloni, exclusis Lituanis, Regem Poloniæ legerent: vtri-

que

que genti hostes communes forent, mutuisque se inuicem auxilijs in omni bello iuuarent. Addiderunt aliqui scriptores, cautum quoque fuisse, vt Iageloni vitâ functo Vitoldus in regnum succederet: at huius rei nulla vestigia in ipsis rei actæ tabulis deprehenduntur. Cùm Principes publicæ quietis commoditate vsi, in firmanda populorum concordia occupantur, ad Podoliæ confinia, per Romanum Petrilowicz Palatinum Valachiæ turbari cæptum. Verùm à Suidrigelone Podoliæ gubernatore maturè domitus, carceribus pœnas temerè sumptorum armorum luit. Neque priùs sibi, ac Dominio Valachiæ, seu Daciæ, restitutus est, quàm regiâ auctoritate intercedente, libertatem impetrâsset, his conditionibus: Valachia Regno deinceps subiecta, perpetuò maneret; Romanus verò in obsequio Regis: vtraque conditio sponsione ac iureiurando Romani roboraretur.

A.1401.

Valachi Podoliam infestantes domãtur.

Bohemi quoque Iagelonem, vix nouo bello non implicauerunt. Destinauerant illi Vencessaum Regem imperio mouere, insignem eius ignauiam perosi. Vt itaque contra vim, externâ se potentiâ munirent; Iagelonem ad capessendum Bohemiæ regnum, splendidâ legatione inuitabant. At cautior erat Iageloni mens, quàm vt eam fulgor diadematis oblati perstringeret, ne penitiùs peruideret, quantùm sibi periculi, curarumque eâ legatione accerseretur. Nouerat probè, regna ampla, ingenijsque ac moribus populorum diuisa, ægrè vnius imperio circumagi: supremo Numine, sic res

A.1402.

Iagelo oblatum Bohemiæ regnũ non acceptat.

A. 1402. hnmanas temperante, vt quemadmodùm vnum caput vni corpori, ita vnus Rex vni populo, ſit neceſſarius. Cogitabat, quantacunque Venceſlai ignauia eſſet, non eſſe tantam, vt amiſſi regni vulnus non ſentiret: neque Sigiſmundum eius fratrem Hungariæ Regem pacatè laturum, tam fratris exilium, quàm adſciti Principis in fraterno ſolio regnum. Huſſij quoque concionibus facta in Chriſtianis religionibus mutatio, totam prope Bohemiam grauibus iam turbis inuoluerat. His ſecum perpenſis, non grauatè Iagelo legationem Bohemorum repulit, illud maximè prætendens quòd nollet iſthic regnare, vbi populus Hæreticæ factionis, Chriſti & Eccleſiæ eius iugum, excuſſiſſet.

A. 1403. Breuem in Lituania pacem, nouum è vetere, malè extincto fomite, bellum exardeſcens excepit. Georgius Suetonſlaides, Smolenſciâ nuper exutus, ad belli materiam, quam amiſſi Principatûs deſiderium ſuppeditabat, ſolam occaſionem quærebat: neque alia commodior viſa, quàm cùm Vitoldus clade Scythicâ attritus, vt virium, ita terroris, minùs habebat. Collatis itaque cum ſocero, Rezanenſium Principe, conſilijs & armis, inuaſit Smolenſciam. Vrbis quidem, arciſque Smolenſci, occupatio, non difficilis fuit: quòd in ea plerique ac præcipuè nobilium, factionem Georgij ſequerentur. Admiſſus illorum proditione intra mænia, extremè in Vitoldianos deſæuijt: non promiſcuus tantùm miles, ſed vniuerſi nobiles, vnà cum Romano Branſcij Duce, Smolenſciæ Gubernatore, cæteriſque primori-

Georgius Smolenſciā occupat.

bus

bus cæſi ſunt; ægrè eius coniugi ac paruulis liberis vita donata. Vitoldus quiete potiùs ad reparandas vires egebat: verùm ne rebellionis inultæ exemplum, ſpem audaciamq́ue rerum non infeliciter nouandarum, ad viciniores Prouincias vulgaret; rapto, quem potuit habere, popularium exercitu, & paucis Polonorum cohortibus ſtipendiarijs, quibus plurimùm fidebat, maximis itineribus Smolenſciam petijt. Georgium ſuos in campo opponere auſum, prælio fudit. Smolenſcum cum Prouincia vniuerſa recuperauit, atque in formam (vti vulgò dicitur) diſtrictûs, redegit. Georgius deſperatis rebus in Hungariam vſque profugit: vbi Sigiſmundi Regis ſigna ſecutus, in prælio globo traiectus, interijt.

A. 1403.

Vitoldus eam armis recuperat.

Redditâ inde pace, ab alia parte, nouæ per Suidrigelonem turbæ ſunt excitatæ. Ex fœdere nupero, obtinebat Podoliam, quam Rex à poſteris Spithonis redemptam illi attribuerat: in Polonia verò arces Striïum, Sydlouecium, Stobniciam, Vſcie, cum earum latifundijs. Præterea ex ſalifodinis in ſingulos annos, mille quadringentarum Marcarum Polonicarum penſionem percipiebat. Amplum ſatis patrimonium, & magno Principatui par: ſed ſuprema ambienti, quidquid infra votum erat, pro exiguo habebatur. Iterum itaque in Pruſſiam tranſijt, vt Crucigerorum auxilijs Principatum Lituaniæ inuaderet. Vaſtata eſt miſerè, eâ Crucigerorum expeditione Lituania. Vitoldus enim, inſperato bello circumuentus, exercitum, quem opponeret, ad manum non habebat. De pace verò cum Cru-

Suidrigelo nouas turbas concitat.

Crucigeri Lituaniã vaſtant.

A.1403. cigeris inconsulto Iagelone non poterat, quòd id nuper Iageloni spopondisset. Monitus Iagelo de rerum Lituanarum statu, prior Crucigeros de pace per legatos compellat: neque Crucigeri alienos ab ea animos præseferunt. Raciunzum ex mutuo consensu ad tractandum negotium destinatur: quò belli pacisque capita, Rex Iagelo, Dux Vitoldus, & Magister Iuningen, conuenerunt ad diem condictum. Multa à Crucigeris proponebantur, quæ procul dubio negotij cursum abrupissent, nisi necessitatis ratio plus extorsisset, quàm honesti studium permissurum videretur. Vitoldus enim seu vt Suidrigelonem Crucigerorum societate nudatum, ad alia consilia adigeret, seu quòd iam tunc bellum Moschouiticum animo coqueret, in conditiones admodùm difficiles consensit. Ictum est fædus, præcipuo illius auctore Antistite Vladislauiensi, his legibus: Crucigeris Vitoldus Samogitiam perpetuo iure addiceret; Rex Iagelo quadraginta millia florenorum numeraret: Crucigeri Dobryniam Polonis restituerent: captiui vtrimque fideliter redderentur, transfugæ extra fines eijcerentur, excursiones mutuæ per confinia seriò arcerentur. Conclusæ pacis initium, ab humanitatis officijs Conradus auspicatus est, Rege & Vitoldo Torunium inuitatis. Sed memorabilius est, regiæ benignitatis monumentum, quod Iagelo Rex isthic reliquit. Cùm visendæ vrbis causâ, equo per plateas veheretur, casunè fortuito, an malitiâ, à muliercula quapiam è domûs fenestra coquinarijs sordibus est perfusus: omnibus ad

Fædus nouum cum Rege & Vitoldo percutiũt.
A.1404.

tantum

tantum facinus horrentibus, Rex fæminæ, iam ad aquas damnatæ, vitam & impunitatem impetrauit. Rege ad pacandam eam oram intento, Poloni ſumptis tumultu armis, Suidrigelonis præſidia ac præfectos totâ Podoliâ eiecerunt: legem inſuper plebiſciti inſtar tulerunt, ne deinceps paterentur, alterius quàm Polonæ nationis Præfectum Cameneco imponi.

A. 1404.

Suidrigelo à Polonis è Podolia eijcitur.

Vitoldus è Pruſſia digreſſus, ne Crucigerorum animi Suidrigelonis artibus nutare inciperent, conſtitutam pacem quàm primùm reipsâ firmare inſtituit. Honorificâ legatione Magiſtrum ac Primores Ordinis Caunam inuitat, vt quæ Raciqzij condicta fuerant, ad exitum deducerentur. Præcipui quique venerunt, atque à Vitoldo Latino Teuthonicoque ſermone conſcriptas tabulas receperunt: quibus Samogitia à Principatu Lituaniæ auulſa, Crucigerorum dominio mancipabatur. Mox deductis Vitoldianis præſidijs, arces, oppida, atque adeò vniuerſa regio, à Magiſtro Ordinis, præſidibus miſſis, conſignata eſt. Graue nimiùm id iugum viſum Samogitis, ad externa imperia non aſſuetis: multæ itaque clandeſtinæ cædes interuenerunt, quibus curiarum pagorumque præfecti, à colonis aut ferro ſunt iugulati, aut aquis ſuffocati. Quamuis verò commune gentis odium omnes ſuſpectos cædium faceret, auctores tamen perpetrati facinoris nullo certè indicio teneri poterant. Vitoldus ideo veritus, ne ſe aut inſtigante aut conſcio, hæc attentari Crucigeri criminarentur: maiore curâ contendit, ne ampliùs ſub inſo-lito

A. 1405. Vitoldus Samogitiã Crucigeris tradit.

Samogitas ad obſequendum Crucigeris cogit.

A.1405. lito iugo Samogitæ tumularentur. Excitatis ad rebellium frenandos motus tribus arcibus, duabus ad Niewiazæ ripas, tertiâ in confluente Dubissæ ac Nemeni, præsidia valida imposuit. Suidrigelo verò Podoliâ depulsus, cùm nequidquam Crucigeros ad præbendum perfugium solicitâsset, supplex ad Iagelonem rediјt. Rex vt erat molliore ad preces animo, veniâ præteritorum indultâ, cum Vitoldo agit, vt exulem ac supplicem fratrem recipiat. Nihil quidem constans Vitoldus ab ambitioso Suidrigelonis genio expectare poterat: nihilominus, ne beneficio negato spontè sibi hostem fecisse diceretur; ita illud præstitit, ne cum prodesset Suidrigeloni, sibi officeret. Collatis enim Branscensi, & Starodubensi Ducatibus in Seueriam Suidrigelonem remouit, vbi faciliùs in obsequio retineretur, aut si ad ingenium rediret, opprimeretur. Solutus siquidem curâ Prussici belli, vniuersas vires in Seueriam vertere destinauerat, vt tandem diu animo agitatam in Moschos expeditionem aggrederetur. Belli huius occasionem, eiusmodi fuisse reperio apud Scriptores.

Suidrigelonem in gratiam recipit.

A.1406. Non amicitia tantùm, sed etiam affinitas, vti memoraui, inter Vitoldum, & Basilium Moscuæ Ducem intercedebat: hinc securiùs ab vtriusque subiectis populis commercia tractabantur, mercatoribus liberè quaquauersum commeantibus. At quæ tam firma publica pax, quam auaritia priuatorum non euertat? Accidit fortè, Mercatores Lituanos circa Putiwoliam, à Moschis inuadi ac mercibus spoliari. Damnum, non tanti

Belli Moschouitici occasio.

fortassis

fortaſſis erat, vt Principes bello committeret; ſed quæ eloquentia querelarum plerumque eſt, exageratiùs Vitoldo propoſita, vehementer eum permouit: viſaque res non indigna, vt per nuncium & ablata repeterentur, & auctores flagitij ad pœnas poſcerentur. Baſilius verò, non quòd hoſtile aliquid animo volueret, ſed quòd leuius id negotium exiſtimaret, quàm vt tanto motu agitaretur, legatum amicè ac honorificè habitum, infectis rebus dimittit. Hinc Vitoldus non iam ſubditorum iniuriâ, ſed ſui vt opinabatur contemptûs impatientiâ furere: ægritudinem tamen animi & belli cogitationes, quamdiu pax cum Crucigeris eſſet incerta, ſcitè tegere. Ita, ſæpe momenta rerum apud Principes, opinionibus ijſque falſis vertuntur. Pacatis in Pruſſia rebus, exercitum, tacitè, in eum vſum, ante comparatum, in Seuerciam mouit: atque inopinatò Baſilij ditiones inuaſit. Baſilius inſperato bello oppreſſus, rapto quem poterat habere, milite, ad Vgram latè populanti Vitoldo occurrit. Medius is fluuius inter aduerſa caſtra labebatur: atque ea ſola mora fuit, ne mox infeſtis ſignis concurreretur. Intereà Baſilius, ſeu viribus ſuis diffiſus, ſeu nolens tam leui belli occaſioni, clade populorum litari, Vitoldum per legatos, affinitatis veteriſque amicitiæ commonet, atque ad colloquium inuitat. Eam legationem Vitoldus, metûs confeſſionem paciſque poſtulationem eſſe interpretatus, atque adeò dignitatis nuper læſæ reparationem, facilè de cupiditate vindictæ remiſit, neque alienum ſe à pace oſtendit.

A. 1406.

Exitus eius belli.

A.1406. Congreſſi ſecum affines Principes, citò in pacem conuenerunt: ad veterem eius formam hâc duntaxat conditione adiectâ, vt damna priuatis, Vitoldo bellicas impenſas Moſchus compenſaret. His conſtitutis, cùm inter legiones Pax (populari voce *Mir*) inclamata fuiſſet; nobilis Vitoldianus eques, velut indignatus loco ſigni ad prælium, theſſeram concordiæ ſe audire, altâ voce paci illi obnunciat, ingeminando *Nemir, Nemir.* Hinc commilitonum militari licentia Nemira (cum ante Nagora vocaretur) cognominatus, ad ampliſſimam poſterorum ſuorum familiam, Niemirarum nomen tranſmiſit. Sperari iam poterat cum Moſcho firma pax, niſi vetus turbarum fax Suidrigelo, citò pertæſus eius fortunæ in qua beneficio Vitoldi agebat, pro vſitata inconſtantiâ, nouo bello occaſionem miniſtrâſſet. Sub finem enim huius anni Branſco ac Starodubo arcibus exuſtis Nouogrodecum Seueriæ Metropolim Duci Baſilio prodidit, ipſeque in Moſchouiam fugit.

Familiæ Niemirarum origo.

Suidrigelo Seueriam Moſcho prodit.

A.1407. Cogitur itaque rurſus arma reſumere Vitoldus, & maiore apparatu bellum Baſilio inferre. Ex vniuerſis Lituaniæ Prouincijs copiæ Smolenſcum conuenire iuſſæ. Adfuerunt ad condictum diem Rombowdus Lituaniæ Mareſchalcus cum Lituanis Samogitiſque, Olelko ſeu Alexander Slucenſis Dux cum Kiiouienſibus ac Volynijs, Iwanus Boreykowicz Chodkiewicz cum Seuerijs ac Smolenſcenſibus. Stipendio in Polonia lecti haſtati equites, ductore Shigneo de Brzezia, & centuria pedeſtris à Magiſtro Pruſſiæ, ſuppetiarum, nomine

Vitoldus Moſchouiã inuadit.

ne missa. Recenso ad Smolenscum exercitu, leuiorem *A. 1407.*
equitatum partitus, Ducibus ea mandata dat, vt varijs
itineribus à castris digressi, quàm latissimè in vtramque
partem, igne ac ferro grassarentur, ac demum ad O-
cam conuenirent: ipse verò Vitoldus rectà medius in-
ter vastantes, grauiorem militem atque impedimenta
duxit. Neque segniùs comparauerat bellum Basilius:
quod quia Suidrigelonis causâ susceptum erat, eius
quoque auspicijs ac ductu geri voluit. Occurrit Suidri- *Suidrigelo*
gelo maturè ad Ocam cum Scytharum Moschorum- *pro Mos-*
que copijs, atque occupato perdifficili inter paludes *chis pug-*
passu, quà Vitoldo necessariò transeundum erat, eum *nat.*
ab vlterioribus Basilij ditionibus exclusit. Insuper di-
missis, qui siluas inter ac paludes gnarorum ductu la-
titarent, atque redeuntem, ab agrorum vastatione equi-
tatum ex insidijs carptim affligerent, perdifficilem belli
continuandi rationem Vitoldo reddidit. Neque enim
submouere de statione hostem paludibus tutum, ne-
que vi suis aperire viam poterat, quòd peditatum, cu-
ius maximus in ea occasione vsus fuisset, perexiguum
haberet. Hærenti autem in eo loco cum exercitu, indies
arctior annona futura erat. Versatâ in omnem partem
mente, tandem rursus equestrium legionum ductori- *Moschus*
bus mandat, vt paludes ac siluas plenis signis circum- *pacem po-*
uecti, quà per aperta possent, ditiones Basilij latissimè *stulare co-*
vastarent. Sensit eam cladem Basilius, atque ad peten- *gitur.*
dam pacem compulsus est. Data est ex antiquis condi-
tionibus, Suidrigelone excluso. Vitoldus, tanquam si

A. 1407. confecta res omnino esset, designatis ad exercitum ex hostico deducendum Ducibus, ipse maximis itineribus, mutatisque per interualla equis, Vilnam properauit. Non parum intereà, vt fere absentibus belli capitibus accidere solet, exercitus damni accepit. Quamquam enim Moschi Suidrigelonem, vti cum Basilio conuentum fuerat, deseruissent: ipse tamen suæ factionis hominum operâ, Russorum ac Scytharum aliquibus manipulis in prædæ spem sub sua auspicia pertractis, haud leuiter Vitoldianos à tergo ac lateribus inter syluas infestando, carpendoque afflixit. Accesit in agris nuperâ vastatione exhaustis, extrema annonæ penuria. Ægrè ex hisce difficultatibus eluctatus exercitus, vbi Lituaniæ ditiones attigit, aliquâ quiete est recreatus: inde ordinariæ copiæ domos dimissæ; Poloni verò ac Prussi Vilnam vsque perducti, atque à Vitoldo non stipendijs tantùm liberaliter numeratis, sed munificis etiam muneribus adiectis, exauctorati sunt. Eodem anno Iacobus Vilnensis Antistes, natione Lituanus, ex Franciscani ordinis disciplina, ad eam dignitatem assumptus obijt.

Suidrigelo Vitoldi militem affligit.

A. 1408. Intereà in Prussia nouum contra Lituaniam bellum fabricabatur. Samogitiæ nuper traditæ possessio, minor Crucigeris videri, quàm vt eius causâ spem Lituaniæ occupandæ negligerent. Cur enim priùs quiescerent, quàm vniuersas Lituaniæ Prouincias sui iuris fecissent? Tantâ contentione per tot annos pugnatum esse, cùm Lituanis res integræ fuerunt; nunc verò otio torpentes

Crucigeri bellum in Lituania meditantur.

quieturos,

quieturos, cùm prope debellatam haberent Lituaniam? A.1408.
Quomodo apud vniuersam Europam, nomen equestre tuerentur, si pace inde cum Polonis, hinc cum Lituanis firmatâ, gladios rubigine obduci paterentur? Auderent modò rursus ad arma conclamare; procul dubio Iagelonem & Vitoldum, qui nuper belli metu Samogitiam prodidissent, propediem Lituaniâ cessuros. Hæc, hisque similia, occultis sermonibus iactabantur, apud immodicæ cupiditatis homines: sicut flamma aggestâ materiâ augetur, non opprimitur; ita illis libido habendi, ex his quæ habebant, creuerat. Non defuerunt nihilominus inter illos, qui sitim illam sanguinis alieni abominati, Iagelonem præmonerent; vt gliscentis, ac propediem exarsuri belli initijs, obuiaret. Iagelo communicatis cum Vitoldo consilijs, velut alia agendo Caunam venit: atque per speciem humanitatis, primores Crucigerorum ad se inuitat. Inter mutua hospitalitatis, ac nuper initæ amicitiæ officia, sermone ad pacis mentionem deducto, studiosiùs cœpit Rex cum Vitoldo, tum ipse rationes inquirere ac proponere, tum à Crucigeris vestigare, quibus solida inter Prussiam ac Lituaniam pax, stabiliri posset. At ingenti fastu tumidi, augendarumque ditionum auidiores, nihil moderatum aut admittebant, aut adferebant: itaque rebus infectis est discessum. Pauci deinde abiuerunt dies, cùm ipsi Crucigeri apertis inimicitijs materiam ministrârunt. Per continua superiorum annorum bella, cùm & vastationes hostiles omnia exhausissent, &

A. 1408. volitantibus circumquaq ue militaribus signis, coloni agros deseruissent, ad extremam annonæ inopiam redacta fuerat Lituania. Eam afflictæ patriæ sortem, releuare volens Iagelo, viginti maiores naues vario frumento oneratas, secundo Vistulâ ad fines Prussiæ deuehi iubet; atque inde per confinia eiusdem, in propiora Lituaniæ loca, frumentum curribus deportari. Eam annonam omnem Crucigeri in Vistula interceptam, auerterunt: insuper Regi de violato fœdere, illatâque iniuriâ per nuncium expostulanti, responderunt: ex æquo & iusto factum, quòd ea sint ablata, quæ Rex Ethnicæ genti contra Christianos suppeditabatur. Quamquàm enim non ignorarent, à viginti & ampliùs annis Lituanum populum cum Proceribus suis, Christianis sacris initiatum fuisse, Ethnicos tamen eos vocabant, vt religionis prætextu, Principibus Christianis (adeoque ipsis Romanis Pontificibus) quorum aut viribus, aut dissimulatione, bella in his regionibus ferebant, imponerent. Rege ad hæc nil properè, ne quid temeritatis immisceretur, mouente: Crucigeri velut pertæsi annuæ ferè quietis, impatientesque differri regiâ benignitate bellum, Lituanos mercatores Ragnetæ in Prussia, ex fœderum fiduciâ securè agentes, inuadunt; aliquos cædunt, reliquos fortunis omnibus spoliant. Vitoldus eo nuncio accepto, siue quòd ferociores ei essent à natura impetûs, siue quòd gnaro rerum, nihil pacati à Crucigeris appareret, hostem præuenire statuit. Rombowdo Mareschalco negotium dat, vt tumultuario

Eique occasionem semel, iterumq; ministrant.

Vitoldi iussu ex Samogitia eijciuntur.

multuario milite Crucigeros, quòd primi fœdera rupiſ- *A.1408.*
ſent, totâ Samogitiâ, quàm celerrimè eijciat. Executus impigrè mandata Rombowdus, priùs præſidia omnia, cum præfecto Prouinciæ excidit, vniuersâque Samogitiâ eſt potitus, quàm primorum motuum nuncius in Pruſſiam perueniſſet. Furere inde Crucigeri, ac velut ſuperos furoris ſui miniſtros fore ſecuri, extrema Vitoldo, Iagelonique minari.

Ne tamen aut materiam bello, aut initium, ipſi prio- *A.1409.*
res dediſſe viderentur, Regem per legatum compel- *Crucigeri bellum indicunt.*
lant. Legatus explicatis, quæ Vitoldi iuſſu in Samogitiam acta eſſent, rem eam inultam abire non poſſe, Ordinis ſui vniuerſi nomine proteſtatur: tum, niſi quàm primùm compenſatis damnis Samogitia reſtitueretur, bellum Lituaniæ apertè indicit: demùm poſtulat, vt Rex animi ſui ſententiam diſertè aperiat, quidnam apud ſe conſtituiſſet, Vitoldinè defendendi curam ſuſcipere, an verò eo neglecto, pacem nuper cum Crucigeris initam, conſeruare? Anceps nimiùm erat quæſtio: in arcto conſtitutus Rex, quocumque animum inclinaret, in præcipitium ruebat. Negaturum ſe auxilia Vitoldo ſponderet! at cum fratre, Patriam, immaniſſimis hoſtibus proſtituebat. Vitoldum à ſe deſeri non poſſe diceret! at pro Crucigeris, Germanorum, Vngarorum, ac Bohemarum arma, concitabat. Primores Polonorum qui conſilio aderant, Samogitiæ reſtitutionem impensè apud Regem vrgebant: ita enim accidere ſolet, vt in Rebus publicis quæ diuerſis gentibus

conſtant,

A. 1409. conſtant, cuiuis genti ſua magis cordi ſint; malitque quælibet, alterius potiùs damno, quàm ſuo negotia tranſigi. Rex, ſiue vt quæſtionem Crucigerorum eluderet, ſiue vt moram conſilijs ſumeret, reſpondit. Se in ea Republica regnare, in qua de tanti momenti rebus, nihil extra comitia Ordinum, ſtatuere certi poſſet. Dimiſſo legato, comitia Lanciciam indicta: in ijs, Nicolaus Kurowski Gneznenſis Archiepiſcopus deſtinatus eſt ad Crucigeros, cum mandatis, vt omni arte ac ſtudio, Magiſtrum ad amicam cum Vitoldo litis tranſactionem, ſolicitet. Non defuit commiſſo ſibi negotio Archiepiſcopus: at quidquid tandem ageret, diceretuè, non aliud verbum ex Magiſtro elicere poterat, quàm iam, iam, ſuos in armis eſſe, atque in Lituaniam duci. Intolerabili hominis ſuperbià omnem humanam negotij illius tractationem repellentis, ad indignationem motus Archiepiſcopus: deſine, inquit, Magiſter, toties, tamque impotenter bellum minari: ſi quid moueris, nos quoque domi tuæ cum bello habebis. Ad hæc excandeſcens Magiſter: Sat, abundè legationi meæ reſponſum eſt: quoniam verò de regia voluntate, iam mihi ex tuis verbis conſtat, ego quoque caudà relictâ, malo caput aggredi. Nihil moratus, ab diſceſſu legati, ſigna in Poloniam moueri iuſſit. Dobryniam vi captam exuſſit, præſidium omne cum Præfecto Plominski excidit. Eâdem ferociâ in Lipinum, ac Ripinum deſæuijt. Bobrownikos deditione, Bydgoſtiam proditione, Zlotoryam octo dierum oppugnatione occupauit. Rex

Dobryniã inuadunt & occupant.

Iagelo

Iagelo tantis illorum progreſſibus coactus, bellum & ipſe in Pruſsiam, per Poloniæ Prouincias edicit. Minores Poloni, ac Volynij, Volboriam conuenire iuſsi, Maiores Poloni Lanciciam. Coactis ad Radzieiowiam vniuerſis copijs, Bydgoſtiam inprimis exercitus ductus. Accepto ibi nuncio Crucigerorum ſigna ad Swieszcze confluere, Rex priùs quàm caſtra eò promoueret, validam delectorum manum præmiſit, quæ bellicæ fortunæ experimentum ſumeret. Succeſsit res ex voto: magnâ clade Crucigeri profligati ſunt, caſtriſque exuti. Debellatum eo autumno fuiſſet, niſi Regis Bohemiæ Legati felicem armorum curſum ſtitiſſent. Nam apud Regem pacis quàm belli cupidiorem, oſtensâ ſpe eius conciliandæ, facilè euicerunt, vt proiectâ, quam in manibus habebat, rei feliciter gerendæ occaſione, concederet fœdus, ad ſequentis anni exeuntem Iunium, duraturum. Antequàm eius fœderis nuncius in Lituaniam perueniret, Sigiſmundus Dux Corybutus, ſubitâ in Pruſſiam irruptione, tria oppida cum caſtellis cepit, viciniamque circumiacentem vaſtauit. Famâ eius facti in regiam delatâ, Iagelo verebatur, ne viciſſim Crucigeri aliquid attentarent: celerrimis itaque nuncijs, factum Sigiſmundi excuſare apud Magiſtrum, contendit, poſtulans ne quæ per ignorantiam pactarum induciarum contigerant, fraudi eſſent fœderibus non pridem conſtitutis. Crucigeri nihilo ob excuſationem regiam mitiores, vindictæ animum ad tempus diſſimulàrunt, vt creſcente inde Lituanorum ſecuritate, maior repo-

A. 1409.

A Polonis profligantur.

A Lituanis irritati.

nendi eis damni commoditas daretur.

Ad finem vſque hyemis pacata erant omnia: ineun-
A.1410. Lituaniã infeſtant. te primùm Martio ad fines Lituaniæ tacito agmine perueniunt, excubijs ad Iskram amnem interceptis, in Volkouiſcenſes vſque agros effunduntur. Volkouiſcum ſubitâ incurſione captum eſt, ingenſque mortalium vis, quæ fortè feſto die ad templum confluxerat, partim cæſa, partim in captiuitatem abducta. Non procul inde Vitoldus aberat; ſed abſque milite: ne itaque ipſe quoque repentinâ clade inuolueretur, præſertim quòd quantus eſſet hoſtis ignoraret, inter profundiores ſyluas eum impetum declinauit. Sed neque deinceps quidquam mouit, ne nouo motu coaleſcentis pacis negotium abrupiſſe eum Crucigeri criminarentur. In Iunium vſque, quietæ permanſêre partes: Crucigeri ex ſumptæ vindictæ voluptate, Vitoldus verò fœderum religioniſque reuerentiâ. Tantùm temporis ex fœdere, paci conſultò indultum fuerat, vt intereà Venceſlaus Bohemiæ Rex, de pace perpetua cum aduerſis partibus tranſigeret. Sed ab homine ſuarum etiam rerum extremè negligente, quid ſolidæ operæ circa aliena nauari poſſet? Nihil omnino ſeriò per tam longum armorum
Iagelo bellum cõtra Crucigeros decernit. ſilentium, de vlteriore pace actum eſt. Haud temerè igitur Iagelo ſuſpicatus, rem omnem eò deduci, vt tandem armis decernere neceſſum foret, Breſtiam Lituaniæ excurrit, vt cum Scytharum Regulo, atque Vitoldo de bello conferret. Ibi communi conſenſu belli contra Crucigeros vniuerſis viribus gerendi ſtetit ſententia:

at eo bello Sigiſmundum Imperatorem, Venceſlaumque Regem, non inuoluere, neque poſtrema, neque parùm momenti rebus allatura, pars conſilij erat. Subtractis enim Hungarorum, ac Bohemorum auxilijs Crucigeros reſiſtendo pares non fore, non ex vano coniectabatur. Durabat quidem adhuc fœdus, in ſedecem annos, inter nominatos Principes, Poloniamque ac Lituaniam, initum; ex cuius formâ, auxilia Crucigeris miniſtrari non debebant: at pronum erat metuere, ne religionum atque æqui auctoritas, hominum linguæ ac generis communione, iunctorum reſpectui, cedere cogeretur. Sumpſit id negotij in ſe Vitoldus: atque Gaſtoldo, Romboudo, Radiuilo, proceribus, in comitatum adſcitis, ad Cæſarem eſt profectus. Conuenerat etiam ſecretis conſilijs, ſolo Regni Procancellario Traba conſcio, vt ſi Vitoldus Cæſarem fratremque eius non alieno à ſuis rebus animo deprehendiſſet, Iagelo quoque ad firmanda fædera, quàm celerrimè occultis itineribus occurreret. Quamquàm verò Vitoldus nihil eorum omiſerit, quæ ad conſeruandum cum Sigiſmundo & Venceſlao fœdus profutura exiſtimabat: omne tamen eius ſtudium in irritum abijt. Sigiſmundus imprimis diſertè profeſſus cauſam Crucigerorum à ſe deſeri non poſſe; negabat Polonis ſe amicum fore, ſi illi Crucigeros bello laceſſerent. Deinde multis, (inter quæ erat promiſſum Regij pro Lituaniâ diadematis) ſolicitare Vitoldum contendit: vt, cum Prouincijs ad Lituaniam pertinentibus, ſecedat à Polonia. Execratus eas

A. 1410

Sigiſmundum Cæſarem in amicitia conatur retinere.

A. 1410. machinationes Vitoldus, cùm nihil pro fæderum conſeruatione, cuncta contra eorum fidem agi videret, inſalutato Imperatore, in Poloniam abijt. Aſſecutus celerrimo curſu Imperator abeuntem, poſt varia hoſpitalitatis priuatæ officia, munificè donatum, ac exquiſitis promiſſis oneratum dimiſit. Vitoldus in Poloniam delatus, apertis Cæſaris conſilijs, Iageloni auctor fuit, vt contemptâ Hungaricâ, Bohemicâque amicitiâ, vtpote nihil commodi rebus eius allaturâ, bellum omni ope contra Crucigeros maturaret. Rex certus belli, nihil neglexit, quod ad tentandas pacis vias, ex nupero fædere, ſeruiebat. Lectos è Polono Lituanoque ſenatu, viros Principes, ad Venceſlaum Romanorum iam Regem, miſit, vt quemadmodùm ſpoponderat, ſuo arbitrio pacem ſtabilire contenderet. At Venceſlaus longè diuerſa ab ijs, quæ ſuperiore anno per legatos Iageloni promiſerat, agebat: conatus inſuper ſoluere fædus, quo Poloni Lituaniq́ue, in vnam coaluerant Rempublicam. Perſuadere Polonis voluit, vt excluſis Lituaniæ Principibus, deinceps ex Germania Regem Poloniæ ſe ſumpturos ſponderent; ſi pacem aliquam inter Crucigeros & Poloniam ſtabiliri optarent. Indignitate rei, tamq́ue impudente hominis calliditate offenſi legati infectis rebus redierunt: intereà verò, elapſo Iunio bellum adoleuit; quod ab alijs copioſè ſcriptum, mihi eâ tantum parte memorabitur, qua Lituanorum res attingit.

Eodē ſucceſſu cum Venceſlao Rege agit.

Completo induciarum tempore, cum Iagelo Polo-

niæ vniuersæ vires in bellum Prussicum expedit, Vitoldus cum Lituano exercitu, & Scytharum Trans-Volgensium legionibus, quas in eius belli vsum non paucis mensibus, in Lituania aluerat, maturè ad Czeruinscum oppidum constitit. Inde ante Iagelonis aduentum trifariam exercitum partitus, leuiores equitum turmas, ad vastanda propinqua Prussiæ misit. Edita non leuis vastitas: qualem meritò expectes ab ea gente, cui pectus ad clementiæ moderationem, veræ religionis cognitio nondum emollierat. Templa, & quidquid in illis maximè Sacrosanctum, fœdè violata. Atque, vt quædam regiæ ditionis oppida, loco viciniora fuêre, ita cladis eiusdem communione faciliùs sunt inuoluta. Non Scythæ tantùm, gens Mahometanæ superstitioni addicta, sed etiam Lituani aliqui è gregarijs, nondum sacris Christianis initiati, communi famâ, facinoris auctores notabantur. Tremere itaque Polonus miles contra Vitoldi signa, tamquam sacrilegio commilitonum polluta: itaque, tum ad placandum Numen, tum ad eximendum Diuinæ vltionis populo metum, graues in facinus quæstiones, Principum mandato habitæ; atque Lituanorum aliqui noxæ conuicti, suspendio in castrorum conspectu necati. Iam Grinualdiam Iagelo cum exercitu peruenerat. Crucigeri quoque nihil ex aduerso morati, eductis in campum instructâ acie signis, prælium vrgebant. Rex pientissimus, haud ignarus, vt bella ipsa ex humanis affectibus plerumque originem habere, ita victorias solius Numinis nutu dispensari,

A. 1410. *Exercitus in Prussiã ducitur.*

Confinia Prussiæ ab exercitu Vitoldi vastãtur.

Sacrilegia Lituanorũ puniũtur.

Ad Grinualdiam castra conferuntur.

A. 1410. pensari, ante sacras aras, cùm intereà incruento sacrificio litaretur, in genua prouolutus, imminentis prælij fata, supremo rerum omnium arbitro commendabat. Orantem interpellat Vitoldus: hostem sub signis versùs castra progredi, nunciat; monet absisteret alia agere, cùm venisset tempus, quo ferro de summa rei decernere opus esset. Rege nihilominus inchoatæ pietatis opus, ad finem vsque sacrificij constanter prosequente, è tentorio se proripit, ocyùs cum Lituanis in aciem prodit, dextramque alam sub quadraginta signis occupat, eo maximè consilio, ne aliqua tergiuersationis specie, animi hostium augerentur. Magister Crucigerorum Conradus victoriæ securus, atque inde moræ impatientior, plenâ fastu legatione Regem ac Vitoldum in prælium prouocat. Duos enses strictos, vnum dextrâ, alterum sinistrâ ferebat legatus: hic vbi surgenti ab orando Regi obuiàm occurrit, Magistri sui nomine moram metumque exprobrat; si arma ad prælium deessent, vnum Regi, alterum Vitoldo gladium à Magistro offert. Imperturbato adhæc Rex animo, vultuque: Bene est, inquit, accipio lubens omen, Hostis in iugulum suum, ferrum ministrantis. Mox dimisso legato, Dei ac Deiparæ Virginis, Sanctorumque Indigetum auxilium breuiter inuocat, signumq; pugnæ cani iubet. Prior Vitoldus suos in hostem mouit: at illi vt eminus coniectis in hostem sagittis non leuiter equitatum, cum cadentibus nubis instar ab alto iaculis confoderentur, afflixerunt; ita leui armorum genere inferiores longè, collato

Rex prælij euentũ Deo commendat.

A Crucigeris fastuosè ad prælium prouocatur.

Commissa pugna Lituani cãpo pelluntur.

collato pede consertisque gladijs, grauem ferro militem *A.1410.* non diu tulerunt. Vrgebat pugnam inter primos Vitoldus: & modò labentes ordines instaurabat, modò referentes pedem, conuitijs atque gladio in prælium reuocabat. Vicit tamen fortissimi Ducis curas, totâ mole incumbens hostis leui equitatui. Ad iugeri interuallum primò tota ala sensim cessit; mox pars in effusam fugam abijt: pars, ac præsertim Smolenscenses, postquàm diu hostem fortiter sustinuit, Polonorum se signis coniunxit. Iam Vilnenses, Trocenses, Samogitæ, Nouogrodenses, ac Volynij, amisso D. Georgij prætorio signo extremè periclitabantur: cùm Poloni fuso dextro hostium latere, in sinistrum de Lituanis prope triumphans, magno impetu inuehuntur. Solutiores iam erant ab ea parte ordines, alijs ad insequendum fugientes effusis, alijs spe victoriæ negligentiùs signa obseruantibus: repentè itaque mutatâ prælij fortunâ, victores suâ opinione, vinci cœperunt. Magna in hoste strages edita: quadraginta bellatorum millia cæsa, atque in ijs trecenti militaribus functi præfecturis, cum ipso ordinis Magistro Conrado. Ex Polonis, quorum virtuti plena huius victoriæ laus debetur, pauci occubuerunt: maiore longè numero Lituani ac Russi; vt vel inde intelligi possit, violatorum nuper sacrorum pœnam hanc fuisse, quòd infeliciter pugnauerint. Captiuorum militum quatuor supra decem millia numerata, cum tribus belli Ducibus: Vitoldus duos dumtaxat sibi popos-cit Marquardum Salizbachium, & Sumbergum, in

Poloni Crucigeros profligāt, magna in eis strage editâ.

quos

A. 1410. quos offensiore animo erat. Impudentiùs illi Matrem Vitoldi in publico comitiorum consessu aliquando prosciderant: ad penam itaque eos dedi sibi impetrauit. Partâ tanti nominis victoriâ, Scythæ per Prussiam igne ac ferro obuia iussi exscindere, robur exercitûs Mariæburgo admotum. Cessisset procul dubio arx fortunam prælij secuta, nisi fraude Hermani Liuoniæ Magistri spes tanta in irritum abijsset. Tardauerat ille ad prælium Grinualdense, cum valida Liuoniensium Crucigerorum manu, atque ad cladis nuncium, haud procul Hollando oppido substiterat. Ea re in castris regijs vulgatâ, iubetur Vitoldus cum suis, atque duodecim Polonorum cohortibus, obuiàm ire. Ad Passeriam amnem nactus hostem Vitoldus, iam eum aggredi parabat, cùm Hermanus prælio haud dubiè impar futurus, ad fraudes consilia flectit, & inopinatâ legatione Vitoldum sistit. Aiebat legatus: fractâ proximo prælio Crucigerorum, sociorumque potentiâ, ac præcipuis ordinis capitibus aut cæsis, aut captis, ex paucorum Liuonum cæde, nihil vel ad gloriam, vel ad commoda Vitoldi atque Iagelonis Regis accessurum: si verò Hermanus cum quingentis dumtaxat comitibus Mariæburgum ire permitteretur, effecturum eum procul dubio, vt victoribus tantæ victoriæ fructu, nempe pace, citò frui liceret. Fore enim tantùm auctoritatis Hermano, apud reliquias Ordinis, quas Mariæburgi Rex obsidione teneret, vt eo suadente facilè consentiant, ad reliquum, quod belli calamitatumque superest, perpetuis

Iagelo Mariæburgum obsidet.

Fraude Liuoniæ Magistri, irrito euẽtu.

tuis fœderibus redimendum. Mariæburgi expugnationem, vel ipſo Vitoldo (vti eius munitionis gnaro) non diffitente, ſatis arduam, non poſſe eſſe Regi incruentam: ſi verò Hermanus cum obſeſſis agere permitteretur, victos, ſine ferro ac ſanguine, clementiæ Regiæ ſe permiſſuros. Inuenit dolus Hermani, & oratio legati, fidem apud Vitoldum: dati, qui Hermanum cum quingentis eius comitibus, abſque iniuria ad Regem deducerent. Neque Rex cautior: eiſdem promiſſis deceptus, cum tam valido delectorum præſidio, arcis ingreſſum Hermano permiſit. Ille intra mænia receptus, iam ſui ſecurus, quæ animo complexus fuerat diuerſa à verbis, exequi: præſidium arcis, acceſſione ſuorum animoſius, ad defenſionem hortari: mænia tormentis proſtrata, reficere: Equites Ordinis, cladi ſuperſtites, ad inſtaurandam collapſam Rempublicam excitare: arces alias, ac ciuitates per occultos nuncios in fide confirmare. Ita Mariæburgi expugnatio Hermani dolo ac operâ, difficilior longè reddita, bellum inſequentem vſque annum protraxit, tandem pace concluſum. *A.1410.*

Ad Torunium de fœderibus actum eſt, ac conuentum veteribus conditionibus, niſi quòd Crucigeri Samogitiâ ceſſerint, poſt Iagelonis ac Vitoldi fata eam recepturi Ea res non leuiter Polonorum animos offendit. Videbant ſiquidem, ſuæ victoriæ vtilitatem aliquam Lituanis obueniſſe, ſibi verò prope nullam. Tacti huius inuidiâ maximè Vitoldus laborauit, quòd crederetur ſuis artibus eum impuliſſe, vt Rex ſuapte erga Lituaniam *A.1411. Pax cum Crucigeris ſtabilitur.*

A.1411. pronior, in eas conditiones consentiret. Constitutâ pace in Prussia, Rex per Lituaniam, reuersus est in Poloniam.

A.1412. Cimbarca neptis Vitoldi, Austriæ Archiduci nubi

Cracouiam cum triumpho ingressus Rex, Cimbarcam Kieystudi neptem, Semouiti Mazouiorum Ducis ex Alexandra Vitoldi sorore filiam, Ernesto Archiduci Austriæ, magno apparatu, solennibusque cærimonijs in coniugium dedit. Adfuerunt plures Principum legati, inter primos, Cæsaris Sigismundi. Hic, quæ nuper inter Polonos ac Lituanos serere cœperat, vnde horum populorum secessio succresceret, neque hâc occasione maturare neglexit. Securiùs nimirum Principum machinationes, sub hospitalitatis velo, & latent, & adolescunt. Ad retinendam speciem amicitiæ, atque ad eximendam omnem suorum consiliorum suspicionem, publicas tabulas per legatos Iageloni Sigismundus misit, quibus in gratiam Iagelonis antiquabat ius, quod, Hungarici regni titulo, in Haliciam & Podoliæ partem, prætendebat. Priuatim verò mandata legatis dedit, vt Vitoldum talibus promissis inescarent, quæ, si à Polonis, vtpote rebus eorum non leue allatura præiudicium, non permitterentur; haud dubiam essent discordiarum materiam præbitura. Extat adhuc eius machinationis in tabulario regni publicum monumentum, Vitoldi ipsius, Nicolai Vilnensis Antistitis, Alberti Moniuidi, & Ioannis Niemira, Palatinorum, manu firmatum.

Sigismũdus Cæsar Polonos cũ Lituanis committere conatur

A.1413. Iagelo verò Rex nouo fœdere iungit.

Atque ea fortè causa Iagelonem maximè impulit, vt in sequentem annum comitia vtriq; genti indiceret, in oppido

oppido Hrodlo ad Bugum, peragenda. Conuenêre ad eâ frequentes Lituani, non Principes tantùm, & primores, ſed etiam equeſtris ordinis. Conſilij eius præcipua fuerunt capita: coniunctionis inter Poloniam ac Lituaniam roboratio, & Religionis Romanæ aduerſus quaſdam ſectas ac ſuperſtitiones per Lituaniam propagatio. Quia verò nihil ita amicitias humanas in eadem Republica fouet, tueturque, vt ſimilitudo ac æqualitas: vix ſperari poterat diuturna pax, quamdiu Magno Duci Lituaniæ, plus in capita fortunaſque nobilitatis Lituanæ, poteſtatis eſſet, quàm Regi Poloniæ in ſuos. Maiore ſubditorum libertate, temperanda erat omnino Magni Ducis poteſtas: neque id meliùs præſtari poterat, quàm ſi nobilitate Lituanâ, ad prærogatiuas Polonæ admiſsâ, omnes æquo iure, veluti vnius Reipublicæ ciues, viuerent. Ita futurum erat, vt deinceps pax atque vnio Lituaniæ cum Polonia firmiùs conſiſteret: ſi ampliùs non à ſolius Magni Ducis, arbitrio atque cupiditatibus dependeret. Lege ergo publicâ in eo conuentu cautum eſt, vt deinceps Nobilitas Lituana, omnibus prærogatiuis, quas Polona habuerat, gauderet. Princeps in capita poſſeſſioneſque nobilium, non plus iuris vſurparet, quàm quantùm legibus Reipublicæ permiſſum. Ius legendi liberè Principis penes Senatum, ac equeſtrem ordinem eſſet; ita tamen, ne vel Lituani inſcijs Rege ac Polonis Magnum Ducem, vel Poloni inſcijs Lituanis Regem ſibi adſciſcerent. Magiſtratûs, vt vocant, *terreſtres*, ac Senatorum claſſes, ad

A. 1413.

Lituanos ad prærogatiuas Polorum admittit.

A. 1413. Polonorum normam instituerentur. Comitijs ab vtrâque simul gente celebrandis, legitimus locus haberetur, Lublinum, aut Pargouia. Agrorum possessiones absque auctoritate Principis, ne venderent, neuè donarent equites. Vt verò eius fœderis societas arctiùs vniuersos stringeret, primores Polonarum familiarum, præcipuos quosque Lituanorum ad earumdem gentilitiarum cerarum vsum cooptârunt. Non quòd eiusmodi Nobilitatis aut argumenta aut ornamenta, Lituanis olim defuissent; cùm etiamnum plerisque familijs vetustissima maiorum suorum insignia, nihil commune cum Polonorum stemmatibus, habentia, sint in vsu: sed quòd plurimùm momenti ad diuersos populos in vnam Rempublicam copulandos, accessurum haud dubitaretur; si familiarum capita, velut cognatione quâdam, cerarum similitudine, secum colligarentur.

Familiæ Lituanæ à Polonis ad vsum stēmatū admittūtur.

Deniq; supra Religionis negotio ita sancitum est. Personæ omnes, quas Ecclesiasticas dicimus, earumque Sacerdotia, ac Sacerdotum bona, ijsdem quibus hactenus in Polonia fruebantur, priuilegijs, deinceps per Lituaniam fruerentur. Princeps ne officia, aut dignitates, publicaque munia cuipiam, quàm Romanæ religionis homini conferret, exclusis non solùm Ethnicis, sed etiam quibusuis Christianis, qui Romano Pontifici supremo, subijci recusarent. Prærogatiuæ vniuerso equestri ordini collatæ, ne ad eos extenderentur, qui à Catholica religione, & Summi Pontificis obsequio alieni essent. His ita constitutis, atque per Iagelonem, & Vitoldum,

Religio Lituana legibus Lituanis firmatur.

Vitoldum, consensumque Polonorum comprobatis, Lituaniæ ordines suam ac posterorum fidem, in sequentes leges obligarent. Magnus Lituaniæ Ducatus, cum omnibus suæ ditionis Prouincijs, irreuocabili fædere coniunctus, vnitusque Reipublicæ Polonæ maneret, nullaque bella inconsultis Polonis susciperet, post sera Vitoldi fata, eum solum Principem agnosceret, quem Iagelo renunciâsset. *A.1413.*

Republicâ procuratâ, dimissisque comitijs, Iagelo Rex & Vitoldus, ad religionis negotium in Samogitia promouendum, curas omnes verterunt. Magno delectu è Polonia ac Lituania cælestis disciplinæ Magistri euocati, qui rudibus fictorum numinum superstitione implicatis, veri Dei, Diuinarumque rerum notitiam patrio sermone explanarent. Multis omnino laborandum fuit, in eo populo ab auitis sacris abstrahendo: neque ipsi Principes extra partem laboris fuerunt, cùm magis ardua intellectu, ad rudium captum vernaculo sermone explicanda essent. Mixta erat minis, muneribus, promissis, ac precibus doctrina. Nihil autem ita ad persuadendam supremi Numinis venerationem valuit, quemadmodùm insperati illis euentus; quando ea, quę hactenus vt Sacrosancta coluissent, impunè à Christianis Sacerdotibus violari videbant. Ignem sacrum, qui perpetuâ sacrificulorum curâ ad Niewiazam alebatur, extinctum esse, idola euersa, lucos excisos, varia suarum religionum fomenta deleta; deos tamen suos quiescere, neque de violatoribus pœnas sacrilegij exigere;

Iagelo & Vitoldus circa conuersionem Samogitiæ laborant.

A.1413. gere; primùm mirari: mox vana eſſe ſuorum Numinum nomina ſuſpicari; tandem, quæ tamdiu fuiſſent reueriti, vt ridicula contemnere. Inito demùm populari conſilio, virum ante alios natu grandem delegerunt, qui omnium nomine ſic Principes alloqueretur. Hactenus pro cultu antiquorum Numinum, & ſacris noſtrorum maiorum vſu firmatis, contumaciùs fortè, quàm noſtram erga vos ſubiectionem decuiſſet, egimus: Eſt enim ac debet eſſe, maior Numinum, quàm Principum reuerentia. Poſteaquam verò Deos noſtros, ita nobis laudatos, veſtro iuſſu violatos, nihil pro ſe audere aduertimus, aut parùm, aut nihil virium, illis eſſe minimè dubij, veſtro Numini, tanquam fortiori, volentes accedimus, eiuſque venerationi nos in futurum mancipamus. Acceptus perhumaniter à Principibus Orator, reliquis fuit auctor, ne exequi morarentur, quod per illum polliciti fuerant. Frequentiores ergo deinde ad audiendos de rebus Diuinis ſermones, ediſcendaque veræ religionis præcepta, confluebant. Accidiſſe inter hęc lepidam rem Nicolao Wenzyk Ordinis Prædicatorum ſacerdoti, ad populum præſentibus Principibus verba facienti, aliqui memorant. Explicabat fortè de ſuggeſtu, creati orbis ſeriem ſacer Orator: cùm grandis natu vetulus ſacerdotis ſermonem interrumpens, populum elatâ voce alloquitur: Mihi credite viri: Quæcunque ab hoc iuuenculo homine dici audiſtis, ficta profectò ſunt. Vnde enim ille hæc noſſet, cum ego tot annos, & prope ſæculum integrum, vitâ & memoriâ

Samogitæ religionem Christianã ſuſcipiunt.

moriâ complexus, nequaquam horum recorder? Abijsset tota concio in risum, nisi Rex auctoritate suâ Sacerdoti fidem fecisset apud populum. Perbenignè enim tum edentulum illum, tum reliquos allocutus, edocuit: sacros Oratores, non ea pro concione dicere, quæ ipsi aut oculis suis vsurpâssent, aut ætate attigissent; sed quæ pluribus ante sæculis supremi veríque Dei potentiâ effecta, ex maiorum doctrina, scriptorumque vetustitorum monumentis, ac præcipuè, ex Diuinis libris, hausissent. Post laborem diuturnum, superata est tandem rudis populi ignorantia, atque vniuersi doctrinæ Christianæ rudimentis pro captu instructi, sacro fonte ad Catholicam religionem sunt initiati, magnâ Iagelonis, Vitoldique voluptate. Vitoldus ne sine cultore ager relictus, iterum siluesceret, Pontificatum cum sex Canonicorum Collegio erexit dotauitque: sedem nouo Pontificis, ac Cathedræ, Collegioque, oppidum Miedniki, exædificari mandauit, quòd vt eius tempestatis mos ferebat, nullæ adhuc per Samogitiam ciuitates essent. Adiecit alia Sacerdotia minora, Syragolæ, Crosis, Rosienis, Widuklis, Velonæ, Coltinianis, Lucnicis, & alibi, insignibus templis, ac munificis dotationibus instructa. Hæc omnia, quia iam ante animo destinata habuerat Vitoldus, magnificâ ad Constantiense Concilium, nobilium Samogitarum legatione institutâ, supremæ auctoritatis iudicio confimari, procurauerat: vniuersâ deinde Samogitiæ curâ ad Kieyzgailonem delata, Regem Iagelonem in Lituaniam deduxit.

A. 1413.

Samogitiæ Episcopatus erigitur.

Longè

A.1414. Longè diutiùs, quàm optasset, Iagelo in Lituania morari coactus est: quòd pestifera contagio sæuissimè per Poloniam grassaretur. Inchoatam superioris anni autumno luem, hyems subsecuta mirè propagauit: tam insolitâ per Ianuarium ac Februarium auræ tepiditate, vt passim herbæ arboresque vernis floribus contectæ spectarentur. Sedato aliquantùm malo, Rex circa solemnes Paschatis dies Poloniam repetijt: Vitoldus verò nouum bellum orsus est.

Vitoldus bellũ Russiæ Septentrionali infert.

Septentrionalis Russiæ, opulentissimæ ciuitates, Plescouia, ac Nouogardia, commerciorum occasione, quæ cum finitimis Liuonibus celebrabant, sæpiùs varia auxilia Crucigeris contra Lituanos suppeditauerant. Non latebat id Vitoldum: neque leuiter eius rei recordatio animum fodicabat, sub vindictæ specie, dominij in florentissimas ciuitates occupandi desiderio. Verùm peritissimus dissimulandi artifex non nisi hoc anno secreta consilia in apertum protulit. Collecto exercitu, cùm nemo intelligeret, quò eum destinaret, inopinatò versùs Siebiezium signa mouit, atque modico certamine locum expugnauit. Plescouiam deinde obsidione cinxit. Diu eam ciues constanter ac fortiter sustinuerunt; tandem mænibus integris, animo concidêre. Cùm enim inde Vitoldum cæpto operi pertinaciter insistere viderent, inde vires ad diuturniorem patriæ propugnationem impares sentirent: vt vitam fortunasque redimerent, libertatem prodegerunt, ciuitate ac vniuersâ Prouinciâ Vitoldo deditâ. Victor Vitoldus, certâ num-

Plescouiã deditione capit.

morum,

morum, equorum, pelliumque pretiosarum pensione in annos, tributi nomine, imperatâ, Georgium Ducem Nosŝâ, cum valido delectorum præsidio, gubernandæ ciuitati reliquit: ipse verò, priùs quàm Nouogardensibus ex sociorum fortuna consternatis audacia animusque rediret, vniuersi exercitus robore Nouogardiam aggressus est. Non diu vim tulerunt, famâ Plescouiensis victoriæ iam magnâ parte debellati: citò acceperunt iugum Vitoldi, & tributi annui pendendi debitum. Simon Algimundus Dux Holszanus Prouinciæ administrandæ relictus est: præsidia Lituana munitioribus locis imposita: reliquæ copiæ prosperè domum reductæ. At, quod plerumque temerè occasiones quasuis ad bella captantium, fatum est: dum inquietis armis aliena auidiùs Vitoldus inuadit, domi inopinatum grauiusque longè bellum reperit.

A. 1414.

& Magnā Nouogardiam.

Michaël Cochmeyster nouæ Marchiæ Aduocatus, Equites Crucigerios contra Henricum Plauenium Magistrum concitauerat. Obijciebatur illi nimia facilitas, quâ Benedicto de Macrâ Concilij Constatiensis legato, ad litem de Samogitiæ finibus terminandam misso, consensisset, vt Memelum ac Velona arces, Samogitiæ adiungerentur. Coniecto ob eam causam in Vincula Plauenio, ita reliquum negotium apud Equites temperauit, vt omnium consensu ipse in eius locum sufficeretur. Potitus rerum Michaël, ante omnia fædus nuper ictum, immissis inopinato in Dobryniam vastatoribus, rescidit: ac ne quid sceleris, violati iurisiurandi sacrilegio,

Crucigeri nouū Magistrum creant.

Fædus cū Iagelone & Vitoldo rescindūt.

A. 1414. gio, deeſſet, quoſcumque Polonorum intercipi contigit, ſuſpendio omnes enecauit. Gedani, Ragnetæ, & per alia emporia, mercatores Polonos ac Lituanos, fortunis omnibus exutos trucidari iuſſit. Ad eos motus reprimendos Rex Iagelo Polonas Lituanaſque legiones, cum Sileſiorum & Morauorum ſtipendiarijs, in Pruſſiam mouit. Verùm exiguo, aut nullo operæ pretio ea expeditio ſtetit: oppida duntaxat ignobilia aliquot capta ſunt, & in agros latiùs ſæuitum, vaſtando. In ea excurſione dum Lituani ſolutiùs agunt, Mareſchalcus Lituaniæ Butrym, cum illuſtri viro Nicem in poteſtatem hoſtium venit. Reuocato ab agrorum vaſtatione exercitu, Rex Polonas copias Torunium, Vitoldus Lituanas Culmam duxit. Ægrè ferebat Iagelo eam copiarum diuiſionem: Vitoldus tamen in ſententiâ perſtitit, Culmamque operibus, ac aſſultibus pertinaciter fatigabat. Maturuerat iam ciuitatis expugnatio, vix paucorum dierum vim laturæ, cùm deſperatis rebus ab ingenio remedium Cochmeyſterus ſubminiſtrauit. Comminiſcitur Brodnicenſis præfecti epiſtolam, quâ Magiſtro Ordinis nunciabatur, quàm anguſta res eſſet Brodnicæ: quomodo annonæ ac tormentarij apparatûs penuriâ extremè laboraret. Si Magiſter prouidere differret, hoſtis verò arma admoueret, intra aliquot dies ciuitatem perituram. Tabellioni deinde mandat, ita iter moderari, vt velut fortuitò in excubias Vitoldi incidat. Captus Tabellio, epiſtolaque lecta: ſic fabula fidem, auctor fabulæ pretium conſilij, reperit. Vitoldus enim nihil

Iagelo in Pruſſiam exercitum ducit.

Vitoldus Culmam obſidens, eluditur ſtratagemate.

hil ſubeſſe fraudis ſuſpicatus, verùm capiendæ Brodnicæ ſpe plenus, obſidionem Culmenſem properè ſoluit: neque priùs fraudem deprehendit, quàm ad Brodnicam, cuncta Epiſtolæ aduerſa, expertus eſt. Licet verò nullo omnino laboris fructu ſub muris cum exercitu ſederet, non priùs tamen ab obſidione receſſit, quàm bello ipſi, finem Pax attuliſſet. Turcici enim belli moles, Hungariæ impendens, vel inuitos Principes ad concordiam vrgebat. Quare cùm Pontifex Summus, ac commune Chriſtianorum Concilium, pacem inter Regem ac Crucigeros maximè optaret: allaborante Pontificio Legato Lauſanenſi Epiſcopo, biennales induciæ ægrè ſunt conceſſæ. Hortabatur inſuper Concilium Principes, vt initâ cum Crucigeris pace, aut iunctis viribus arma in Turcam verterent; aut ſaltem per ſuas ditiones ituris contra Turcam Crucigeris, liberos tranſitus permitterent. Vtraque res plena periculi viſa; itaque neutra conceſſa.

A. 1414.

Pax biennalis in Pruſſia ſtatuitur.

Plus apud Vitoldum Sigiſmundi Cæſaris auctoritas valuit. Abiturus ad Concilium, non ex vano metuebat Cæſar, ne per ſuam abſentiam à Tyranno Turcarum contra Hungariam attentaretur: enixè igitur per legatum poſtulauit, vti eius intereà tuendæ curam, Iagelo ac Vitoldus vellent ſuſcipere. Iagelo certè ex vetere Reipublicæ Polonæ more plurimùm abhorrebat ab eiuſmodi occaſionibus, per quas Turcico bello Poloniam intricari poſſe, ſuſpicio eſſet. At Vitoldus ſecretioribus pactis Sigiſmundo obnoxius (Coronæ enim Lituanæ

Sigiſmundus Cæſar Hungariæ defenſionē Iageloni, & Vitoldo commendat.

A. 1415.

A.1415. cogitationes, ac spes, iam in animum admiserat) nihil negare ausus est: quin & Iagelonem induxit, ne tam religiosam, atque dignitatis plenam causam, regni scilicet Christiani protegendi, negligeret. Quare, cùm hoc anno Machmetes Turca Bosnam, Hungariæ validam vrbem, aggressus esset, vulgatâ eius expeditionis famâ, Iagelo ac Vitoldus grauissimâ legatione egerunt, vt Hungariâ abstineret; bellum minati disertè, nisi eorum legationi annueret. Tantùm momenti eorum Principum auctoritas apud Barbarum habuit, vt ab vlteriore belli progressu deterritum, ad sexennales cum Hungaris inducias paciscendas inclinârit. Orientali quoque Imperatori, armis Turcicis miserè afflicto, ingentem è suis ditionibus annonæ vim, hoc eodem anno suppeditârunt: hæc secundo fluuiorum alueo, ad Euxinum Pontum deuecta, ex Kacibeia, Lituanæ tunc ditionis portu, Constantinopolim maioribus nauibus deportabatur.

Iagelo ac Vitoldus Turcicum ab Hungaria bellū auertunt.

Constantinopolitano Imperatori annonā suppeditat.

Vitoldus à bellicis tumultibus quietem nactus quò securiùs, eò studiosiùs conseruandæ in integro Religionis curas, resumpsit. Sacerdotes, ac Præsules Russorum, vt in sacris cæremonijs Græcum sequuntur ritum, ita errores Græcorum æmulati, eorum exemplo à Summi Pontificis obsequio, & Ecclesiæ Romanæ societate, per Vitoldi ditiones, desciscere incæperant. Mouit ea res Vitoldum, quòd sciret eiusmodi ausu, non leuiter labefactari, quæ à se, ac Iagelone Rege, pro subditorum concordia, in rem veræ Religionis sapientissi-

Vitoldus, Schismain suis ditionibus serpens,

mè fuerant constituta. Quia verò nouitatum harum auctores, non è vulgo, sed præcipui Antistites, non obscurè designabantur, ac præsertim qui Græcæ nationis essent: malo serpenti remedium, non poterat aliunde, quàm à publico ipsorum Religionis Antistitum conuentu peti. Itaque singulari studio Vitoldus perfecit, vt concilium pro Russorum natione Nouogrodecum in Lituania indiceretur: cui, ipse quoque Constantini Magni exemplum imitatus interfuit. In eo consilio Gregorius Focius, Metropolitanus Kiiouiensis, Phocianæ inter Russos rebellionis excitatæ, atque propagatæ, auctor deprehensus est, atque in tanti sceleris pœnam, magno omnium consensu dignitate motus. Suffectus est illi Gregorius Cimoulacus Bulgarus, singulari sacræ eruditionis commendatione percelebris. Hic deinde à concilio suæ gentis, & Vitoldo Principe legatus, tum Romæ, tum in generali Synodo, negotium Orientalis Ecclesiæ ad concordiam cum Occidentali reducendæ, impensè promouit. Probabat vehementer Martinus V. Papa eam erga res diuinas in Vitoldo animi propensionem, commendabat constantiam, quâ non Græcorum modò ab Ecclesia secessionem, sed & Viclephianorum errorum sectatores auersabatur: vti literis suis ad Iagelonem datis, contestatus est. At simul vehementer metuebat, ne ob pertinacem ambitionem, nouis discordijs discerperet populos, qui magno Reipublicæ Christianæ bono, arctis fœderibus in vnum coaluerant. Quæ enim ab aliquot annis secretiùs

A. 1415.

Per Nouogrodense concilium cõprimit.

Regnũ Lituaniæ ambit.

A.1415. cretiùs inter Sigiſmundum Cæſarem, & Vitoldum de regno Lituaniæ agitabantur: ita variorum ſermonibus vulgabantur, vt nec Romanam Curiam laterent. Quare haud ignarus Pontifex, quàm facilè promiſſi regni ſemina, & quàm altè, in animis Principum, radices agant: maturè Epiſcopum Calmenſem (quem ſolum id auſurum publica ferebat opinio) grauiſſimis literis dehortatus eſt, ne Sigiſmundi Cæſaris auctoritate permotus, præſumeret Vitoldum, coronâ ac cæteris inſignibus, ex Romanæ Eccleſiæ more, ad regnum Lituaniæ inaugurare. Ignorâſſe Regem, eas Vitoldi machinationes, vix credi poteſt; illud verò propiùs, diſſimulâſſe: quòd Vitoldi, Lituaniæque ornandæ eſſet cupidior. Itaque ſpecie mæroris, quam ex Reginæ Annæ obitu hauſerat, diluendi; reuerà autem vt Vitoldo confirmaret opinionem, ignorari eius à ſe conſilia, profectus eſt in Lituaniam. Accepit Iagelonem Vitoldus regali magnificentiâ: atque poſt paucorum dierum hoſpitium, ad Reginæ funus Cracouiam properanti, præter alia ampla munera, viginti millia Marcarum Bohemicarum, centum generoſiſſimos equos, quadraginta veſtes pellium zebellinarum, centum togas Perſici operis aureo filo intertextas donauit.

Martinus V. Papa impedit.

Rex Iagelo diſſimulat

A Vitoldo colitur munificè.

Scythæ Ruſſiã populantur.

Redierunt intereà legati ex Concilio rebus ex voto confectis, cum literis, quibus Archiepiſcopo Leopolienſi, & Vilnenſi Epiſcopo, erigendi Samogitiæ Epiſcopatûs committebatur negotium. At ea res differri debuit aliquantùm, ob ſubitam eamque grauiſſimam tem-

A.1416.

pestatem, Crucigerorum largitione, vti aliqui connotârunt, excitam. Celebris ille Scytharum Regulus Ediga, ingentibus copijs inopinato Russiam inuasit, vastatisque latissimè obuijs, Kiiouiam insuper Rusiæ Metropolim, vrbem opibus, ac publicorum ædificiorum magnificentiâ, ante alias claram, ita depopulatus est, vt nunquam deinceps pristino splendori restitui potuerit. Rex Iagelo hactenus ad arma impiger, calamitatem hanc publicam sentire visus non est: ita Martium eius pectus, ex Veneris toxico, ad sensum tanti mali obstupuerat. A morte coniugis Annæ ad thorum destinauerat animo Elizabetham Pileciam gente, viduam Gradowscij equitis, sibi ante spirituali cognatione iunctam, quòd Mater eius Iagelonem è sacro leuâsset fonte: ea cogitatione absorptus, alia non curare videbatur. Multa huic matrimonio obstabant, atque inprimis senatûs Poloni consensio. Vitoldus quoque peracerbè ferebat Regiam maiestatem, tam indignè tractari. At quòd ipse quoque vicissim ad sua consilia Regis aut consensu aut dissimulatione egeret, consilium Regium publicè non impugnauit. Rex verò ex Vitoldi silentio audacior redditus, facilè contempsit, quidquid ab eo matrimonio in domum regiam deriuaretur. Quo tempore Ediga per Rusiam ferro & igne grassabatur: Iagelo nuptialibus festis cum Elizabetha Sanoci celebrandis, præsente Leopoldo Austriæ Archiduce, indulgebat. Memorabiles nuptiæ populi auersatione, sed inprimis tantâ Rusiæ clade: quàm superos immisisse publicè credebatur,

A. 1416.

Kiiouiam occupatã vastant.

Rege intento in nuptias quas omnes auersabantur.

A.1416. debatur, vt id quod communibus votis populus accusabat, ab ipsis damnatum nemo dubitaret. Esse enim quandam consensionem inter publicam populi vocem, & secretam Numinis Supremi sententiam, vulgò creditur.

A.1417. *Concilij Constantiensis legati perficiunt erectionem Episcopatus Samogitiæ.*

Sedatis per Rusiam Scythicis tumultibus, Vitoldus Concilij legatos inuitat, vt quæ à consilio mandata haberent exequi, nollent differre. Vt enim erat concitatiore ingenio, nihil ipse lentè agebat, & in alijs moras oderat: præsertim quia non alibi magis, quàm vbi de cultu Diuino, populorumque salute agitur, mora omnis meritò damnanda est. Venerunt maturè Vitoldi rogatu in Samogitiam legati: qui instituto nouo Pontifice Mathiâ, Lituano gente, Theologicarum disciplinarum Magistro, nuper in Canonicorum Vilnensium collegio Præposito, vniuersa quæ ad ordinandas in eo Ducatu Ecclesiæ rationes pertinebant, ad Sacrarum legum præscriptum, ritè per Octobrem, perfecerunt. A Religionis negotijs ad Reipublicæ curas reuocauit Vitoldum, biennalium cum Crucigeris induciarum, imminens finis. Velonam fuerat indictus conuentus, in quo certi aliquid, aut de prorogando fœdere, aut de perpetua

A.1418. *Conuêtus Pacis gratiâ factus bello terminatur.*

pace, inter partes statueretur. Sed obstinatè Crucigeris omnes alias conditiones respuentibus, ac intolerabili fastu Samogitiam, velut suam repetentibus, labor omnis in irritum abijt: neque multò post, aperto bello per insidias Crucigeri præluserunt. Soluto conuentu Rex substitit aliquantùm Velonæ, animi causâ, quòd in pro-

pinquo

pinquo essent loca venationibus ferarum, ad oblectationem celeberrima. At, cùm feris intendit, vix ipse se Crucigerorum casibus non induit, ægrè suorum virtute seruatus ab insidijs, quas Rastemburgensis Præfectus, loco ad fallendum opportuno, tetenderat. Hinc mutuæ incursationes finium subsequutæ, atque obuia vtrimque vexata. Dum delectus ampliores instituuntur, Vitoldus post mortem Annæ coniugis, Trocis è viuis sublatæ, cum Vliana Iuani Algimundi Ducis Olszani filiâ connubium apparabat. Matertera erat defunctæ, hæc Vliana. Quare Petrus Antistes Vilnensis constantissimè obnunciabat, ne eo matrimonio diuinæ humanæque leges violarentur. Atque fortasse suâ constantiâ deiecisset à proposito Vitoldum; nisi Ioannes Kropidto Vladislauiensis Episcopus, qui cum Rege in Lituaniam venerat, eum confirmâsset. Hic enim pro assentatorum more, leges ad genium Principis interpretatus, matrimonium illud ratum pronunciauit, atque solitis Ecclesiæ Romanæ ritibus comprobauit. Peractâ connubiali pompâ, ad bellum Crucigeris inferendum omnem contentionem Principes vertêre. Vitoldus, seu ex veteribus odijs alienior à Suidrigelone, seu nouis indicijs in suspiciones impulsus, ne cùm exercitûs robur in Prussiam educitur, domi aliquid turbarum erumperet, Suidrigelonem capi iubet, atque Kremenecij in vinculis asseruari. Nihilominus citò conspirantibus Russis, excubiarum Præfecto Conrado Frankerbergo trucidato, liber dimissus est. Sibi redditus, ad Sigismundum

A. 1418. Rex insidias Crucigerorum euadit.

Vitoldus coniugem ducit.

Vitoldus Suidrigelonem in vincula conijcit.

A.1418. mundum Cæſarem confugit, atque inde Cæſare ac Rege Iagelone allaborantibus, ægrè Vitoldo eſt reconciliatus. Bellum intereà Pruſſicum iam maturuerat. Iam Poloni Lituanique exercitus tranſgreſſi fines, Pruſſiam intrauerant: omnes, atque inprimis Principes Iagelo ac Vitoldus, eo animo, vt extremâ virium contentione tandem bello tam moleſto finem imponerent: Crucigeris, aut ad obſequium quietè ferendum, aut ad amicitiam conſtanter colendam, vi compulſis. Crucigeri ab aduerſo, vt pace inquieti, nimiumque ſibi fidentes, ita bello, vbi impares ſe aduerterunt, non pacis ſtudio, ſed periculi metu, fœderum cupidi: ruentibus ad iuſtam vindictam copijs, auctoritatem obiecerunt Pontificij legati Bartholomæi Capræ Archiepiſcopi Mediolanenſis. Validum profectò ſcutum, præſertim contra Iagelonem, & Vitoldum, quibus Religionis Christianæ non pridem ſuſceptæ, atque Pontificiæ dignitatis veneratio tenerior, nondum antiquitate occaluerat. Stitêre itaque arma: atque licet à Crucigeris nihil ſincerè ageretur, operâ Archiepiſcopi in biennales inducias iteratò conſenſerunt. Rex Daniæ, & Dux Pomeraniæ (qui cum auxilijs ad Crucigeros venerant) vbi iniquitatem in eo negotio aduerterunt, rei indignitate permoti, apertè causâ, & caſtris Crucigerorum deſertis, ad Iagelonem ac Vitoldum tranſierunt, fœdera pepigerunt: promiſſis contra Crucigeros auxilijs, ſi quid contra recentes inducias innouare auderent. Confectis induciarum tabulis, Vitoldus Lituaniam petijt, Rex maiorem Poloniam: in

Bellum in Pruſsiam totis viribus ſuſceptum.

A legato Pontificis inducijs terminatur.

in quo itinere cùm Posnaniâ Srodam tendit, non multùm à periculo vitæ abfuit. Repentè enim atræ nubes cælo obductæ incredibili tempestate detonuerunt: duobus regij currûs Satellitibus, quatuor è sexigâ equis, quinto sub armigero, fulmine ictis. *A.1418.*

Redux è Prussia Lituanus miles, modicâ quiete recreatus, ab Occidente in Orientem ductus est. Trans-Volgensi Scythiâ, post amissum morte Regulum Zeladinum scissâ in factiones: pars vnum, pars alterum ex defuncti Principis filijs, paterno imperio successorem designabat. Kieremferdenes reliquis fratribus potentior, quod consensu obtinere non poterat, vi occupauit. Tachtames eius frater, suis suorumque viribus diffisus, cùm æmulum neque tolerare, neque opprimere posset, ad Vitoldum cum præcipuis suæ causæ patronis confugit. Vitoldus hactenus eius populi constantem amicitiam sæpiùs expertus, fidelemque bellicis expeditionibus operam; non dubitabat è Republica fore, si ipsum populi Ducem nouo beneficio sibi obstringeret. Tachtamem ergo benignè ac munificè acceptum, spe auxiliorum confirmat, Vilnæ solemni pompâ, imposito gemmis lapillisque splendente pileo, Trans-Volgensium Scytharum Imperatorem (vulgò Tzarem) renunciat, atque inaugurat. Redibat in patriam Tachtames spe imperij plenus, vltra populares copias, auxilijs Vitoldianis succinctus. At, vt in ascensu præcipitis montis, qui semel planum verticis vestigio occupauit, faciliùs enitentem in altum reijcit, quàm ipse detruda-

A.1419. Scythiæ populi à Vitoldo Imperatores suos accipiunt.

A.1419. tur : ita Tachtami planè contigit. Kieremferdenes enim validissimo exercitu collecto, venienti occurrit, commissoque prælio copias eius profligauit, ipsumque fratrem occidit. A cæde Tachtamis, tertius frater Ieremferdenes, fortunam fraterno sanguine cruentam non exhorruit: sed ad Vitoldum ipse quoque confugit. Plus in mortali animo poterat honoris cupido, quàm metus periculorum. Neque Vitoldus tanti æstimauit cladem nuper acceptam, quanti dignitatem sui nominis, quòd tam bellicosis populis suo arbitratu Reges daret. Quare Ieremferdenem legitimum Principem solemniter renunciauit: ne autem solâ vani tituli pompâ illudere amico voluisse, quispiam diceret, omni ope in paternum imperium restituere decreuit. Mareschalco Lituaniæ Nicolao Radiuilo committit curam, vt instituto properè per Lituaniam delectu, validas copias instruat, iisque Ieremferdenem in Scythiam deducat. Executus impigrè mandata Radiuilus, in Scythiam mouit. In ipsis finibus, plurimi Scytharum, violentum Kieremferdenis dominatum perosi, ad Ieremferdenis castra confluxerunt: vnde vires non modicè auctæ. Kieremferdenes tamen nihilo timidior, cui prioris victoriæ memoria animos faciebat, intrepidè ad Volgam cum exercitu sese Fratri obiecit. Ieremferdenes popularibus suis primam prælij gloriam petentibus, non inuitus concessit. Pugnatum est, aliquamdiu fortunâ neutrò victoriam inclinante, vbi prælium vires, virique æquabant: verùm Radiuilus non passus diutiùs suos ex-

tra prælij aleam ſtare; facto in latus hoſtium impetu, A.1419.
& pugnam & fortunam inæqualem reddidit. Citò prælium in fugam verſum eſt, cùm cæſo belli auctore, omnes campum deſeruerunt. Superſtites pugnæ, facilè Ieremſerdeni acceſſerunt: vt enim præciſo capite reliquus truncus riget immotus; ita factionum auctoribus ſublatis, facilè ad quietem populus componitur. Omnium conſenſu Ieremſerdenes imperio ſuæ gentis potitus, beneficium Vitoldi amplâ legatione muneribuſque veneratus eſt: atque quamdiu vixit fidum ſe expeditionum bellicarum ſocium exhibuit. Tauricani etiam Scythæ, quos *Crimæos*, & *Perecopenſes* vocamus, eius victoriæ famâ Vitoldo ac Lituaniæ, mirè ſunt conciliati. Ipſe Ediga Tauricanæ Cherſoneſſi Imperator, cladibus Lituanorum ac Ruſſorum celeberrimus, honorificâ legatione amicitiam Vitoldi expetijt: atque fidem ſuam, ad perpetuam pacem, & auxilia contra quoſuis hoſtes ſuppeditanda, ſolemni fœdere obſtrinxit.

Tantis incrementis Vitoldi nomen per Septentrionem, ac Orientem aſſurgens, viciniorem ſibi Bohemiam perſtrinxit, vt excuſſo legitimi Principis imperio, ſponte ad Vitoldi obſequium curreret. Controuerſia, inter Polonos ac Crucigeros, de certis ditionibus, per tot annos, armis atque diſceptationibus agitata, bellorum ſemen feraciſsimum, cùm aliter terminari non poſſet, æquo Sigiſmundi Cæſaris arbitrio permiſſa fuerat. Iagelo enim ac Vitoldus Polonæ cauſæ æquitati

Bohemi regnum Iageloni ac Vitoldo offerunt.

 confiſi,

A. 1419. confisi, eam conditionem non repulerant. At vbi constitit nihil à Cæsare ex æquo actum, sed contra fas sententiam esse pronunciatam, iudicio eius renunciârunt,
A. 1420. atque ad vindicanda armis sua iura, sese comparabant. Bohemi post religionis dissidia nuper excitata, excussamque Ecclesiæ Romanæ venerationem, ad apertam contra suum Regem rebellionem prolapsi, externas vicinorum vires (vti superiùs etiam memoraui) circumspectabant; quibus se contra Cæsaris potentiam communirent. Cùm ergo Cæsari infensiores redditos Iagelonem ac Vitoldum non ignorarent, rati quamcunque vindictæ occasionem haud dubiè arrepturos, Regnum Bohemiæ eis obtulerunt: Iagelo nihil omnino legatos

Reijciuntur ab vtroq;. moratus disertè respondit. Dominijs, quæ è diuina manu absque vllius iniuria, accepta haberet, contentum; aliena omnino non ambire: neque posse sibi persuadere, vt inter eos regnet, qui Ecclesiæ imperijs subesse nollent. Non absimile responsum à Vitoldo retulerunt. Neque tamen spes destituit Bohemos: existimabant nullam esse tantam constantiam, quam regnandi cupido non labefactet. Instauratâ iterum legatione animos Iageloni ac Vitoldi arietare pergunt. Merecij fortè in Lituania Principes, animum, corpusque, ferarum venatione exercebant: ibi legatis copia, exponendorum palàm mandatorum, data est. Orabant illi, ne tantam augendæ Reipublicæ opportunitatem, quâ nulla aut maior esse, aut facilior, posset, elabi paterentur. Silesiam, aiebant, vel inuitis Bohemis repeti debuisse, vti

antiquam

antiquam iuris Poloni Prouinciam; spontè redeuntem, *A.1420.*
nequaquam repelli oportere. Bohemiam ac Morauiam eiusdem cum Polonia originis, nullo negotio in vnam Rempublicam coalituras. Ita verò ab eorum populorum accessione, vires Reipublicæ validas fore, vt Sigismundo Cæsari, quo nemo alius Polono nomini infensior esset, reprimendo, & Crucigeris perdomandis, abundè sint suffecturæ. Non aliena à vero, ac in speciem perquàm vtilia, dici videbantur: nihilominùs Rex nihil de sua constantia remisit. Vitoldus famæ regnandíque auidior, inter acceptandi repellendiq́ue consilia, dubius sententiæ, aliquamdiu hæsit: atque ea de causa legatos apud se retinuit. Rebus verò penitiùs perpensis, ipse quoque disertè negauit, quæ à Bohemis postulabantur.

Sequentem annum, belli curis liberum, pacis negotijs Vitoldus impendit. Inprimis indicto ordinum Lituaniæ conuentu, ex eorum consensu tabulas publicas confici curauit: vt quæ nuper Pontificatum Miednicensem, & alia varia Sacerdotia excitando statuerat, plus apud posteros haberent venerationis, ac roboris, si in eo vniuersi Ordines consensissent. Deinde firmandæ domûs Regiæ curam orsus est. Post repetita semel iterumq́ue connubia, ipse iam spe vlterioris prolis exciderat. Iageloni quoque nullus hæres erat. Hinc quæ vulgaris Principum ægritudo est, angi nimiùm Vitoldus, quòd id fastigij, ad quod domum suam euexerant, posteris non essent transmissuri. Iagelonis domus ex nu-

A.1421. Vitoldus Pontificatũ Miednicensem confirmat.

Iageloni Sophiam neptẽ matrimonio iungit.

A.1421. pero Elizabethæ coniugis obitu, vacua, nouo matrimonio, ſpei aliquid reliquerat: præſertim quòd ſuſcepta ex priore coniuge proles, argumento eſſet, non ſuo vitio, hærede Regem carere. Vrgere itaque Iagelonem cœpit Vitoldus, vt in eam ſpem deligeret ſibi conſortem. Facilè in ſententiam Vitoldi permotus Iagelo, eodem ipſo auctore, animum ad Sophiam, Andreæ Kiiouienſium Ducis filiam, Vitoldi ex ſorore neptem, adiecit. Virgo erat formâ florente, firmâ valetudine, ætate nubili, Græcis religionibus Ruſſo ritu addicta: atque ea ſola, non leuis, cauſa metûs fuit, ne Poloni huic matrimonio aduerſarentur. At, cùm Parente annuente, virgo ad Romana ſacra tranſijſſet, metu illo euaneſcente, Matthiâ Vilnenſi Antiſtite, ſolemni ritu, vt eas nuptias Numen fauſtas, fortunataſque Reipublicæ iuberet, apprecante, magnis in publicum lætitiæ argumentis editis, connubialia feſta ſunt peracta.

A.1422. *Sigiſmundũ Nepotem Regẽ Bohemiæ eligi procurat.*

Tertiò Bohemorum legati, cum veteribus poſtulatis, redierunt, noua ſpe erectiores. Quòd enim nuper Vitoldus tergiuerſari magis, quàm apertè negare, viſus eſſet, ſuſpicionem haud mediocrem mouerat, fore vt apud eum ſaltem, tandem aliquid obtineant. Auditi in Senatu nihil publicè in rem ſuam impetrârunt: omnibus palàm nolentibus Rempublicam Bohemicis turbis implicari. Nihilominus ſecretò vocatis, quid vellet animo Vitoldus aperuit. Nolle ſe apertâ regni Bohemici acceptatione, Principum odia irritare, ſibi non profutura, Bohemis verò etiam noxia. Sigiſmundum, Cæ-

ſarem,

ſarem, ſuis in Poloniam iniurijs meritum eſſe, ne omnino abhorreat à Bohemorum defenſione; ſed eam aliter, quàm hactenus Bohemi cenſuiſſent, ratione, ſuſcipi poſſe. Eſſe ſibi Sigiſmundum nepotem, Ducis Demetrij Corybuthi filium, Virum bello exercitatiſſimum, fortunatumq́ue, ac quantouis regno parem. Si eum Bohemi Regem renunciarent, ſe extra inuidiam, ſub nepotis nomine res Bohemicas, milite ac pecunijs adiuturum. Facilè in ea conſenſerunt legati: cùm eo modo Iagelonem quoque poſſe pertrahi ad nepotem iuuandum arbitrarentur. Sigiſmundus celerrimis nuncijs à Vitoldo euocatus, atque de omnibus edoctus, quantâ maximâ potuit feſtinatione exercitum à Vitoldo acceptum, per manipulos diuidit, extra Poloniæ fines tacitè educit, in Bohemiam, ſpe Bohemorum citiùs, penetrat.

A. 1422.

atque contra Cæſarē exercitu inſtruit.

Res tam inopina pupugit non leuiter Cæſarem Sigiſmundum: quia verò & vindicando, & repellendo bello ſimul impar erat, Crucigeros concitare contendit, vt ruptis fœderibus Poloniæ fines infeſtis ſignis inuaderent. Sperabat enim fore, vt bello ab alia parte coorto miles ex Bohemia reuocaretur. Diu hæc agitabantur operâ occultorum internunciorum, per Maiorem Poloniam, mendicorum habitu ſecurè commeantium, donec fortuitus euentus fraudes prodidit. Tabellariorum vnus, Conini repentino oppreſſus morbo deceſſerat: cùm demortui corpus ad funus paratur, inter veſtes literæ Cæſareis ceris ſignatæ deprehenduntur.

Cæſar Crucigeros concitat contra Polonos, ac Lituanos.

A. 1422. tur. Ortâ suspicione, ne fortè aliquid in eis lateret, quod publicam rem concerneret, magistratus clausas ad Regem deferri curauit. Apertæ, Cæsaris machinationes aperuerunt. Suadebat ille Crucigeris confinia subitis incursionibus infestare: sicubi miles opponeretur, pacis ostentatione prælium declinare: molesto magis bello, quàm periculoso, assiduò diuexare: tanquam inuiti arma sumpsissent, concordiæ desiderium præferre, negotij summâ ad Cæsaris vel Papæ arbitrium reiectâ: spe pacis, cohortes Polonas incautiùs agentes opprimere: omnia, quæ hostes solent, agere; pacem tamen verbis, vnicè commendare. Detectis hiscè fraudibus, palàm bellum omni ope gerendum, contra Prussiam indicitur. Magnâ celeritate delectus perfecti: cohortes in vnum coactæ: exercitus validus in Prussiam ductus. Destinauerant Crucigeri, triginta millibus instructi, fortunam aperto prælio concredere. Verùm auctore Conrado Nemcio Silesco, consilium mutârunt: diffisi campo, per castella atque arces, exercitum diuiserunt. Hoste nullibi pugnæ copiam faciente, Iagelo & Vitoldus equitatum omnem ad agrorum populationem expediuerunt. Effusus latissimè incredibilem vastitatem edidit, longè maiorem patraturus, nisi legati Cæsarei aduentus, impetum retardâsset. Episcopus is Corbauiensis fuit, & policitatione æquiorum in rem Polonam conditionum Iagelonem ad agendum de pace flexit. Rogabat Cæsaris nomine, vt Corybuthum è Bohemia euocaret, atque bello in Crucigeros abstineret:

Bellum in Prussiam indicitur, à Iagelone & Vitoldo.

Prussia latissimè vastatur Crucigeris per arces hærentibus.

quòd Cæsar paratus esset omnino, si coram illo de iniurijs per Crucigeros illatis disceptaretur, satisfacere. Quod si fortè Cæsaris æquitatem Rex in dubium vocaret, libenter Cæsarem suo iure cessurum permissurumque (modò Regi id probaretur) vt viri Principes ex Bohemia ac Polonia delecti, negotio discusso, liti finem imponant. Ad hæc Iagelo. Cæsaris siue æquitatem, siue amicitiam, satis sibi esse probatam nupero argumento, cùm electus arbiter Litis, contra fas pro Crucigeris pronunciauit. Quamquam verò, eâ ipsius sententiâ, nihil aut iniquius, aut magis hostile esse queat, à se tamen pacis studio nihil contra armis tentatum fuisse, priusquam ipsi Crucigeri suis excursionibus, eam irritam fecissent. Belli Prussici ipsum Cæsarem auctorem esse, qui occultis literis classicum Crucigeris cecinisset. Corybuthum nepotem suum, militaribus ausis à puero innutritum, non regiâ auctoritate: sed proprio arbitrio Bohemis auxilia suppeditâsse, atque adeò vti se inscio petijsset Bohemiam, ita non excessurum, nisi cùm ei liberet. Moderatiùs ista Rex. At Vitoldus ab indignatione concitatior. Meo, inquit, iussu Corybuthus Bohemiam inuasit, vt de Cæsare vindictam sumeret. Mansurum isthîc eum spondeo, donec Cæsar sentiat, quanto rerum suarum damno, amicitiæ specie hactenus sit abusus, vt incautos Polonorum Lituanorumq; animos circumueniret. Expedito legato, vastatio agrorum rursus est resumpta: atque ab ea non procul Torunio conuenire legiones iussæ. Hostis quoque in propinquo in-

A. 1422.

Cæsar per legatū bellum sistere conatur.

Vastatio Prussiæ resumitur.

A.1422. tereà castra præmunierat, in occasionem rei gerendæ intentus. Quare sedecim Polonorum, atque alijs sedecim Lituanorum signis negotium datur, vt hostem in loco tamdiu distineant, donec exercitus vniuersus superueniret. At iam Crucigeri priusquam in conspectum hæc signa venissent, deserto vallo, in tutiora se maturè receperant. Vastatis igitur Toruniensibus agris Culmam castra promouentur, vt alicubi hostem, aut occupare, aut elicere, ad pugnam possent. Tandem Crucigeri cùm neque confligere auderent, neque agrorum vastitatem, aut arcere, aut ferre possent, ad petendam pacem compulsi sunt, quàm Rex modò æqua esset, non aspernabatur. Concessis breuibus inducijs, ad V. Kal. Octobris, dies agendi de fœderibus dictus: locus, castra Polonorum. Post aliquam cum Euerhardo Magistro disceptationem, ægrè partes conuenerunt in has leges. Crucigeri ius omne in Sudouiam ac Samogitiam iureiurando adiecto antiquarent; Rex quidquid eo bello de Prussia, ademisset, restitueret: si quis prior fœdera hæc violare attentaret, subditi eius ab obsequio liberi manerent. Verùm ea tamdiu integra fuerunt, quamdiu impendentis exercitûs metus, quietem inuitis extorquebat. Posteaquam victor exercitus è finibus Prussiæ eductus, conspici desijt; omnia proculcata: negante Cæsare Crucigeros ijs obligari, quæ ipso aut inscio, aut inuito, statuissent. Cogitur itaque Rex iterum bellum contra Crucigeros in sequentem annum edicere. Territus eo nuncio Cæsar, permisit Magistro, vt non expectatis

Crucigeri ad petendã pacem coguntur.

Pacis conditiones

quas Cæsar rescindit.

A.1423. Rursus pax cum

expectatis legatis Cæsareis, de pace cum Iagelone, ac Vitoldo transigeret. Nihil ferè ijs pactis, ad Mielnicense fœdus, adiectum est: nisi quòd supplicantibus pro Cæsare Crucigeris, spoponderit Iagelo, curaturum se, vt Corybutus cum suis, ex Bohemia abiret. *A. 1423. Crucigeris stabilitur.*

Iam ille hoste aliquot locis profligato, Cæsareis totâ Bohemiâ depulsis, vniuersum prope regnum suæ potestatis fecerat: neque solùm Rei bellicæ peritiâ, ac successu; sed etiam vario officiorum genere, præcipuis capitibus deuinctis, regij tituli spem abundè stabiliuerat. Non tamen ausus est, Iageloni ac Vitoldo reuocantibus, non obtemperare; neque eorum amicitiæ tam blandè arridentem fortunam anteponere: præsertim quòd eam ipsam, quantaquanta esset, illis solis totam deberet. Adiecit suasioni monumentum regia pollicitatio, quâ ei Dobrynia promittebatur, si Bohemiam desereret. At, vt est facilis ad iram ambitio, cùm Rex promissa differt, inde indignatione in Regem vrgente, inde degustatæ potentiæ memoriâ titillante, dolere quòd fortunam ipse suam destituisset: reditum in Bohemiam apparare. Sensit id Vitoldus, atque siue suâ sponte, siue, quod vero propiùs, Pontificiæ auctoritatis veneratione, sedulò laborauit, vt Corybutum in Lituania detineret. Acceperat enim à Martino V. Papa grauissimam Epistolam, quâ monebatur ne Princeps Catholicus, sectam Hussitarum propagare pergeret, rebellionem Bohemorum per Corybutum propugnando. Retento in officio Corybuto, proniores se præstitêre Crucigeri, *A. 1424. Sigismundus Corybutus ex Bohemia reuocatur.* *A Vitoldo in Lituania detinetur.*

A.1424. in ijs exequendis, quæ nuperis pactis ſpoponderant. Nam & Sudouia, & Samogitia integrè ſunt reſtitutæ, & certi limites ditionibus, incredibili conſenſu, præſente Vitoldo, deſignati.

Regina Sophia coronatur

Poſt tot bellicas agitationes, redditâ publicâ quiete, ſolemnis Reginæ Sophiæ inauguratio ad XII. Februarij indicta eſt: celebrataque ſingulari apparatu & lætitiâ. In apparatum liberiùs ſe Rex effudit, quòd ex ſpe propinqui partûs non Reginam tantùm, ſed & Matrem Regum coronari crederet. Populo verò auxit hilaritatem, pacis diu expectatæ ſenſus: dilatâ enim ob bellicos tumultus, præter morem diutiùs inaugurationis pompâ, ac tandem his diebus peractâ, pro augurio in vulgus fuit, bellis tranquillitatem ſuccedere. Adfuêre ei feſto multi Principes: Vitoldus declinauit. Etſi verò per legatum alias prætexet cauſas, populo tamen non difficile fuit ſubodorari eius animum in Reginam offenſum, hâc de causâ. Heduigis, Iagelonis ex primo matrimonio filia, ſolemnibus cærimonijs deſponſa fuerat Friderico iuniori, Brandeburgico Marchioni. Mutato deinde conſilio, nuptui dabatur Boleſlao, Duci Stolpenſium: pro quo, præter alios Principes, tres Reges inſtabant apud Iagelonem. Obſtabat ei leuitati, vti eam ipſe vocabat, vehementer Vitoldus, tum ex ſua ſententiâ, tum maximè à Martino Papa, gente Columnâ, Friderici fautore, permotus. Vbi verò ſuam omnem operam abijſſe in irritum, ſenſit: indignationem in nouercam vertit, cuius conſilijs Iagelonem circumagi

Vitoldus Reginæ offenditur.

existimabat. Tegebat illam animi ægritudinem operosè: sed quid centoculum Argum, suspiciosissimum genus, populum, lateat? neque errâsse, eum maioribus deinde indicijs constitit, quibus interior animi perturbatio in apertum erupit. A. 1424.

Venerunt in Poloniam intereà Bohemorum legati, & Sigismundum Corybutum magno studio ad regnum repetebant. Rex constanter istiusmodi consilijs se opposuit. A Rege palam repulsi, Corybutum ipsum clàm legati adoriuntur, neque difficilem expugnando repererunt. Veteris fortunæ magis auidus, quàm pertæsus, in omnia consensit. Dimissis legatis militem occultissimè conscribit. Dabant alacres nomina, & spe copiosi stipendij Bohemici, & successuum Corybuti memoriâ illecti, veterani æquè, ac tyrones. Conscriptas, quæ sufficerent copias, non per manipulos aut signa, sed viritim propè singulos, ne Regi consilium innotesceret, ad condictum diem, locumque conuenire iubet. Tanto secreto res acta est, vt priùs in Polonia nunciaretur, Corybutum milite Polono ac Lituano Bohemiam inuasisse, quàm Rex, aut quiuis alius, eum abesse sensisset. Cæsar veritus, ne Regiâ aut auctoritate, aut conniuentiâ, hæc agerentur, graui legatione de violatis fœderibus questus est: cui Iagelo, vt erat reuerà ab omni noxa liber, non verbis tantùm, sed & rebus ipsis, fidei suæ integritatem abundè comprobauit, latâ in Corybutum sententiâ, quâ omnibus per Poloniam, Lituaniam, Russiam possessionibus exutus, tanquam pacis

Corybutus in Bohemiã redit.

In Poloniã à Rege proscribitur.

A. 1424. cis publicæ violatæ, Maiestatisque regiæ læsæ reus proscriptus est.

Idem annus Iagelonem diuturni voti compotem fecit, nato filio, quem de suo nomine Ladislaum appellari voluit. Lustratio pueri Christiano instituto per sacrum fontem, in sequentis anni XXIII. Kal. Mart. reiecta est, in qua Rex singulari munificentiâ ludos, conuiuia, cæteraque eius temporis, exhibuit. Vitoldus cui nondum à nupera ægritudine animus conualuerat, odio Reginæ, ei festo non interfuit: lectulum tamen argenteum infanti, centum pondo æstimatum, dono per legatum misit. Subsecuta æstas ita latè per vrbes, ac pagos pestem vulgauit, vt ad vitandam contagionem, ipsi Regi Vitoldoque, cum vniuersa curia, inter Lituaniæ nemora, lues vitanda fuerit. Vbi aliquantum remisit malum, ordinum Poloniæ conuentus Brestiam in Cuiauia indictus est. Multis laborandum fuit Regi in ijs comitijs, priusquàm euicit, vt Ladislaus Princeps paterni regni successor, publico edicto renunciaretur. Tabulæ nihilominus, quibus Polonorum ea de re sponsio continebatur, non Regi sunt redditæ, sed Sbignei Olesnicki Cracouiensis Antistitis fidei commissæ, eâ lege, ne priùs eas Regi redderet, quàm constaret eum omnia, in rem Polorum promissa, ex fide promissa.

A. 1425. Ladislaus Princeps nascitur

Successor regni paterni renũciatur.

A. 1426. Rege rebus Polonicis occupato, per Autumnum & initium hyemis Vitoldus bellum in Lituania apparabat: quâ parte erupturum, nemo ferè diuinare poterat. Causam belli nemo scriptorum indicauit: fortasse

Vitoldus Plescouiã inuadere parat.

non

non quod tam alto ſecreto Principis obruta ; quàm quòd nulla, fuerit. Recedente hyeme aliqua indicia emanauêre, in Septentrionalem Ruſſiam impetum dirigi. Monetur itaque maturè ab amicis Pleſcouia. Accurrunt Pleſcouienſes periculum auerſuri: donis, ſupplicique habitu, animum Principis portentant: nihil pacati expiſcantur. Bellum itaque aduerſus patriam parari non dubij, properè ad ſuos redeunt. Sequitur cum exercitu Vitoldus. Deſperatis Pleſcouiæ rebus, cælum pro innocentiâ ſtetit. Incredibiles enim tempeſtates coortæ, tantam vim imbrium effuderunt, vt inuia prorſus, per loca ſemper paludoſa, reddita fuerint Pleſcouiam itinera. Ceſſit cælo Vitoldi indignatio, neque tamen quieuit, ante acceptam mulctæ nomine, ingentem pecuniam: pacem à Superis donatam, coacti ſunt Pleſcouienſes, apud Vitoldum nummis redimere. *A. 1426.* *Pecuniâ ingenti mulctat.*

Ceſſantibus externorum motuum curis, recruduerunt veteres in animo Vitoldi morbi, atque ab ipſo otio vires ſumebant. Reginam à qua alieniorem ſe hactenus præbuerat, apertè odiſſe; ſermonibuſque, ac literis apud Regem, perſequi: mœrere, quòd Ladiſlao ſucceſſore Patri deſignato, ſpes regni ſint amiſſæ: de Lituaniæ Principatu retinendo angi: de regia domo vereri, ne aliquando ſe ſuoſque, Lituaniâ excludat: Iageloni ipſi minùs quàm ante fidere: ſuſpicionibus, quarum ambitio feraciſſima, noctibus diebuſque agitari. Primi omnium Crucigeri ægritudinem Vitoldi ſubodorati, ita eam promouere conati ſunt, vt apertas cum Rege inimici- *Suſpicionibus agitari incipit.* *A. 1427.*

A.1427. tias cõnſciſcerent. Multâ adulatione, atque amicitiæ exquiſitis argumentis, promiſſiſque impulerunt Vitoldum, vt eorum cauſam apud Regem ſuſciperet, atque molendinum Lubicz cum ſuo latifundio, detractum Poloniæ, Crucigerorum agris adijci, impetraret. Non dubitabant illi, nihil prorſus eâ interceſſione Vitoldum profecturum: deſtinato tamen conſilio, ea poſtulari voluerunt, quæ à Iagelone negari oportebat: vt quò conſtantiùs Iagelo poſtulata, repelleret; eò altiùs Vitoldus ſentiret, intenſioreſque ſpiritus conciperet. Reiecta eſt ſemel, iterumque Vitoldi petitio. Poloni quoque Proceres, celebratis Vartæ comitijs, Paulum de Ruzdorff Magiſtrum Ordinis grauiter commonuerunt officij, ne Crucigeri malis artibus, & Vitoldi erga Regem regnumque fidem infringere, & icta nuper fœdera ſenſim labefactare pergerent. Mox alijs Lancitiæ conuocatis comitijs, per Sbigneum Cracouienſem Pontificem, Reipublicæ totius nomine, Vitoldo præſenti, ſupplicârunt, vt ab ea actione deſiſteret, quæ Regiam ac Reipublicæ dignitatem conuelleret. Sincerâ Sbignei oratione offenſus Vitoldus grauiter excanduerat: ſed diſſimulandi artifex, ſurgentes motus tantiſper preſſit, compoſitoque ad tranquillitatem ſermone, omnia Polonis pollicitus eſt, nihil præſtiturus. A Polonis & Rege alienior redditus, primò in Reginam furorem effudit, quo Regem, regnumque inuoluit. Tertiò iam vterum Regina ferebat: ex tam frequente prole, ſuſpicionibus domeſtici probri, violatique thori, innocentem palàm exagi-

Crucigeris promouẽtibus ægritudinẽ animi.

Regi ac Polonis offẽditur.

exagitare apud Iagelonem cœpit. Maleuolorum sermonibus res ad plures vulgata, non mediocriter Regem ac Proceres conturbauit. Licet enim apud æquos rei iudices, fides ac integritas Reginæ extra omnem suspicionem esset: verendum tamen omnibus fuit, ne si fortè falsi rumoris fama, innocentiæ præiudicaret; aut Iagelonia proles successione excideret; aut regium fastigium tanti probri turpitudine fœdaretur. Comitia ergo Hrodlum ad Bugum, Polonis ac Lituanis indicta sunt, vt in ijs Regina causam diceret, atque ex totius Reipublicæ sententiâ, damnaretur, aut absolueretur: vbi innocentiâ eius luculentissimè probatâ, auctores falsi, equites Poloni, pœnas luerunt legibus latas.

A. 1427. Reginam innocentē falsis criminibus exagitat.

Quieuerant rursùs aliquantùm domesticæ perturbationes, Vitoldo ad bellum auerso. Nouogardiæ Magnæ incolæ, circa ditionis suæ limites à Vitoldo designatos, cœperant aliquid innouare. Ad eos perdomandos, exercitum è Lituanis, & Polonis stipendio auctoritatis, Vitoldus duxit. Nouogardiani inaccessibilium propè per æstatem itinerum munitione freti, contempserunt initio Vitoldi minas, atque ferociùs agebant. At vbi rumor allatus est, superatis obstaculis, Vitoldum arcem Opocznam obsidione cinxisse, facilè animis conciderunt. Missi properè legati, qui vrbem victoris potestati permitterent: amplisque muneribus oblatis, annuæ pensionis summam augerent: modò pax impetrari posset. Vitoldus, etsi diripiendæ vrbis opulentæ spe, maximè eò progressus fuerat: non inuitus tamen

A. 1428. Nouogardiam rebellantem domat.

A. 1428. Cōuentus Luceoriam indicitur, eiusq́ causæ.

pacem poſcentibus dedit. Verebatur enim, ne diuturniore bello detentus, Luceoriam tardaret, ad condictum cum Rege, & Sigiſmundo Cæſare, cæteriſque Principibus, diem: cuius celeberrimi conuentus, hæc in vetuſtis annalibus memoratur cauſa. Sigiſmundus Romanorum Imperator, iam ante Iageloni perquàm infenſus, negatis nuper in Turcicum bellum auxilijs Polonicis, longè infenſior, cùm armis odia non poſſet proſequi, dolis Iagelonem, aut rem Polonam, euertere

Cæſar Iageloni infenſus variè eum oppugnat.

conatus eſt. Publicis primùm literis, per Imperij Romani prouincias, ac vicina regna, auſus eſt queri, proditum ſe cum Chriſtiano exercitu Turcis à Iagelone, quòd auxilia promiſſa ſubtraxiſſet. Neque defuerunt fortè, apud quos calumnia, nomen, nec falſæ, nec iniuſtæ, querelæ reperit. Neque enim omnes nouerant, quòd Iagelo Cæſareis legatis belli Turcici ſocietatem ſuadentibus, nihil omnino aut promiſerit, aut promittere potuerit: negantibus id Ordinibus, ne fortè ſemel eo bello implicatis Polonis, tota tandem eius moles ferenda, ſolis incumberet. At vt fortè non omnes hæc nouerant, non tamen ita occulta erant, vt Cæſaris querelæ fidem publicam obtinerent. Quare in aliam partem verſatis conſilijs, Cæſar maluit reconciliari Iageloni, & amicitiæ officijs eum impugnare. Non ignorabat propè omnia apud Iagelonem Vitoldi auctoritate agi, neque mediocriter regni Poloniæ potentiam auctam eſſe,

Cū Vitoldo cōmittere conātur.

acceſsione Lituaniæ. Ita ergo Vitoldum in ſuam amicitiam pertrahere deſtinauit, vt eo ab Iagelone auulſo,

vniuerſa

vniuersa Polonæ ac Lituanæ concordiæ machina sol- *A.1428.* ueretur. Ipse sibi conficiendæ eius rei Prouinciam vsurpauit: ratus tanta negotia neque commodè, neque tutò, tabellarijs aut epistolis, concredi. Itaque contentionum, quæ Polonos inter ac Crucigeros, prope totius Europæ armis, tamdiu exercebantur, pertæsum se simulat: operam suam stabiliendæ in perpetuum optimis conditionibus paci, Ladislao Iageloni Regi, & Vitoldo offert: adijcit vnicam sibi causam videri, ob quam tot labores suscepti, irriti fuissent, quòd nonnisi per legatos hactenus negotium actum esset: optare itaque se, vt Principes potiùs ipsi secum amicè congrederentur: quod si ob veteres simultates Iageloni ac Vitoldo nullus in Imperio ad congressum locus probaretur, paratum se publicæ tranquillitatis causâ, eò venire, quo ipsi conuentum indicerent. Iusta, videbatur, Cæsarem postulare: nihil itaque ausus est negare Iagelo. Vitoldus verò in ea, quam animo fouebat à rebus Polonis, ac domo regiâ, auersione, lubens occasionem arripuit, quâ Cæsaris amicitiam sibi pernecessariam, non immemor eius pollicitationum, commodiùs firmare posset. Auctor insuper Regi fuit vt ad 8. Id. Ianuarij conuentus Luceoriam, qui erat eius ditionis locus & Volyniæ Metropolis, indiceretur.

Ad congressum inuitat.

Conuētui dies & locus designatur

Celebratus est conuentus Principum, his partibus frequentiâ inusitatâ; magnificentiâ Vitoldi planè memorandâ, solidis quinquaginta diebus. Præter Regem Poloniæ, Duces Mazouiæ, Principes Lituaniæ, & Russiæ,

Conuētus Principum Luceoriæ.

A.1428. ſiæ, Senatores Regni, cæteroſque vtriuſque nationis magnates, interfuerunt, Sigiſmundus Cæſar cum coniuge, ac pleriſque Imperij Principibus; Ericus Rex Daniæ & Sueciæ; Ioannes Palæologi Orientalis Imperatoris legati, Baſilius Moſchouiæ, Boryſſus Tweriæ, Olha Rezaniæ Magni Duces; Scytharum Tauricanus & Trans-Volgenſis Reguli; Magiſtri Equitum Theutonicorum, Ruzdorffius Pruſſiæ, Sigfridus Liuoniæ. Vniuerſis alimenta, Vitoldi impenſis miniſtrabantur, copiâ incredibili. Vt cætera ſileantur, quæ ab eius ætatis hominibus curioſiùs leguntur connotata, in ſingulos dies boues ſeptingenti, verueces mille quadringenti, feræ ſylueſtres varij generis, in ſingulas ſpecies centum; potûs è melle cocti ſeptingenta vaſa, præter vinum varium, expendebantur. Plena faſtus in publicum pompa, non falſo argumento fuit Cæſari, quantùm ambitionis Vitoldi pectore occuleretur: vtique mox in flammam erupturæ, modò ei velut ſcintillam inijceret, ſpem dignitatis, quam Poloni cum Rege omni ope eſſent propulſaturi. Alia igitur Cæſar publicè cum Iagelone, alia clam Vitoldo In conſeſſu Principum ſermo illi omnis de ineundâ concordiâ, vt viribus vnitis primùm in

A.1429. Bohemia Huſſitæ domarentur, tum omnium ſimul arma contra Turcam verterentur, ac Saracenos, pro Oriente vindicando. Magnifica hæc erant, & à pleriſque magno plauſu accipiebantur: ſed quæ inchoari faciliùs, quàm perfici poterant. Iagelo collatis cum Senatu ac Vitoldo conſilijs reſpondit. Si vniuerſi Principes Chriſtiani

Iagelo negat.

ſtiani conſpirent in bellum, non tantùm animosè Turcis, inferendum; ſed etiam omni ope, conſtanter, terrâ marique perurgendum: ſe ab ea belli ſocietate non abhorrere. At ſolius Cæſaris pollicitationibus, cuius vires bis Turca in Hungaria fregiſſet, permoueri non poſſe, ad violanda fœdera, quæ non ita pronum eſſet pro libito reficere, vt conuellere. Satis ſe videre, quàm lubricum ſit ab his conſilijs præcipitium, per quod Turca ſemel irritatus vniuerſam belli molem, in Polonos deuolueret, reliquis fœderis, non belli, ſocijs, alienum periculum, extra eius ictum, ſpectantibus. Cæſar in publico, ſubtriſtiorem ſimulat vultum ex repulſæ impatientiâ: tum ſpecie eiuſdem negotij vberiùs pertractandi Vitoldum, abſque arbitris conuenit. Cùm priùs multis, Vitoldi Lituaniæque laudes exageráſſet, eaſque percupidâ aure accipi aduertiſſet, in ſubactam adulatione mentem, potens telum intorſit. Dolere ſe, aiebat, vehementer, quòd tantus rebus geſtis, ac dominiorum amplitudine, Princeps, atque adeò re ipſa Rex, titulis ac inſignibus regijs careret. Nihil illi ad Maieſtatem Regiã deeſſe, præter nomen: quo ſolo, minor cæteris Regibus eſſet, quos potentiâ ac opibus regijs lõgè ſuperaret. Cur verò eam cogitationem ſuæ dignitatis augendæ, non admittat in animum, prorſus ſe non capere. Vt vt tandem ille ſui incurius eſſet, ſe Cæſarem Chriſtianum, pro muneris ſui debito non permiſſurum vlteriùs, quin breui eum cum cæteris, inſignibus regijs exæquet, modò conſtantem ſecum amicitiam, inire, atque deinceps colere

A. 1429.

Cæſar Vitoldũ ſibi conſiliat ſpe regni Lituaniæ.

A.1429. colere vellet. Vetus Principum malum ambitio, Vitoldo, homini, neque incauto, neque Sigiſmundi artium inexperto, caliginem offudit: vt non aduerteret, nequaquam ad ſe ornandum ea conſilia dirigi, ſed ad auellendos à Polonis Lituanos. Quare facilè in eius ſententiam atque amicitiam conceſſit, illud vnicum profeſſus: Rege aut inſcio, aut inuito, nihil ſe attentaturum. Sigiſmundus iam magnâ parte victor, ad Regem expugnandum machinas inſtruit. Iagelonem cum Imperatrice inuiſit. Poſt mutua officia, atque incidentia colloquia, rem aggreditur. Iagelonem, Vitoldum, totamque maiorum ſeriem, rebus bello geſtis mirè commendat: amicitiam ſuam erga domum regiam, & Lituaniam, prolixè explicat: poſtulat, vt ſi quam pro ſuo affectu rationem ornandæ Lituaniæ reperiſſet, eam ne ille repelleret: memorat regios in Lituania titulos non inſuetos eſſe, cùm adhuc ſub Mendogo Principe, vix eis eſſet par; nunc in eam amplitudinem operâ Vitoldi excreuiſſe, vt ſine iniuria titulo ampliſſimi regni carere nequeat: ſpondet, breui ſe perfecturum, vt Vitoldus Rex Lituaniæ inauguraretur, modò eam fortunam Iagelo fratri, patriæque, nollet inuidere. Iagelo quamquàm alieno fortè ab his conſilio animo eſſet; quia tamen inſtantem permoleſtè vna cum coniuge, rationibus ac precibus, aliter eludere non poterat, rem integram ad Senatum ſe relaturum reſpondit: ſi Senatus vota Vitoldi, ſuffragijs ſuis comprobaret, abs ſe nihil obſtaculi fore. Idem reſponſum tulit Vitoldus, cùm

A Iagelone conſenſum extorquere nititur.

Iagelo ad Senatum reijcit.

condicto

conditto iam inaugurationis suæ apud Cæsarem tempore, eodem præsente, consensum Regis extorquere conatus esset. Conuocato Senatu ipse Vitoldus merita sua in Rempublicam, subditorum vota, exterorum existimationem, ac quidquid in rem suam fore rebatur, disertâ oratione explicuit: ac demùm petijt, ne cùm sententiæ dicerentur, ipse Senatu excedere cogeretur. Sciebat enim raram esse in dicendo libertatem, quam metus præsentis non frenet; raramque constantiam, quam conspectus offendendi non labefactet. Et quidem Principis Senatûs, Gnesnensis Archiepiscopi oratio, vti multùm de eloquentia habuit, ita nihil de libertate: veritus offensam Vitoldi, post multa copiosè dicta, ad punctum tacuit. At Cracouiensis, Sbigneus Olesnicki, inconcussâ animi orisque constantiâ quàm suspecta Cæsaris esset amicitia, docuit; quæ eo consilio pericula tegerentur, aperuit; Vitoldum, vt annorum & veræ gloriæ satur, vanæ dignitatis speciem contemneret, iurisque iurandi quo se Regi ac regno Poloniæ obstrinxerat memor esset, grauiter monuit. In eandem sententiam dixit Ioannes Comes à Tarnow Palatinus Cracouiensis. Episcopum & Palatinum, reliqui vno ore sunt secuti. Vitoldus non tam repulsæ, quàm tantæ in dicendo libertatis impatiens, è medio Senatu se proripuit, ac in abitu minitabundo similis, disertè subiecit: se vel inuitis Polonis destinata perfecturum. Digresso Vitoldo, Senatus cum Rege grauissimè expostulauit, quòd tam periculosas Cæsaris machinationes aleret

A. 1429.

Vitoldus suam in Senatu causã promouet.

A Senatu commonefactus,

cum indignatione abit.

A.1429. conniuendo: quem ſuæ domûs, neque minùs Lituaniæ, quàm Poloniæ, hoſtem eſſe, tot ante argumentis comprobatum haberet. Rex itaque de conſilio procerum, ſtatim, inſalutato Cæſare, Luceoriâ abitum maturauit: in Poloniam delatus comitia Corcinum indixit, vt Ordinum regni ſententiâ decerneretur, quâ ratione immodicæ Vitoldi cupiditati, obuiàm eundum eſſet: Cæſar quoque, breuiter per abſentiam Regis, conſtitutis cum Vitoldo, quæ ad negotium pertinerent, morari diutiùs non auſus, rectà è Volynia Hungariam petijt. Abeuntem Vitoldus munificis donis coluit: quibus adiecit, celebre illud Vri, à Gedimino Vilnæ conditore occiſi, cornu, auro & gemmis affabrè incluſum.

Conuētus Luceoriēſis ſoluitur

Vitoldi & Polonorū mutuæ legationes.

Diuturnæ deinde ſubſecutæ ſunt concertationes, quas mutuò miſſis legationibus, Vitoldus ac Poloni exercuerunt: cùm ille à Polonis conſenſum extorquere nititur; hi Vitoldum à ſententia dimouere. Primi à Vitoldo legati Gaſtoldus Palatinus Vilnenſis, & Rombowdus Mareſchalcus Lituaniæ, ad comitia Corcinenſia venerunt. In conſeſſum Ordinum admiſſi, breui ſed apertâ oratione mandata expoſuerunt Principis. Vitoldum liberi populi, liberum Principem, non ſui causâ facere, quòd tam ſtudioſè poſtularet, vt Rex regniq́ue Ordines, in ſuam inaugurationem conſentiant. Quicumque tandem alijs animus futurus eſſet, illi fixam ſtare ſententiam, exequi conſtituta. Rogare tamen, ne Poloni tum Regiæ, tum propriæ dignitatis curam negligerent, quam haud leuiter imminui opus eſſet, ſi inuitis

Vitoldi legatio

uitis illis Vitoldus deſtinata perficeret. Rogati ſenten- *A. 1429.*
tiam Ordines, in eam plerique concurrerunt, vt nihil
publicè legatis reſponderetur, reiecto integro negotio
ad legatos ſuos, quos viciſſim in Lituaniam miſſuri eſ-
ſent. Magno deinde ſtudio è toto Senatu lecti viri, con- *Polonorũ legatio.*
ſtantiâ animi, dicendique libertate celebres, Sbigneus
Oleſnicki Antiſtes Cracouienſis, & Nicolaus Micha-
lowski Palatinus Sendomiriæ. Commiſſum, vt Reipu-
blicæ nomine, monito diſertè Vitoldo, ne intempeſti-
uâ ambitione, ſacroſancta vnionis fœdera conuelleret;
bellum, ſi ſecus faceret, denunciarent. Sperabant ni-
mirum fore, vt quam cupiditatem æqui iuſtique reſpe-
ctus non mitigaret, armorum metus perdomaret. Ve-
rùm aliter euentus tulit. Legati quidem pro maieſtate
Reipublicæ commiſſo ſibi munere ſunt defuncti: Vi-
toldus verò ad minas nihilo mobilior, quin ex indigna-
tione audacior, Cæſarem vt maturet opus, vrgere; res
ſuas nouis Crucigerorum fœderibus firmare; Polono-
rum procerum animos largitionibus clandeſtinis ve-
nari. His in Polonia nunciatis, rurſus comitia ad VI. Id. *Poloni Vitoldo ſuũ regnum offerunt.*
Sept. Sendomiriam indicuntur: alia legatio ad Vitol-
dum decernitur, deſignatis legatis quorum integritati
maximè fidebatur, Sbigneo Oleſnicki, & Ioanne à Tar-
now. Summa legationis erat, qualem optabant ij Se-
natores, qui Rempublicam ſaluam optabant, Vitoldo
ab eo non alienato. Quamquam enim illos humanita-
te ac beneficijs Vitoldi obſtrictos, molliùs dixiſſe ſen-
tentias cenſeretur: nemo tamen in ijs fidem deſidera-

A. 1429. re auſus eſt, cùm clarè conſtaret, Vitoldo extremè irritato, Poloniæ pericula cumulari. Iagelo quoque cùm inde ſe annis grauem, Reipublicæ adminiſtrandæ onere vltra vires premi ſentiret; inde impuberem prolem, nondum gerendis rebus parem, haberet: non adeò verebatur Vitoldi ſucceſſionem, quam nulla hæredis ſpes, fulciret. Itaque cum ex Regis, Ordinumque ſententia, Vitoldi cupiditatem, oblato Poloniæ regno, alio auertere conſtitutum eſſet, ita Principem legationis locutum reperio. Quandoquidem Vitoldo id propoſitum eſſe Poloni ſcirent, nihil contentionis remittere, in occupando regali faſtigio; Rempublicam Polonam communi Ordinum conſenſu, diadema illi offerre, quod nullo publico damno, magno verò ſuæ dignitatis augmento, acceptare poſſet. Meritiſſimo capiti nequaquam Polonos hactenus coronam inuidiſſe: ſed ſuſpectam habuiſſe illam, quam vetus hoſtis obtrudebat. Timuiſſe nimirum, Danaos etiam dona ferentes. Sumeret itaque fortunatus diadema Regum Poloniæ triumphis contextum, quo frontem regiam, & merita ſua coronando, duorum potentiſſimorum populorum concordiam arctiùs adſtringeret. Contemneret verò nouis Cæſaris machinationibus elaboratum, quo Sacroſancta Poloniæ, ac Lituaniæ fœdera reſcinderentur. Geminatis enim regijs titulis, regnum quoque neceſſe eſſe ita geminari, vt ſimul, vires hactenus vnitæ, ipsâ diuiſione conciderent: quod vnicum hoſtibus votum eſſet. Superi ipſi tantùm à Republica malum auerterent: cujus

ius horrore plenus Rex Iagelo, Vitoldo solium suum libens concederet. Insperata legatorum oratio, tantaque in eum Regis ac Regni vniuersi propensio, emollierat aliquantùm pertinacem Vitoldi ambitionem. Atque vt quandoque faciliùs dura in molles res impetu illata, aut franguntur, aut repelluntur: iam eius mentem destinatorum pœnitentia subire cœperat. At postquàm aliquorum Polonorum, quibus ante publica commoda, priuatæ rationes cordi erant, occultis literis in antiquam spem erectus est, obfirmato animo legatis respondit. Impudentiæ cuiusdam, ne diceret, impietatis, argumentum notamque perpetuam ad posteros fore, si fraterno capiti detractum diadema, suo imponi permitteret: plus vtique probri, quàm dignitatis, apud vniuersos habiturus. Regnaret incolumis diu Iagelo, retineretque coronam, quam illi, superi dedissent Polonorum suffragijs: non inuideret autem Vitoldo, ad quam eorundem Superorum ductu, amicorum beneuolentia viam aperuisset. Non existimarent Poloni Vitoldum regnandi cupiditate pertinaciùs agere. Non regni acquirendi, sed seruandi nominis, studium, constantiæ suæ materiam esse. Non posse iam absque ingenti famæ dispendio negligi, quod per vniuersam Europam vulgatum, omnium sermone circumferretur. Superos ipsos testari, quàm nihil aduersum Regi, Regnoque Poloniæ, animo agitaret: nihilominus si Poloni priùs aliquid mouerint, rebus suis neque militem, neque arma defutura. Nondum abierant è conspectu Poloni, cùm

A. 1429.

Vitoldus illud non acceptat.

A. 1429. Cæſaris ad Vitoldũ legatio.

Cæſarei legati iuſſi ſunt mandata ſui Principis explicare. Prolixâ illi Cæſareæ beneuolentiæ conteſtatione præmiſsâ, initæ recenter cum Cæſare ac Crucigeris amicitiæ ſymbolum, inſigni opere ex auro argentoque elaboratum Draconem obtulerunt, poſtulâruntque, vt quaſdam noui fœderis leges iureiurando firmaret. Ad hæc Vitoldus. Amiciſſimi Principis hoſpitale munus, gratâ accepto voluntate, at nouarum amicitiarum ſymbola nulla noui. Ad perpetuitatem veteris amicitiæ, ſat ſuperque ſufficit præteritum fœdus; quantumuis nullâ iuramenti religione firmatum. Fides, verbo Principum obligata, incerta eſſe non poteſt. Hæc publicè: priuatim verò actum eſt de maturanda inauguratione, tempuſque deſignatum ad XVI. Kal. Octob. ſequentis anni.

Vitoldi reſponſio.

Iagelo impedit Vitoldi coronationem per Papã.

Rex Iagelo quo res profeciſſet à legatis edoctus, à ſumma in terris auctoritate remedium malo quærit, Pontificem Romanum certiorem de omnibus facit. Pontifex quidem, non dubius ingentes inde motus Chriſtianam Rempublicam concuſſuros, grauiter Sigiſmundum, Vitoldumque hortatus eſt, vt ab incœpto deſiſterent. Verùm iam morbus medici manum non admittebat, præſentioribus remedijs curandus. Iedilnam comitia Polonis indicuntur: publico edicto deſignantur, qui circa extremos Poloniæ fines vias armatis obtineant, magnâque diligentiâ inuigilent, ne aut Cæſarei, aut Vitoldiani, internuncij commeent. Negotio vniuerſo Ioannes Czarnkowski præficitur. Hic impigrè

pigrè suo munere functus, Baptistam Cigallam Senensem, & Sigismundum Rotth Theutonem intercepit; excussisque sarcinis, ac literarum Cæsarearum fasciculo ablato, liberos abire permisit. Literarum summa erat. Superuacuam esse Vitoldi de Cæsaris, circa instituendos, inuito aut inscio Papâ, Reges, potestate, dubitationem. Excuteret eam vanam solicitudinem, & ad condictum diem promissa Regni Lituaniæ insignia prẹstolaretur. Iam in itinere esse suos legatos, qui & Regium diadema secum ferrent, & inaugurationi suo nomine adessent. Adiunctum præterea literis erat fœderis inter Hungariam, Lituaniam, Prussiam, ac Liuoniam recenter initi exemplum: tum publicæ tabulæ, quibus Sigismundus Cæsar, Vitoldum, Lituaniæ Regem solenni ritu renunciabat, creabatque. Vulgata hæc per Maiorem Poloniam priùs, quàm ad Regem deferrentur, vniuersam nobilitatem ad arma exciuerunt. Viæ omnes armatis insessæ, ne quà legatis liberi aditus paterent: nunciatâ per Germaniam Polonorum conspiratione, legati Francofordiam reuertuntur, duosque menses ibi frustra morati, ad Cæsarem infectis rebus redierunt.

A. 1430. *Polonis vias insident, nuncios & literas intercipiunt.*

Legati Cæsarei infectis rebus redeunt.

Vitoldus quò propior spei, eò magis morâ affligebatur: plurimos intereà Principes, alio prætextu inuitatos, Moschouiæ, Tweriæ, Odoieuiæ Duces, Scythiæ Regulos, Magistros Crucigerorum, publicis impendijs in eam festiuitatem, Vilnæ detinebat. Vbi verò interuersi Polonorum operâ totius negotij, nuncium accepit,

A. 1430. cepit, mærorem coram hoſpitibus aut diſſimulare, aut certè fictâ hilaritate diluere, conatus eſt, protractis diurnis ad finem Septembris conuiuijs. Deſperatâ tandem planè re, digreſſiſque hoſpitibus, cùm ægritudinem totam animo capere non poſſet, cum corpore eam partiri cœpit. Incidit in morbum leuem quidem, vti videbatur, & lentum, ſed ſupremum. Lecto affixus, nihil de ambitione dimiſit. Cùm verò inuito Iagelone non profecturum ſe quidquam cerneret, eò conſilia intendit, vt Iagelonem tandem in ſuam ſententiam pertrahat. Scribit illi, per Nicolaum Maldrzyk familiarem ſuum, tandem ſe rerum humanarum haud immemorem, omne ambiendi regni ſtudium depoſuiſſe: precatur, vt quæ hactenus agi contigerat, vti nunquam acta, æternâ conſepeliret obliuione: inuitat, vt ægrum ſe inuiſat, quòd ex eius conuictu, non leue morbi, quo conflictaretur, leuamentum ſperaret. Suſpecta erat Polonis, tanta in Vitoldo, eaque ſubitò exorta, animi moderatio: quare vt ab initio conſtanter obſtiterunt ne Rex in Lituaniam iret; ita abeunti eos adiunxerunt Senatores, quorum integritas ac conſtantia plus opinionis habebat. Suſceptus Rex ad Lituaniæ fines regali magnificentiâ, eâdemque Vilnam deductus. Vitoldus poſt varia, dierum aliquot, in Regem ac Polonos Proceres officia, Regem abſque arbitris nactus, illatoque ſpontè de nuperis geſtis ſermone, quæ celabat animo, effudit. Aiebat, non adeo ſe tangi diadematis regij cupiditate: famæ ſuæ diſpendia ita grauia eſſe, vt ea neque animo, neque corpore

In morbū labitur.

Regem in Lituaniam euocatum

Prenſat & ſolicitat.

pore ferre posset: rem tanto conatu inchoatam, promotamque, totâ Europâ diuulgatam, quomodo sine insigni leuitatis notâ negligeret? ipsam notam quomodo sanus ferret? Quid tandem damni allatura esset corona Lituaniæ, ægro ac moribundo capiti imposita? Quod si morbus eius suspectus esset, timeretque Rex, ne coronatus Frater diutiùs viueret, Superos se testari, quòd altero, aut tertio, ab inauguratione die, regno Lituaniæ Iageloni cedere destinâsset. Cur igitur tam breue regnum fratri inuideret! His, similibusque, verbis, preces propè indignas tanto Principe adiunxit, quibus fraterna iura, meritaque Vitoldi præterita, vix non deiecerunt Iagelonis constantiam. Negauit nihilominus Iagelo se quidquam facturum inuitis Senatoribus Polonis, quos sibi Respublica adiunxisset. Quare Vitoldus rursus ad prensandos Polonos vertitur, atque inprimis Sbigneum. Versabat virum inuictum, precibus, muneribus, minis, protestatus effecturum se vt Pontificatu Cracouiensi detruderetur. At Sbigneus adamante fortior, ad omnia reponebat. Vitoldum ante alios Principes dignum fastigio Regali sibi videri: at Regem Lituaniæ neminem esse posse, nisi hostem Reipublicæ Polonæ. Lituaniam, quibusuis regnis amplitudine parem, se agnoscere; at fœdera, tot religionibus inuicem firmata, exigere, ne alium Regem, quàm Poloniæ, habeat. Cæsarem, vt vt se amicum fingat, Polonis Lituanisque rebus semper infestum, iactis iam discordiæ seminibus lætum, inter epulas iactare; offam inter canes suâ opera

A. 1430.

Tentat varijs modis Polonos.

A.1430. ra iniectam: quid verò dicturum speraret Vitoldus, vbi populos tamdiu inuictos, quamdiu concordes, dissidijs adultis diuisos, singulos ad prædam hostium opportuniores aduerterit? Frustra suam constantiam oppugnari in ijs, quæ fraudi Reipublicæ essent: se vt patriæ proditorem esse non posse, ita neque Vitoldi postulatis consentire. Dies aliquot in his contentionibus abiuêre: intereà seu nimiâ animi solicitudine, seu ipsâ morbi naturâ, tantas vires ægritudo Vitoldi sumpsit, vt medicorum artem ac spem vinceret. Vbi itaque desperatio vitæ, grauiore futurorum curâ animum perculit: Vitoldus primùm contemnere humana, quæ retineri iam non possent: tum damnare antiqua studia, quorum ratio districto Iudici reddenda esset: demùm totum se dare cogitationi vitæ mortalis Christianæ concludendæ. Regem Iagelonem magnâ verborum modestiâ precatus, vt veniam eorum daret, quæ non suo arbitrio, sed aliorum instinctu, Regis ac regni dignitati contraria attentauerat; Vlianam coniugem eius paternæ curę commendat. Denique ad componendas animi rationes conuersus, expiatâ coram sacerdote per delictorum confessionem conscientiâ, sacris Christianis ritè munitus 27. Octobris die, Trocis obijt. Elatus est magnifico apparatu à Iagelone Rege, & Suidrigelone Duce: tumulatus Vilnæ in D. Stanislai summa æde. Multis deinde post annis memoriam eius ad posteros renouauit. Bona Sforcia Regina Poloniæ marmoreo tumulo ad dextrum aræ maioris latus excitato.

In maiorẽ ægritudinem prolabitur.

Ad mortẽ se disponit.

Moritur & tumulatur.

Princeps

Princeps fuit bellicâ gloriâ celeberrimus. Principatum Lituaniæ à mari Baltico, ad Pontum Euxinum, à confinijs Poloniæ ad extrema fere septentrionis propagauit. Scytharum populis sæpè suo arbitrio Regulos dedit. Ad omnia cautus, consilio promptus, pleraque insigni dissimulatione ac celeritate perfecit. Otij hostis, etiam cùm cibo vires reficeret, animum aut dicendo iuri, aut de re militari disceptando, intendebat. In exteros liberalis: suis, etiam summis, seuerior. Sobrietate singulari, nunquam vinum, aut è grano vel melle coctum potum, gustauit. Prouinciarum præfectos ditatos, opibus exuebat; ac mox alijs Prouincijs præficiebat, vt se exigendarum rationum labore absolueret. Staturâ mediocri, neque altâ, neque obesâ: facie imberbi: sermone amœnus. Suadente quopiam ne perquàm gelido die, prælij copiam circa Borysthenem Scythis daret; imò, inquit, hodie confligendum est: si vincemus duplicabimus victoriam; si vincemur, gemino hosti succubuisse nos dicetur, Scythis, & gelu. Arguentibus, quòd aliquas Scytharum tribus, assignatis in Lituania & Russia agris ditâsset: respondit; liberalitate etiam immanissimas feras mitescere. Laudanti cuipiam, Principem supra modum disertum; magis probari sibi reposuit, incomptè loquentem, sed vera. Sunt & alia festiui eius ingenij, non indigna calamo, argumenta: verùm gesta, non dicta conscribentem, hæc etiam memorâsse, nimiùm fortè nonnemini videbitur. A. 1430.

A. 1430.

LIBER III.

DE REBVS LITVANORVM

Sub Principe Boleslao I. Suidrigelone.



Ors Vitoldi Lituaniam diuersis votis ac studijs in factiones discerpsit. Non Principes modò viri, pro se aut suis, sperare vel ambire: sed priuati etiam, alium atque alium, tum tacitis cogitationibus, tum in amicorum congressibus, Vitoldo successorem designare. Pars præcipua optabat Alexandrum Volodimiri Kiiouiensium Ducis filium, Ducum Slucensium auctorem. Alij Sigismundum Corybuthum Bohemiæ Regem electum, rebus bello contra Cæsarem fortunatè gestis celebrem: vtrumque Iagelonis nepotem. Alij Boleslaum Suidrigelonem regium fratrem, ac præsertim Proceres Russi, quòd suæ religioni addictiorem experti essent. Nihil in illo erat dignum eo Principatu. Homo furiosus, ac crapulâ infamis, qui Vitoldo imperante non leuibus cladibus Lituaniam afflixerat; rebus verò desperatis in Hungariam profugerat exul, nec ita pridem reconciliatis Rege ac Vitoldo, in patriam redierat: habebatque non paucos, præter Russos, quos profusâ liberalitate olim sibi conciliauerat. Iagelo quoque in eum, veluti suum germanum, haud obscurè inclinabat. Id verò vbi sensêre Primores

Candidati ad Principatum Lituaniæ.

Boleslai Suidrigelonis mores.

mores Lituaniæ, deserto Rege & Republica, Trocis *A.1430.*
properè se subtraxerunt. Polonos quoque proceres, paulò ante mortem Vitoldi, Rex in Poloniam remiserat; causatus non egere se eorum præsentiâ, postquàm Vitoldus mortis expectatione regni curas exuit: at reuera absentiâ illorum egebat, vt liberiùs Boleslaum, Magnum Lituaniæ Ducem institueret. Non diu eius fauoris Iagelo pretium tulit ab homine furibundo, ac prope amente. Vix dum peracto Vitoldi funere, se suâ auctoritate velut Magnum Ducem ferre; Regem non solùm non obseruare, sed barbarè planè habere; impudenter ei carceres suos nouennales, atque iterata exilia, exprobrare; non dissimulare, sed palàm gloriari, quòd Regem in sua potestate haberet; Polonæ nationis homines in curia agentes contemnere, ac probris afficere: literas ex Polonia missas intercipere, signa earum violare; cùm liberet conscindere.

Rex nihilominùs tot iniuriarum sensum, vultûs amænitate singulari tegebat, ac vniuersa superabat inuictâ constantiâ. Quin imò, incertum est, an grauiora veritus, an verò immanem belluam beneficio mitigaturus, Magnum Lituaniæ Ducem eum renunciare instituit. *Magnus Dux Lituaniæ creatur.* Priùs tamen Boleslaus publicis tabulis spopondit, Regi eiusque hæredibus, restituturum se Camenecum, Smotriciam, Scalam, Ceruenos, arces Podoliæ: si fortè inter Polonos ac Lituanos, aliâ ratione de earum possessione non fuerit conuentum. Facilè Suidrigelo in eam conditionem consensit desiderio imperij: quod & si

A. 1430. ſuorum ope poſſe vi occupari, non dubitabat; malebat tamen bonâ potiùs gratiâ Iagelonis, illud adire, vt plus firmitatis ad durandum haberet. Violenta quippe imperia, properè quidem inuadi poſſunt, at non conſeruari diu. Conſcriptis de Podoliæ ceſſione ritè tabulis, Boleſlaus Vilnæ in templo D. Staniſlai iuxta vſitatos ritus, à Vilnenſi Pontifice eſt inauguratus. Recentis memoriâ beneficij mollior Boleſlaus, initio Regi atque Polonæ aulæ humaniorem ſe aliquantùm præbuit: at malè ſopitus ignis, citò rurſus in furias exarſit. Nunciatâ per Poloniam Vitoldi morte, nobilitas Podolica auctore Gregorio Kierdeio, Daugerdum Dedigoldum eius Prouinciæ Gubernatorem aſtu intercepit, Camenecum & alias arces cum Prouincia, exactis inde Lituanicis præſidijs, Poloniæ aſſeruit. Ad eius rei famam Vilnæ vulgatam ſupra modum furere Boleſlaus: neque tantùm à conuitijs in Regem non temperare, ſed manu vim barbæ eius intentare: Polonis carceres, cruceſque minari, niſi quàm primùm ſibi Podoliam reſtitui curarent. Neque multùm aberant, apud inſanum hominem, à dictis facta. Quare quotquot erant in aula Poloni, latus regium fideliſſimè ſtipabant, quiduis priùs auſuri, quàm Regem violari permiſſuri. Nihil tamen grauius tentauit Boleſlaus, niſi quòd armato milite Regem ac comitatum eius cinctum, ſeptem hebdomadas tenuit. Premebat ea Regis iniuria iuuentutem Polonam, neque deerant, qui cæde ipſius Boleſlai, tantum probrum amoliri deſtinauerant. Feciſſentque procul dubio, niſi

Cõtra Regem & præſentes Polonos furit.

in

in Rege validior fraterni sanguinis respectus, quàm propriæ iniuriæ sensus, ardorem Polonorum extrema audere paratorum, continuisset, ne quid in caput Boleslai attentaretur. Non priùs tandem libertati Rex redditus est, quàm Podoliam se Boleslao restituturum, vbi venisset in Poloniam, spopondisset. Inuito sibi eam sponsionem extortam, videri Rex volebat: at, vt semper, in patriam, eiusque res, propensiore animo sumus, ipsi quoque, Podoliæ à Lituania auulsio, non probabatur. Missus est Tarlo Zaklika Toporius cum mandatis Regis ad Camenecensem Præfectum, vt Camenecum atque adeo Podoliam totam, Michaëli Baba Boleslai legato tradat. Verùm Præfectus industriâ Andreæ Thczynski, & Nicolai Drzewicki, per literas cereo inclusas, de Boleslai in Regem scelere edoctus, Michaëlem in vincula coniecit, arces Podoliæ præsidijs accuratiùs instruxit.

A. 1430.

Sponsionē Podoliæ restituēdæ extorquet.

Iam vniuersam Europam peruagatus rumor, de Boleslai in Iagelonem Regem insaniam Romam quoque peruaserat: quare summus Pontifex grauissimè Boleslaum commonuit, Ecclesiasticæ potestatis extremas in eum comminatus pœnas, nisi à facinore tanto desisteret. Poloni quoque in Vartensibus comitijs, pro Rege ad arma conclamauerant, ad XVIII. Kal. Febr. in Lituaniam moturi. Sed iam Boleslaus furore residente, horrore belli quod concitâsset, affectus mutauerat: metuere imminentem tempestatem: veniam factorum submissis precibus, amplisque muneribus apud Regem quærere.

A. 1431.

Regē deprecatur.

A. 1431. quærere. Non multis in ea obtinenda laborandum fuit: quòd inter fratres vnum insaniâ infamem, alterum humanitate admirandum, actum esset negotium. Vix tamen Rex Iagelò è Lituania digressus Poloniam attigit, Boleslaus in Podoliam cum exercitu mouit. Reiectus non sine clade ab arcibus, in Leopolienses, Trebowlienses que agros fœdè desæuijt. Poloni Sendomiriæ comitia celebrabant, cùm cladis Podolicæ nuncium acceperunt: fremere itaque omnes, atque bello aperto perduellem destinare. Rex nihilominus in suos semper pronior, obtinuit; ne priùs armis res ageretur, quàm per legatos de iniuria cum Boleslao expostulatum fuisset. Iuêre viri Principes, cum eiusmodi Reipublicæ, ac Regis mandatis. Podoliâ, Volyniâ, Podlachiâ confestim cederet: ipse coram in senatu postularet à Rege, Ducem se Lituaniæ ex vetere forma renunciari: sin mandata exequi pertinaciter recusaret, legati bellum indicerent Boleslaus negabat aliquid contra ius à se tentatum esse, cùm Podoliam vti patrimonium proprium repeteret: quin aiebat, non se priùs quieturum, quàm eam sibi ac Lituaniæ vindicâsset. Arroganti responso grauiùs irritati Poloni impigrè bellum maturârunt. Rex solus nondum deposuerat omnem spem, flectendi ad saniora Boleslai. Bieciâ præmittit Ioannem Brzezinski, vt omne studium ingeniumque intendat, negotio huic absque armorum tumultu pacando. At Boleslaus neque præsentis belli metu, neque Regis respectu permoueri potuit: quin imò violato, per colaphum, legato, negotium

Podoliam inuadit.

Arrogantia, & violatione legati Polonorum, bellũ conflat cõtra se.

negotium in pręceps egit. Rex enim & consumptæ nullo fructu operæ, & iniuriæ recenter illatæ, dolore concitatior, bellum ipse studiosiùs vrgere cœpit. Ægrè ferebat ob insani hominis furorem ditiones Lituaniæ, atque innocentum fortunas in discrimen conijci: sed iam aliter pax parari non poterat, quàm bello; ferendaque necessariò erat, etiam innoxijs, belli fortuna. Nihilominus, vt minore Lituaniæ damno, Polonus bellaret, vinceretque; antequam infesta signa Volyniæ inferrentur, imbellem turbam furori militis subtraxit, monitis per occultos nuncios tempestiuè agrestibus, vt ex apertis ad iniuriam locis, in tuta, se atque cariora, reciperent. Ad Hrodlum ciuitatem, Polonæ copiæ Bugum superârunt: non multùm inde progressis, Boleslaus cum sex armatorum millibus occurrit, numero, militiæque genere longè inferior. Tentatâ belli aleâ per minora certamina, cùm infelices successus habuisset, fortissimis quibusque cum Principe Russo Sienko, aut cæsis, aut captis, ne cogeretur vniuersâ acie de summa rei decernere, properè Luceoriam se recipit. Hinc securiùs equitatus regius ad prædas effusus, vastitatem latè vulgauit. Progredienti cum exercitûs robore Regi, Volodimiria ausa portas claudere, vi cessit: atque ad reliquarum vrbium terrorem, flammis deleta est. Belzensem quoque Ducatum, Cazimirus Mazouiæ Princeps suis copijs atrociter populabatur. Iam vniuersum bellum Luceoriam compulsum fuerat, cùm alibi nemo pro Boleslao arma opponere auderet. Præaltis ripis Vliginosoque

A. 1431.

Post infelicē pugnam Luceoriam se recipit.

Volodimiriam Rex capit & diruit.

A. 1431. que alueo, circumfusus Styr, latè stagmatibus paludibus, auidis pugnæ Polonis, superandus erat. In conspectu habebant Luceoriam bello finem daturam: sed deiectis nuper pontibus, abductâque in aduersam ripam omni, tum ratium, tum pontium materiâ; neque pugnandi copia, neque sternendæ viæ modus, dabatur. Tandem ab audacia (vti desperatis rebus sæpè accidit) remedium venit. Audacissimi quique nando fluuium transgressi, præsidia Boleslai oportunis locis disposita reijciunt, naues, ratesque secuturis socijs ministrant. Resistebat nonnihil Boleslaus, inde animosior, quòd loci iniquitas, non solùm victoriam, sed etiam pugnam, Polonis difficilem redderet. Vbi verò ab exemplo priorum, in reliquis accensâ audaciâ, alios atque alios manipulatim ad certamen per fluuium eniti aduertit, ne aucto hostium numero interciperetur, intra mænia se recepit. Mox vt prædam victoribus corrumperet, victoriæque cursum sisteret, ciuitati ignem subijci iussit. Validissimâ intereà manu, sub præfecto Iurzâ ad præsidium, arci impositâ: ipse cum reliquis copijs, per auersam viam, fugienti similis abijt eâ spe; quòd Poloni prædæ cupiditate, & difficultate viâ impediti, victoriam non essent prosecuturi. Superandus enim erat secuturis, sat difficili loco, ipsum arcis ciuitatisque vallum alluens riuus. Expeditior tamen Polonorum equitatus, fugientem assecutus, cohortes, quæ tutando tergo lentiùs fuerant progressæ, profligauit: multos captiuos abduxit; atque inter alios, Gastoldum, & Rombowdum,

Luceoriæ exercitum admouet.

Boleslaum profligat & Luceoria exigit.

tum, viros in Lituaniâ primæ nobilitatis. Polonis ipſis A. 1431.
non incruenta ea victoria fuit: cùm enim Scythas fugientes incautiùs inſequuntur, ab iiſdem repentè ex fugâ in pugnam, more ſuo, coorientibus, multi ſunt oppreſſi. Rex depulſis campo hoſtibus, refectoque breui quiete milite, dum recens adhuc metus minores animos præſidiarijs faciebat, arcis oppugnationem III. Id. Iulij aggreditur. Murorum parte machinis tormentarijs deiectâ, fit à milite aſſultus: pugnatur æquata vtrimque audaciâ, damno impare: maior enim longè in oppugnantibus clades edita eſt, vnde infectis rebus receptui ſignum datum. Si patentibus adhuc ruinis, contra feſſos, qui extra pugnam fuerant inſtauràſſent impetum, haud dubiè obſeſſis vires defeciſſent, ad tuendum. Idipſum veritus præſidij Præfectus, tridui inducias petijt, ſpecie agendi de conditionibus dedendæ arcis, reuerà vt militem quiete, muros operibus varijs, reficeret. Rex pugnæ fructu victoriâ contentus, cladeſque ſubiecti ſibi populi perhorreſcens, facilè in inducias conſenſit. Obſeſſi verò, magno ſilentio murorum ruinis vallum obijcere; aquam quæ deficere cœperat, comportare; vniuerſa ad propugnandam arcem ſeruitura, inſtruere; elapſo denique triduo, deditionis loco bellum oſtentare. Deluſis eâ fraude Polonis, omnis deinde conatus irritus fuit; atque obſidio in longum producta tempus. Hinc, vt pronum eſt in ſuſpiciones vulgus, queri palàm miles: conceſſis inducijs, ſpontè à Rege permiſſum eſſe elabi victoriam; plus eum Boleſlai fratris cauſæ, quàm

Arcē Luceoriēſem oppugnat, irrito conatu.

A.1431. Regni commodis fauere; oppugnationem arcis in speciem fieri, exercitum intereà ærumnis exhauriri, ac confici. Verùm, vt fortaſſis falsò hæc in Regem militari licentiâ iactabantur: ita non defuiſſe aliquos procerum Polonorum, qui obſeſſis conſilia annonamque miniſtrarent, teſtatum reliquit Dlugoſsius. Boleſlaus quamdiu Luceoria Regi non ceſsiſſet, necdum ſpe belli ex voto conficiendi incisâ; Valachis, Scythiſque ſtipendio euocatis, collabentes res ſuas firmare inſtituit. Quia tamen ea auxilia, tam citò maturari non poterant, vt intereà Luceoriæ oppugnationem lentiorem redderet, Regem de pace interpellauit. Rex ita de ea per legatos agi permiſit, vt nihilo ſegniùs, negotium armis vrgeretur. Quare legatis vtrimque de pacis legibus diſceptantibus, Boleſlaus Chelmenſem Prouinciam inuadit: Ratnum peropportuno loco ſitum oppidum, Regi adimit: circumiacentes agros latiſsimè vaſtat. Concurrêre citò nobiles ad arma ductoribus Tribunis regijs Ciolek, & Szafraniec: quorum prior non procul Chelmno, poſterior ad Cremeneciam, non mediocri clade vaſtatores delêrunt. Vrgebatur intereà à Rege Luceorienſis obſidio: ſed nihil obſeſsis de audacia imminuebat; quin in belluinum furorem eam vertit. Quotquot enim inter ſe, ſiue captiuos, ſiue ſuos, Polonæ gentis aut Romanæ Religionis deprehendere potuerunt, exquiſitis eos tormentis confecerunt. Excarnificatos aut de muris ſuſpendebant, aut in palum actos oppugnantium oculis obijciebant: ita nimirùm defen-

Suidrigelo pacem ſe petere fingit.

Polonorũ vires diſtrahit.

Luceoriẽſium Ruſſorum immanis crudelitas.

dendæ extremâ vi arcis necessitatem sibi facturos exi- A. 1431.
stimabant, si omnem spem clementiæ præciderent a-
pud eos, quorum inexpiabile odium, tam immanibus
factis contra se vltrò concitâssent. Addiderunt crudeli-
tati, facinus sacrilegio horrendo plenum. Auctore quo-
piam mago, gente Iudæo, adolescentis Poloni collo
transfixo, eductoque inde omni cruore, recisis virilibus,
aperto pectore, extractis præcordijs, corpus reliquum
minutatim concisum, candentibus prunis torrendum
impositum est. Cuinam infernalium monstrorum eo
scelere litauerint, non comperio: illud constat, credi-
disse eos inexpugnabilem arcem redditum iri, vbi com-
pita eius & angulos omnes, funesto illo nidore sacrâs-
sent. Poloni tam immanibus exemplis exacerbati, vin-
dictam quam in omnes vulgare non poterant, in eos
ineuitabili cæde exercebant, quos casus aliquis mani-
bus eorum obiecisset. Frigidior tamen anni tempestas *Poloni belli pertæsi pacem optant.*
sensim ingrauescens, viris simul ac iumentis peracerba,
vlciscendi pugnandique ardorem restinxit: præsertim
quòd pabulo omni circumquaque consumpto, gemi-
no malo, inediâ & gelu, enecarentur. Itaque pertæsi ca-
strensis miseriæ, quocumque fœdere bellum quàm pri-
mùm terminari, palàm summi ac infimi postulabant.
Boleslaus verò quia nuper pacis mentione imponere *Boleslaus Suidrigelo illudit.*
tantùm Polonis voluerat, nihil minùs, quàm pacem,
animo agitare. Augente præsertim animos nuncio,
quòd & Valachiæ Princeps Alexander, Podoliam in-
uasisset, & Theodoricus Magister Crucigerorum, Do-

A. 1431. bryniam. Neque tamen audebat negotium ſimul omne pacis abrumpere: ſed varias difficultates comminiſcebatur, quibus fœderis ineundi conditiones, iam criminando, iam reijciendo, rem omnibus artibus protrahebat. At vbi fama certior vulgauit, Valachos in Podolia Buczacijs Ducibus cæſos, Crucigeros à nobilitate maioris Poloniæ ad amnem Vinſza profligatos; deſperatis auxilijs fœdus maturauit. Breues dumtaxat induciæ pactæ ſunt, vt intereà partium capita Parcouiam conuenirent, atque de ratione perpetuæ pacis tranſigerent. Rex ſolutâ obſidione, dimiſſoque exercitu, Leopolim contendit. Volynij metu armatorum liberi, per vniuerſam prouinciam, in templa Romanæ religionis, ac Polonæ gentis capita, incredibili crudelitate ſunt graſſati.

A. 1432. Iagelo Parcouiæ comitia celebrat.

Inſtabat dies conuentui Parcouienſi ad IV. Non. Febr. dictus. Iagelo præmiſſis Polonorum Niepolomiciæ comitijs, nè quam ſuâ morâ nouis turbis materiam præberet, ante condictum tempus Parcouiam venit. Conuenerant quoque ex Lituania, tum proceres, tum equeſtres legati, magnâ frequentiâ. Solus Boleſlaus deſiderabatur. Perſpiciebat probè Rex, quidquid tandem cum alijs è re publica ſtatuiſſet, id ob Boleſlai abſentiam, neque firmum, neque diuturnum fore. Magno itaque ſtudio Breſtiâ Parcouiam eum pertrahere contendit: & procraſtinantem, diu ſatis expectauit. Boleſlaus verò contentus pacis ſpe Luceoriâ periculum depuliſſe, conſilia obteſtationeſque regias contemnebat.

Boleſlaus ad ea venire recuſat.

Fastu tumida mens, vix dum præsentium periculorum sensu tangebatur, nedum futura ac incerta, vel videret, vel æstimaret. Non parùm etiam contulit disturbandis regijs consilijs Gubernatoris Toruniensis, Crucigerorum ad Boleslaum legati, opera: qui fratrum discordias, Ordinis sui rebus pernecessarias, contemptumque belli Polonici, amplis promissis auxiliorum, studiosè fouebat. Iagelo spe omni pacis frustratus, cùm sanguinis amor, tot iniurijs ferendis non sufficeret, alias rationes inire cœpit: quibus Boleslao domito, læsa Regiæ auctoritatis iura vindicaret. In Poloniam Parcouiâ abijt, atque comitia Polonorum Siradiam indixit. Poloni, quòd eorum maximè res ageretur, ne Podoliam & Volyniam amitterent, quibus Boleslaum neutiquam cessurum, tot argumentis constitisset, omni contentione persuadent Regi, vt Boleslao Sigismundum Vitoldi fratrem, Starodubensium Principem, æmulum opponat translatis in eum Magni Ducis Lituaniæ titulis. Non diu difficilem se præbuit eorum consilio Iagelo, nimiùm quàm pertæsus Boleslai. Mittuntur itaque Regis ac Reipublicæ legati: Sigismundus ad sumenda contra Boleslaum arma tacitè, concitatur: auxilia à Polonis spondentur: victoriæ præmium, Magnus Lituaniæ Principatus addicitur. Sigismundus iam ante Boleslao offensior, quòd Principatum in Kieystuti familiam per Vitoldum, illatum, in se, vi magis, quàm Ordinum aut Regis voluntate transtulisset, auidè arripuit spem ostensam ornandæ domûs, quàm filio egregio iuuene, pa-

ternarum

A. 1432.

Rex de opprimendo Suidrigelone consultat.

Sigismũdum Kieystutiadem ei æmulũ opponit.

A. 1432. ternarum ditionum successore, firmatam habebat. Lituani quoque Proceres plerique Laurentij Zaremba operâ solicitati occultè, nullo negotio in Regis sententiam concesserunt, atque partibus Sigismundi sese adiunxerunt. Nam vt vniuersos propè Boleslaus incredibili crudelitate à se auerterat; ita maximè in eorum odium incurrerat: qui antiquâ origine Lituanâ prognati, ægerrimè ferebant, in gratiam Russæ coniugis Twerensium Ducis filiæ, à Boleslao solos fere Moschos ac Russos magni fieri, & præcipuis Magistratibus admoueri. Vt primùm à Seueria digressus Sigismundus Lituaniam attigit, spontè accurrentibus proceribus, ac nobilitate, breui iustus coaluit exercitus. Destinauerat Sigismundus, cum expeditionibus, tacito agmine, maximisque itineribus, Boleslaum Osmianæ securè agentem opprimere, atque captum Regi mittere. Verùm Palatinus Trocensis Ioannes Moniuidus, à quopiam, quæ destinata essent edoctus, Boleslaum de imminenti periculo præmonuit. Tam improuiso ille nuncio attonitus, non arma, non consilium, retinendæ dignitati expedire: stupere ad omnia: solius vitæ curâ, viam fugæ circumspicere. Tanta porrò fuit fugienti trepidatio, vt ne coniugem quidem, comitem fortunæ assumere voluerit. Re vniuersâ familiari cum coniuge affectibus æmuli proditâ, solus Smolenscum vsque fugit. Ibi primùm recepto spiritu, Russorum fauore Polocensi ac Kiiouiensi, Prouincijs, in suam factionem pertractis, Russiæ se Ducem ferre cœpit. Sigismundus omni propè

Boleslaus Suidrigelo ex Lituania fugit.

Russiam occupat.

bello

bello absque pugna confecto, Vilnam, Trocos, Grodnam, ac reliqua totius Lituaniæ loca incruenta victoriâ, sui iuris fecit: atque quàm primùm per Ioannem Niemirowicz de exacto è Lituania Boleslao, Regi gratulatus est. Subsecuti non multò post alij legati, qui narratâ in senatu rei gestæ serie, postularent, vt Sigismundus Magnus Lituaniæ Dux renunciaretur. Non poterat negari præmium victori, Regis ac Reipublicæ fide promissum: præsertim quòd legati Sigismundi sanctè sponderent, eum in Regis potestate semper futurum, nec priùs cessaturum à bello, quàm Boleslao penitus debellato. Differre postulata, res erat plena discriminis. Inter nouarum enim rerum turbulentos motus, sæpè ipsum tempus studia vnius factionis remittendo, alterius intendit. Cùm itaque festinatione opus esset, ex Senatusconsulto lecti sunt viri, tum integritate probatâ, tum agendi dexteritate conspicui, Sbigneus Olesnicki Episcopus, Iarandus de Brudzow Palatinus Cracouiensis, Ioannes de Lichno Palatinus Brestensis, & Laurentius Zaremba, alijque. Ijs, Regis ac Reipublicæ auctoritas commissa est, vt certis legibus Sigismundum Magnum Lituaniæ Ducem inaugurarent.

A. 1432.

Legati Regij ad Sigismundum.

V LIBER

A.1432.

LIBER IV.

DE REBVS LITVANORVM

Sub Principe Sigismundo I. Kieystutiade.

Sigismundus Kieystutiades certis conditionibus fit Magnus Dux Lituaniæ.



On multis laborandum fuit apud Sigismundum legatis Regijs, vt ea persuaderent, quæ in secretis mandatis, à Rege ac Republicâ, acceperant. Quid enim pronius, quàm imperij causâ, quiduis polliceri? Sigismundus tamen ita agere visus est, vt ex fide eum præstiturum, quæ spopondisset, haud dubiè ab omnibus crederetur. Stipulationis iureiurando firmatæ hæc summa erat. Vetus Lituaniæ cum Polonia fœdus, vnio dictum, inuiolatum semper seruaretur. Sigismundus Rege, Ordinibusque Regni inscijs, aut inuitis, neque procuraret, neque admitteret Regios pro Lituania titulos, ac insignia: nullum alium, quàm Regem eiusque hæredem, successorem sibi legeret, designaretúe. Filius eius Michaël Dux Trocensis, & Starodubensis, ijsdem prouincijs contentus viueret, regiumque in se ius semper agnosceret. Sigismundo mortuo Volynia regno Poloniæ adiungeretur. Michaële absque masculâ prole decedente, ius omne Trocensis ac Starodubensis Ducatûs, ad Regem deuolueretur. Hæc de Sigismundi ac procerum, nobilitatisque consensu, iu publicas tabulas relata, eorum ipsorum

ipſorum nominibus ac ſignis ritè commonita, legatis regijs ſunt reddita. Tum Sbigneus legationis Princeps, in templo D. Stanislai Vilnæ, Summi Pontificis diploma, ad confertiſſimum populum explicuit: in quo Sigiſmundus ipſe, atque omnes Magni Ducatûs Lituaniæ incolæ, iuramenti ante annum Boleſlao præſtiti religione, exoluebantur. Mox ſolitis ceremonijs Sigiſmundum Magnum Ducem, per Mareſchalcos proclamatum, inaugurauit, ſtricto enſe, quem Rex miſerat, dextræ eius inſerto. Ægrè ea res habebat Ludouicum Torunij Præfectum, qui cum tribus legationis ſuæ collegis, Ordinis Crucigeri equitibus, Vilnæ, ſub legati velo, egregiè vicibus, ac perſonâ ſpeculatoris, fungebatur. Ille arcana Senatûs venari: Principem ac primores amicitiâ Crucigerorum ineſcare: nihil negligere, quod pactis conuentiſque Sigiſmundi, atque adeò fœderibus Polonicis conuellendis prodeſſet. Neque deerant qui eius machinationes apud Principem, & in Senatu validè promouerent. Ante alios ſuam operam Crucigeris addixerat, Georgius Butrym vir magnarum in Samogitia opum. Hic vt erat in Senatu, præcipuæ auctoritatis, quam verſatili ingenio ac eloquentiâ, quæſitæque per exteram peregrinationem prudentiæ opinione, collegerat, non leuiter vniuerſa labefactabat. Præualuêre nihilominus, quibus ſanior erat ſententia. Ludouicus vti hoſtis, vt finibus Lituaniæ, cum collegis quàm primùm abiret, publico edicto mandatum: Georgio, ni grauiora vellet experiri, ſilentium impoſitum.

A. 1432. Inauguratur à Sbigneo Episcopo Cracouiēſi.

Crucigeri pacem inter Polonos ac Lituanos turbare conantur.

A. 1432. Suidrigelo ipse Lituaniam; per Ducē Ostrogium Podoliam, inuadit.

Boleslaus intereà, cùm Sigismundus Lituaniam ordinat, per Russiam, quam prope totam liberalitate factionis suæ fecerat, magno apparatu militem scribebat, bellum simul Sigismundo & Iageloni illaturus. Bifariam copias partitus, ipse in Lituaniam duxit; Theodoro Duci Ostrogio occupandæ Podoliæ curam commisit. Neque infeliciter Theodoro ea expeditio cessisset, si primis successibus pares euentus, instabilis rerum humanarum sors, attexuisset. Improuiso bello Podoliam aggressus, breui eam asseruit Boleslao. Rex ad progressus hostiles sistendos properè Leopolim accurrit, atque inde Vincentium de Samotulij Russiæ Palatinum, contra Theodorum expediuit. Theodorus leui equitatu, ex Russis, Valachis, Scythisque conflato, ad insidias, quàm apertum certamen validior, non ausus occurrere Samotulio, tantùm per interualla infestando fatigabat Polonos, carpebatque. Samotulius vniuerso simul robore progrediens, obuias arces facilè recepit, iamque Braslauiæ imminebat. Theodorus veritus, ne si ea Polonis cederet integra, annonâ, cæterâque prædâ non leuiter reficerentur, præmissis expeditissimis equitum, arcem ciuitatemque exuri curauit. Excurrens Nouember iam militem ad hyberna reuocabat, neque in Prouincia supererat aliquid agendum, exercitu hostili omnem prælij copiam industriè deuitante: quare versùs Poloniam Samotulius castra mouit. Abeuntem Theodorus tacito agmine, ita sequitur, ne vel Polonus sentiret Russos vestigio insistere, vel ipse rei gerendæ occasionem

Samotulski Podoliam recipit.

ſionem elabi ſineret. Morakua fluuius inter denſa nemora, vliginoſis ripis latè exundans, Polonis in reditu ſuperandus reſtabat. Inſtrauerat eum glacie, autumnale gelu: ſed ab ea, quòd ad ferenda onera necdum firma eſſet, plus impedimenti tranſituris obiiciebatur. Subſiſtere itaque coactæ copiæ, donec congeſtis temerè virgultis, ac vimine, via per paludoſa loca tumultuario opere muniretur. Intentis in id opus Polonis, Theodorus cum ſuis, magno ſilentio fluuium alio loco traijcit, atque à fronte viam inſidijs occupat. Pars Polonorum ſuperato difficili tranſitu, cum impedimenta atque cohortes reliquæ ſenſim ſubſequuntur, nihil hoſtile ab illa ripa metuens, ſecurè curandis corporibus indulgebat. Re per exploratores cognitâ Theodorus, ſublato repente tubarum clangore, in ſecuros impetum facit. Improuiſo circumuenti diſcrimine Poloni, cùm per occupatum curribus aggerem, neque ipſi ad ſuos ſe recipere, neque ab illis auxilia accipere poſſunt, auctis ex deſperatione animis, hoſtem conſtanter excipiunt. Pugnatur acriter. Samotulius tam ancipiti periculo deprehenſus, ociùs currus ex aggere agi præcipites, glaciem confringi, viam reliquis copijs aperiri iubet: fluuium nando tranſgreſſus pugnam inſtaurat. Auctis Polonorum viribus acriùs vtrimque prælium inſurgit; ſed ſpes Theodoro ſuperior: inſtructâ acie, recenti milite ac numeroſo, cum feſſis, ac tumultuariè in pugnam venientibus, prælianti. Adhuc animus Polonorum ac virtus æquabat fortunam prælij, cùm Ruſſi victoriæ ſecuri,

A. 1432.

Theodorũ Oſtrogium poſt ancipitem pugnam profligat.

A. 1432. ad ſpolia deſertis ſignis, diffluere cœperunt. Nihilo tamen ſpes inde melior Polonis: Ruſſis periculum non ſentientibus. Solius Kemlicij Centurioris fortitudo vices confudit, prope victorum Ruſſorum, ac in fugam inclinatorum Polonorum. Excurrerat ille Ducis iuſſu annonę causâ ad vicinos pagos, cum centum equitibus. In reditu, cùm à longè clamorem ſtrepitumque audiſſet, pugnari haud dubius, calcaribus adactis citato curſu ad ſuos properat, editoque confuſo clamore, qui ſpeciem maioris exercitûs faceret, à tergo Ruſſos aggreditur. Mox Poloni audaciam ac ſpem reſumere: Ruſsi à præda ad pugnam reuocati non ſigna, non ordines ſuos reperire. Theodorus Dux maiorum auxiliorum opinione deceptus ante alios è campo cum delectis ad tutiora ſe proripuit: Ducem, totius exercitûs, effuſa fuga eſt ſubſecuta. Cædes longè maior in fuga, quàm in acie, edita. Quòd enim ſereno cælo, luna pleno lumine, diem ferè æquaret, Poloni vltra mediam noctem fugientem Ruſſum inſequendo, continuârunt victoriam. Pridie Kal. Decembr. loco ad quadraginta leucas Leopoli diſsito pugnatum eſt. Nuncius tamen victoriæ, nullo certo auctore, eodem ipſo die per ciuitatem vagatus, ad Regem publicè in templo Superis ſupplicantem peruenit. Poſtero deinde die cum ſignis de hoſte captis, legatus à victore exercitu Regem ſalutauit.

Non multò poſt, nempe IV. Id. Decembr. Boleſlaus quoque in Lituania profligatus eſt. Quinquaginta millium

lium exercitu Lituaniam adortus, caſtra ad Oſmianam poſuerat. Vniuerſa prope Ruſsia arma pro illo ſumpſerat: neque ea ſolùm, quæ Magno Duci Lituaniæ ſubiecta Polociam, Smolenſciam, Miſciſlauiam, Seueriam, Kiiouiam, Volyniam prouincias complectebatur; ſed etiam Moſchouia, Rezania, Tweria, ductore Iaroſlao, germano Boryſsi Twerenſium Ducis. Liuonia quoque ex ſecreto fœdere, auxilia Germanica miſerat. Non deerant præcipuæ nobilitatis Lituaniæ proceres, qui exercitum eius ſuo milite auxerunt. Sigiſmundus tamen, numero longè inferiores Lituanorum, Samogitarumque copias, intrepidè æmulo obiecit. Commiſſo prælio Superi victoriam ad bonam cauſam inclinârunt. Decem ſuorum millibus in prælio amiſsis, ægrè ipſe fugâ Kiiouiam Boleſlaus euaſit. Quatuor millia viuorum in poteſtatem venerunt, atque in his, præcipua belli factioniſque capita. Eximia victoria facilè datura pacem credebatur: niſi eam ſatis in campo cruentam, Sigiſmundus magis funeſtâſſet; fortè neceſſariâ, nec iniquâ, odiosâ tamen nimiùm apud populares ſeueritate. Poſteaquàm fama vulgauit Georgium Linguienium nepotem regium, Miſciſlauienſium Principem, patrimonio omni exutum, in carceres Trocenſes coniectum: Daugirdum Dedigoldi filium, ac Ducem Theodorum Odyniec, cęteroſque, arctiùs haberi, quàm eorum genus, dignitaſque ferret: Ioannem Moniuidum Palatinum Vilnenſem, Rombowdum Mareſchalcum Lituaniæ, vt perduellionis reos peractos, capite trun-

catos

A. 1432. Suidrigelonem Sigiſmundus profligat.

Rebellium primores plectendo, omnes à ſe auertit.

A. 1432. catos esse: summi æquè ac infimi crudele in nouo Principe ingenium suspicari, atque inde infame tyrannide eius imperium fore ominari, & execrari. Sigismundus, ne victorem exercitum suarum ditionum prædâ sagi-naret, modicâ à prælio interiecta quiete in Liuoniam mouit, quòd contra fœdera à Liuonibus ministrata esse Boleslao auxilia compertum haberet. Prouinciâ totâ latissimè euastatâ, miles copiosâ prædâ, Dux ob iniuriam vindicatam lætus, ad hyberna redijt in Lituaniam. Inde ad venerationem Superorum qui victoriam dedissent versus, in perpetuum gratæ voluntatis monumentum, Osmianæ templum, ac Collegium Sacerdotale, *Canonicos* vulgus vocat, erexit, reditibusque amplis, instruxit. Russos, qui Græcis ritibus in Romani Pontificis obsequio, religionem Christianam colunt, insignibus priuilegijs ornauit.

Liuoniam inuadit & vastat.

Osmianæ Ecclesiam Collegiatã fundat.

A. 1433. Boleslaus nactus otiũ, quod hyems & hyberna Sigismũdi quies, permittebant; instaurandis in Russia viribus impendit: maioribus longè copijs, fortunam superioris anni, primo vere correcturus. Plerique, nuper cæsorum procerum, amici, cognati, ac clientes, odio Sigismundi, Boleslao accedebant: præsertim quòd satis auersos à se animos nuperâ magnatum cæde, magis irritâsset incredibili auaritiâ. Quamquàm verò nonnulli, nondum auderent palàm ad castra Boleslai transire, ita nihilominus Sigismundum deseruerant, vt nihil dubij esset, illos Principis cladem à longè otiosè spectaturos. Neque Polona auxilia aut Sigismundus sperare, aut

Suidrigelo bellum in Russia cõtra Lituaniam instaurat.

Boleslaus

Boleſlaus metuere, poterat. Nam Iagelonem Regem *A.1433.*
annis laboribuſque præteritis fractum, ac bellis gerendis
imparem, domeſtica quies tenebat. Duces verò Poloni
exercitûs, Pruſſia nouo bello implicuerat. Boleſlaus *Lituaniæ Prouincias impunè vaſtat.*
itaque trifariam exercitum partitur: ipſe cum parte,
Lituaniæ interiora aggreditur, ac latè vaſtat. Legati
eius, ac factionis Duces, Corybutus, Oſtrogius, Noſſius,
cum reliquis duabus partibus, per Podoliam, Volyniamque
impunè graſſantur. Sigiſmundus Polonorum
auxilijs deſtitutus, de Lituanorum procerum fide
non ex vano dubius, non eſt auſus ſe ipſum exercitui
concredere: ſed Petrum Montigerdowicz bello gerendo
præfecit. Hic audendo nimius, cùm temerè confligit, *Exercitũ Sigiſmundi profligat.*
amiſſo exercitu, Sigiſmundi partes propè ad extremum
perdidit. Ad eius cladis nuncium Sigiſmundus,
cum paucis, præcipuorum amicorum cohortibus, intra
denſiores ſyluas ſe, vxoremque ac filium, recepit.
Boleſlaus depulſis campo Sigiſmundianis, ab ea victoriâ
longè inſolentior, ne tempus oppugnandis arcibus
tereret, in aperta extremè ſæuiit. Vilnam, Trocos, Creuum,
Lidam, Merecium, Grodnam, ciuitates, & quidquid
pagorum toto eo tractu erat, igne deleuit. Carpebat
quidem Sigiſmundus è ſyluarum latebris identidem
erumpens, incautiùs palantes: at vniuerſi belli moli
impar, nihil momenti maioris tentauit. Euaſtatâ Lituaniâ
Vitepſciam Boleſlaus duxit. In eo itinere captum *Vitepſciã occupat, eiuſq; Præfectum enecat,*
Toloczyni Ducem Michaëlem Iwanowicz, aquis ſuffocari
iuſſit. Vitepſciâ potitus Simonem Holſanum

 Ducem,

A.1433. Ducem, Prouinciæ totius Præfectum, ab edito monte in præterfluentem Dunam, præcipitem egit. Ibidem deprehenderat quempiam impoſtorem Haraſimum, qui vſurpato vniuerſæ Ruſſiæ Pontificis titulo, Vitepſciæ Pontificatûs ſui ſede collocatâ, miſeris populis imponebat, ab obſequio Romani Pontificis, ad Græcum ſchiſma auocando. Eum quoque, ſiue in gratiam Kiiouienſium, ſiue aliâ causâ (neque enim veræ religionis tuendæ ſtudio factum crediderim) viuum flammis addixit. Cùm Boleſlaus à Septentrione per Ruſſiam imperium ſibi firmat, legati eius, Theodorus Corybutus, & Noſſius peragratâ meridionali Ruſſiâ, vaſtatiſque Podlachiæ confinijs in Poleſiam vſque penetrârant. Breſtiam magnâ vi oppugnabant: obſeſſoſque grauiùs premebat fames, quàm hoſtis, quod in ſubitos caſus, nullam annonam præſidiarij præparâſſent. Ceſſiſſet procul dubio arx hoſti, peroportuno loco ſita, niſi Mazouiæ Duces contra vicinum hoſtem mouere iuſſi, impigrè in campum prodijſſent. Famâ eorum territus Corybutus, obſidionem Poleſiamque deſeruit. Longè maior à Scythis imminebat clades, niſi eam Superi, in ipſius Boleſlai caput, vertiſſent. Amplis muneribus Boleſlai euocati, maximo numero ſub ſigna confluxerant, vt Sigiſmundo eiecto, Lituaniam Boleſlao reſtituerent. In via à Regijs legatis edocti, Sigiſmundum à Iagelone Lituaniæ Principem creatum, in eius obſequio agere; Boleſlaum verò rebellem, Principatu exutum, bellum contra Regem gerere: furias, in Boleſlaum, quòd eos fefel-

Per legatos ſuos Poleſiam vaſtat.

Scythæ contra Sigiſmundū exciti, in Suidrigelonem arma mouerunt.

fefellisset, effuderunt. Ne enim prædâ vacui domos re-peterent, crudeli populatione, in Russiam Boleslao subiectam, ac præsertim Kiiouiam, & Czernihouiam sunt grassati. Exeunte primùm Autumno è latibulis emersit Sigismundus, atque exiguis copijs, quæ magis ad iniuriam patebant, è Boleslai ditionibus, vastauit. Miscislauiam vsque vastatione progressus, post vrbem arcemque pertinaci, vnius mensis oppugnatione, captam, in hyberna concessit. *A. 1433.* *Sigismundus Miscislauiam recipit.*

Sequens annus Regi Ladislao Iageloni vltimus fuit. Excurrerat in Lituaniam, ibique à Sigismundo in oppido Krynki omni honoris significatione acceptus, imperium ei in Lituaniam confirmauerat. Regressus in Poloniam, Corczyni comitijs interfuit: inde Cracouiam, deinde Leopolim contendit, vt Stephanum Moldauiæ Principem inauguraret. Tot itineribus afflictâ valetudine: in castello Grodek viribus instaurandis, aliquantùm quieuerat. Sed iam grauior vis mali erat, eâ præsertim annorum maturitate, quàm vt quiete solâ leuaretur. Philomelam, inter proxima arbusta canentem, pro more suo, in longam noctem de fenestra audiendo, sensim caput atque præcordia frigore nocturno peruadente, febriculam conceperat. Accesserunt incommoda viarum, quæ malum auxerunt. Nondum tamen ægritudinem aut medicus, aut Rex ipse sentiebat: senilium virium languor credebatur, qui morbus erat supremus. A mensâ demùm, cùm repentè animo linqui cœpisset, ad lectum delatus, de vita rem agi intel- *A. 1434.* *Rex Iagelo moritur.*

 lexit.

A. 1434. lexit. Vocatos itaque regni Proceres inprimis rogat, ne in ſufficiendo ſibi Rege, Ladiſlaum filium præterirent. Pollicentibus ſingulis ſuam operam, ad Sbigneum Oleſnicki, oratione conuersâ, annulum digito ſuo detractum illi tradit, magnaque demiſſione precatur, vt eorum, quæ ex occaſione diſſidiorum in ſentiendo, acci-diſſent, veniam ſibi indulgeret. Tabularios deinde accerſiri iubet, qui ſupremam eius voluntatem in tabulas referrent. Tabulis ritè confectis, monente Sbigneo, totum ſe dedit ad eluendam exactiùs à culpis omnibus conſcientiam, componendumque Chriſtianâ pietate animum, ad extremum vitæ momentum. Intra ſeptendecim dies conſumptus, pridie Kal. Iunij exceſſit è vita: cùm annos octo ſupra quadraginta, & quatuor menſes, regnâſſet. Fuit Princeps, corpore laborum ac incommoditatum patientiſſimo; animo ad excelſa erecto. Staturâ mediocri, facie ac collo, oblongis. Curandi corporis ſtudioſior videbatur, quòd balneum in ſingulos aut alternos dies, adhiberet. Cæterùm cibi potûſque parcus, vino ſemper abſtinuit. Rudi, ſimpliciique habitu contentus, nihil in veſte faſtuoſum admittebat. Venationum à puero ſtudioſior, earum vſu corpus ad ferendos labores indurabat. Munificentiâ in omnes, ſed præcipuè in templa, & exteros, inſigni: nullum ipſe donum, quantumuis exiguum reſpuere; neminem ſupplicantem ſpe omni præcisâ repellere, verùm aliquâ donatum parte, benignè à ſe dimittere ſolitus. Egentiores magnâ comitate inuitabat, ad explicandas ſuas iniurias;

Mores Iagelonis.

quam-

quamquam, quòd neminem libenter offenderet, tardiorem se in ferenda sententia gereret. Cùm domo egrediendum foret, vno pedi insistens, ter in gyrum se circumagebat. Veterùm superstitionum has fuisse reliquias, credebatur: at quia, quâ animi sententiâ id faceret, nulli aperuit, superstitionis ego non damnauero. Ita enim in Missæ sacrificio, cùm ad cultum populi, sacra Hostia à Sacerdote in altum leuaretur, ille in terram prostratus, festucam aut quidpiam simile arreptum minutimque confractum abijciebat. Neque tamen id superstitiosum dixeris, quòd eo argumento Supremi Numinis in omnia auctoritatem, regiorumque capitum subiectionem, publicè se profiteri affirmaret. *A.1434.*

Poloni nequid per longius interregnum turbaretur, Ladislaum Iagelonis natu maiorem filium VIII. Kal. Aug. solemni ritu inaugurârunt. Sigismundus his comitiis non interfuit, graui morbo domi detentus. Præcipuos tamen Procerum misit, qui eius ac Ordinum nomine, antiqua fœdera cum nouo Rege instaurarent. Eadem occasione Podolia & Russa nobilitas, ad pares cum Polonis equestres prærogatiuas admissa est, antiquatâ vetere Ducum Russiæ consuetudine, quibus nobiles certam frumentorum pensionem debebant, & militiam proprijs stipendijs.

Ladislaus filius Iagelonis Rex Poloniæ. instaurat fœdus Lituanicum.

Boleslaus intereà à bello non cessabat. Russorum copijs è Polocensi Prouincia eductis, per confinia Dunæ, Braslauienses agros inuasit: sed nullo ferè maiore operæ pretio, Nã, vt est ea ora paludibus ac lacubus plena; insolita

Suidrigelo infeliciter Lituaniã temat.

A. 1434. ſolita imbrium vis, ita Boleſlai caſtra implicuit, vt neque progredi, neque ſubſiſtere, ſine damno ac difficultate poſſet. Fruſtratus ſpe, ægrè Polociam ſigna reduxit. Peiore fortunâ Liuones Crucigeri ab eo conducti, Samogitiam inuaſerunt: nam inter denſiſſimas ſyluas inſidijs excepti, prope omnes deleti ſunt. Magiſter ipſe Sancius vix cædi caput fugâ ſubtraxit. Non meliores ex Podolia nunciabantur ſucceſſus. Coortis nuper diſſidijs, in vincula Theodorum Corybutum Boleſlaus coniecerat. Eâ Boleſlai ferociâ Corybutiani clientes ac ſubditi commoti, initâ cum Buczacijs conſpiratione, copias Boleſlai fundunt, Corybutum in libertatem aſſerunt. Corybutus ſibi redditus ad Polonos tranſijt, quas arces in Podolia ſuis præſidijs obtinebat, Braſlauiam, ac Cremenecum Regi Ladiſlao dedidit. Nihilo tamen inde minor animis Boleſlaus, ex ſuperiore potiùs ſucceſſu, ſpes ſuas metiebatur, neque inclinantis fortunæ vices, metuebat. Magnis viribus bellum in ſequentem annum parat. Quotquot Ruſſia dare potuit militiæ aptos, armat: auxilia tum ex fœdere, tum ſtipendijs conquirit: Liuonos, Moſchos, Caſanenſes Scythas, Bohemos ductore altero Corybuto, vulgò Zidimino, & Sileſios ductore Sigiſmundo Rotth conſcribit. Non ignorabat Sigiſmundus Boleſlai apparatum: quare, præter inſtitutos in Lituania maturè per hyemem delectus, Ladiſlaum Regem monet, quid diſcrimis Ruſſia pariat. Intererat Ladislai, vt initijs regni domito Boleslao, bellicæ fortunæ famâ, reliquos hoſtes percelleret.

Boleſlaus Suidrigelo maiore apparatu bellum reſumit.

Missus itaque est in Lituaniam expertus bello Dux, Iacobus de Kobylino cum octo millibus Polonorum. Iam Boleslaus primo impetu occupatâ Braslauiâ, atque inde reliquum Lituaniæ excursionibus peruagatus, castra Vilkomergiæ admouerat. Verùm eius oppugnationem situ loci difficilem, ex præsidiariorum constantiâ, longiorem spe habuit. Sigismundus contractis in vnum Polonorum, Lituanorumque copijs, vniuersæ rei Michaëlem filium, strenuum iuuenem præficit. Michaël nihil moratus contra hostem ducit. Triduo aduersi exercitûs, castris Suientâ fluuio diuisis, in mutuo conspectu stetêre: quòd Michaël ab itinere quiete suos reficeret; Boleslaus verò iniquo sibi loco prælium euitaret. Summo mane prior inde mouit Boleslaus, castris ac pugnæ opportuniorem campum captaturus. Michaël dubio adhuc die, moueri castra hostium ab excubitoribus monitus, cedere Boleslaum existimabat: expeditis ergo cohortibus negotium dat, vt carpendo à tergo hostem, distineant. Ante ortum solis inchoato inter paucos certamine, cùm pugnantibus vtrimque sensim maiora auxilia submittuntur, res eò deducta est, vt totis exercitibus concurreretur. Boleslaus indignatus, quòd prior Michaël orsus esset pugnam, vlcisci ignominiam volebat: Michaël ratus Boleslaum fugere, vniuersis viribus insistebat, ne elaberetur. Errore Ducum commissi exercitus, pugnabant paribus animis, armisque. Leuior siquidem Lituanorum equitatus, arcu solo ac ense pugnam ciëre consuetus, cum Russorum equestribus copijs,

A. 1435.

Vilkomergiam oppugnat.

Ab exercitu Sigismūdi profligatur.

A.1435. pijs, pariter bella gerere ſolitis, conflixit: Polonis equitibus haſtatis, graues ferro legiones Liuonum, Bohemorum, & Sileſiorum oppoſitæ. In has magno impetu illatus eques Polonus, vbi viam inter confertos ordines haſtis aperuit, gladio rem agerem cœpit. Non diu hoſtis eam pugnam ſuſtinuit;robore ipſo exercitûs perrupto, tota acies in fugam effuſa eſt. Liuones pertinaciſſimè, locum, quo conſtiterant, retinentes, Magiſtro, Mareſchalco, & fortiſſimis quibuſque cæſis, propè extremâ ſtrage deleti ſunt. Bohemorum, Sileſiorumque ductores, atque Ruſſorum plurimi, viui in poteſtatem venerunt. Michaël remiſſis ad Parentem captiuis, victoriam eſt proſecutus. Polociam, ac Viteſciam Prouincias vaſtauit: arcibus diu irritâ oppugnatione tentatis. Atrocior in captiuis ſtrages edita. Sigiſmundus Rotth Sileſius, quòd obligatam non ſemel Polonis fidem violâſſet, ſacrilegij pœnas in amne Suienta ſubmerſus eluit. Corybutus, ſparſo rumore in vulgus quòd ex vulneribus obijſſet, veneno extinctus. In Iaroſlaum Linguenium nepotem Iagelonis, Ducem Miſciſlauiæ, Ioannem Volodimiri Principem Kiiouiæ, Michaëlem Lwowicz Wiazmæ Ducem, ac reliquos proceres (quadraginta capita erant) vario pœnarum genere ſæuijt Sigiſmundus, perduellionis vindicandæ prætextu. Cæterùm ea res demùm Sigiſmundo perniciem accelerauit maximè, ſæuiendique ſimul, ac imperandi, citò finem fecit.

Sigiſmūdus in captiuos ſæuit.

Nondum victoriam ita fama vulgauerat; vt Germaniam

Sigiſmūdus Cæſar

niam peruagaretur. Nihilominus Sigiſmundus Cæſar, ſiue quòd ſuſpectam Boleſlai fortunam haberet, ſiue tegendi animi ſtudio, Ladiſlai Regis amicitiam ambire cœpit. In Lituaniâ Boleſlaum promiſſis auxilijs ſtimulabat, ne repetendi Principatûs aut curam, aut ſpem deponeret: in Poloniâ Ladiſlaum Regem per legatos hortabatur, ne cruentum in viſceribus Reipublicæ bellum permitteret, remedium fraternis odijs non apponendo. Rex Boleslao offenſior, ſed neque Cæſari admodum æquus, cuius amicitiam vltra verba nihil habere non ignoraret, acriùs legatis reſponderi iuſſit. Regem, maiore, quàm Cæſar opinaretur, curâ eius belli tangi. At Boleſlao eam contumaciam eſſe, quæ rectis conſilijs flecti nequeat, ideo ferro ac vi neceſſariò domandam. Oraculi ſpeciem reſponſum regium habuit: priuſquàm enim legati à Rege diſcederent, nuncius de profligato Boleſlao, deletiſque vnà cum Ducibus Liuonum, Sileſiorum, Bohemorumque auxilijs, venit. Minores inde longè Cæſari, ac Crucigeris in Pruſſiâ, animi, atque expeditior ad pacem via. Poſt breues admodum nuper in Autumno conceſſas inducias: nunc iniquioribus longè ſibi conditionibus, quàm quas fuerant aſpernati, fœdus cum Ladislao Rege, & Sigiſmundo Lituauiæ Magno Duce, libentes percuſſerunt: quietus itaque is & proximus annus Polonis fuit; at non æquè Lituanis. Rex Rempublicam nactus pacatam, curas intendit ne quid religio vel ab Huſſitarum vicinâ Poloniæ ſectâ, vel à Græco per Lituaniam & Ruſſiam

A. 1435. ac Crucigeri pacem cũ Polonia ac Lituania inſtaurant.

A. 1436.

Rex Ladiſlaus inquiſitorem fidei inſtituit.

A. 1437. Schismate, detrimenti pateretur. Potestatem ergo quærendi in eiusmodi rerum sacrarum nouatores Nicolao de Lanciciâ, Ordinis Prædicatorum, demandauit; qua liberè per vniuersas Regni ac Magni Ducatûs Lituaniæ Prouincias fungeretur.

Polocia, Vitepscia, Smolenscũ Suidrigeloni adimuntur. In Lituania Polocenses, Vitepscensesque pertinaciùs Boleslai factionem secuti, trahere bellum constituerant, donec Boleslaus vires colligeret. Verùm diuturnæ obsidionis malis fracti redierunt ad Sigismundi obsequium. Smolenscum quoque incredibilis fames subegit: cùm non modò à canibus, humanisque cadaueribus promiscua plebs, sed ne matres quidem à filijs temperarent; mutuisque inter ipsos fratres cædibus impia fami hostia quæreretur. *Suidrigelo ad Regem confugit.* Boleslaus extorris propè iam totâ Russiâ, post auxilia vbique desperatis rebus mendicata, nullibi reperta, tandem Cracouiam venit, Regis Polonique Senatûs clementiam imploraturus. Apud memores præteritarum noxarum, vix quidquam habitu supplici, profecisset: vt ergo preces pondus haberent, beneficium adiecit. Luceoriam ac magnam Volyniæ partem, de quibus tantâ hactenus Polonos inter ac Lituanos contentione actum fuerat, suâ sponte Polonis restituit. Luceoriâ per Vincentium de Samotulij receptâ non segniter Senatus Polonus pro Boleslao apud Regem instabat. *Rex eum Sigismũdo conatur reconciliare.* Rex ex Senatusconsulto amplissimam legationem ad Sigismundum decreuit. Principes legationis fuerunt Gnesnensis, & Cracouiensis Antistites, Calissiensis, & Sendomiriensis Palatini.

Egerunt illi prolixè Ladiſlai nomine. Eam, dicebant, decrepiti exulis fortunam iam eſſe, quæ hoſtes, nedum fratrem, ad commiſerationem moueret. Non decere verò maiora odia fratris eſſe, quàm hoſtium. Non Principatum, non amplas Prouincias, ſed angulum in patria, in quo Regum frater, ac patruus, ipſiuſque Lituaniæ Princeps natus, reliquum vitæ priuatus exigeret, poſtulare Boleſlaum. Infractus ad ea Sigiſmundus, Superos, homineſque teſtari, intempeſtiuâ Regis clementiâ Rempublicam prodi: notum ſibi eſſe Boleslai ingenium; cui nihil omnino de ferocia anni detraxiſſent: rebelles eius ſpiritus, etiamnum in miſera fortuna, ac propediem morituro corpore, viuidos manere: ſatis ad periculum Lituaniæ eſſe; quòd Boleslaus viueret: ſi ingredi eam permittatur; nihil certius eſſe, quàm fore, vt inteſtinis bellis pereat. Se quidem conſtantem eſſe in obſequio ac fide erga Regem: at ſi rem tanti diſcriminis pergeret pertinaciùs vrgere Rex, citiùs fœdera omnia reſciſſurum, quàm parricidam Patriæ, intra eius ſinum, recepturum. Rogare itaque legatos, vt ea Regis nomine poſtularent, quæ aut ſaluâ Republicâ concedi poſſent, aut fœderibus intactis negari. Victi conſtantiâ Sigiſmundi legati, operam transtulerunt ad confirmandum Sigiſmundum, ne quid in veteri fœdere innouaret. Nouis itaque tabulis Sigiſmundus ſtabiliuit, vt ex antiqui fœderis forma, ſe mortuo Principatus Lituaniæ Regi cederet: quin & Palatino Vilnenſi Dougirdo permiſit, vt coram legatis fidem ſuam iuramento obſtringeret,

A. 1432.

Sigiſmundus cōtradicit conſtanter.

A. 1437. geret, neminem à Sigismundi morte alium, quàm Regem eiusque hæredes, intra arces Vilnenses admissurum. De Luceoriâ ita constitutum est, vt intereà Sigismundo restitueretur, eo vitâ functo, Regijs possessionibus cum vniuersa Volyniâ adiungeretur. Ita Boleslaus Suidrigelo, totâ patriâ, quam tot malis afflixerat, eiectus, in Daciam exulatum abijt. Redditâ verò pace per Lituaniam publicâ, religio quoque refloruit. Isidorus Kiiouiensium Antistes hoc anno renunciatus, per vniuersam Russiam, obsequium erga D. Petri sedem, concordiamque cum Romanis Religionibus mirâ eruditione, ac virtutis opinione, vehementer promouit. Mors deinde Sigismundi Cæsaris, quæ exeunte hoc anno contigit, nouis in sequentem annum turbis occasionem dedit.

Suidrigelo in exilium abit ad Dacos.

Isidorus Metropolitanus Kiiouiēsis celebris.

Bohemorum aliqui Albertum Austriacum, alij ac præsertim Taboritæ nuncupati, Casimirum Iagelonis iuniorem filium Regem Bohemiæ elegerunt. Casimiri partes tuendas Sigismundus Lituaniæ Princeps suscepit. Obstabant vehementer Poloni Ordines, ne Casimirus regnum admitteret: ex aduerso Sigismundus, quòd Iageloniam domum speciosis exterorum titulis à Lituaniæ successione auertere optaret, filioque suo eum Principatum firmare, persuasit Regi, ne, vti dicebat, fratri diadema Regni Bohemiæ inuideret. At cùm res Casimiri tardiùs in Polonia expediuntur, Archidux Albertus Pragam ingressus, Rex Bohemiæ est inauguratus: ita vlteriores pro Casimiro conatus ac spes, festina-

A. 1438. & A. 1439. Casimirus Iagelonides Rex Bohemiæ eligitur.

festinatione æmuli sunt præcisæ. Coacta deinde sunt Petricouiam comitia, in quibus, quia Ladislao Regi quintum supra decem transgresso annum, amotis tutoribus, plena ac libera regni administratio permissa est; fœdera cum Lituanis instaurari de nouo necesse fuit. Sigismundus pace vndique stabilitâ, æmulo ex Lituaniâ exacto, præcipuis quorum opes ac potentiam formidare posset nuperâ victoriâ sublatis, securitatem dominandi, in vitiorum materiam vertit. Auaritiâ simul ac crudelitate, vtraque labe Principibus periculosissimâ, apud suos intolerandus, apud exteros infamis. Post addicta non pridem fisco, Moniuidi ac Rombowdi ampla patrimonia, sensim ei prædæ insuescere: opulentissimi cuiusque fortunis inhiare: si cupiditati pudor aut metus aliquorum frenum iniectaret, in eorum vitam occultè grassari. Atque vt auaritiam, non diu morata est sua comes crudelitas: ita crudelitatem, citò subsecuta mater suspicionum metus: quibus ministris Principatus Sigismundi in Tyrannidem prolapsus est. Nemini fidere; apud quos aliquid potentiæ videret, eos vt suspectos cauere: quos ipse nullâ causâ suspectos sibi fecisset, vt hostes persequi. Georgium Linguenium Miscislauiensium Ducem patrimonio ac rebus omnibus exutum, carceribus Trocensibus addicit: Alexandrum Slucensem, Kopysi cum vniuersa familia captum, Kiernouiam relegat: coniugem eius cum filijs Simone ac Michaële Vcianæ priuatam vitam agere cogit. Plures falsis criminibus suo iussu accusatos, reos capitis peragit.

A. 1439. Fœdus Lituaniæ cũ Polonia instauratur.

Sigismundus in pace auaritiâ & crudelitate infamis.

Tyrannidem exercet.

A. 1439. git. Ipſe omnibus execrandus, omnes metuit, etiam infimos. Si quando de palatio proſpectans in ſubiectam aream, aliquos amicè colloqui aduertit, de ſe agitari ſermones ſuſpicatus, niſi ſinguli ſeorſim interrogati concordi reſponſo calumniam refutâſſent, vt rebellionis reos in propinquum lacum mergi iubet. Auro omni ac re familiari pretioſâ damnatorum procerum in regiam ſublatâ, vacuas opibus poſſeſsiones, atque arces, inter agaſones ac ſimilis ſortis homines, diſtribuit. Nullum tolerat, qui aliquid non eius arbitrio, ſed aut Superiorum Principum beneficio, aut ſanguinis iure poſsideret. Deniq́ue ad eam animi immanitatem deuenit, vt conuocatis in vnum Ordinibus, quos vellet, ad cædem deligere deſtinauerit: atque eo conſilio Trocos comitia indixerit.

Principes exſcindere decernit.

A. 1440. Proceres, qui non procul Trocis agebant, primi ſubolfecerunt, ſuâ ac Reipublicæ fortunâ, parricidalem Principis inſaniam; atque eius ipſius cæde ſcenam ab eo paratam, terminare ſtatuunt. Ante alios Ioannes Dux Czartorijſci, Lubarti Gediminiadæ filius, vir animo fortis, manuq́ue promptus: quid furiarum Princeps animo verſaret, Dougiordum Vilnenſem, Leluſſam Trocenſem, Palatinos edocet. Collatis deinde in commune ſententijs, Suidrigelonem è Daciâ celerrimis nuncijs euocare, Sigiſmundum ferro tollere, Michaëlem eius filium Vilnâ Trociſq́ue excludere, decernunt. Non admodum factu ardua reliqua erant. Sigiſmundum ex concepti ſceleris conſcientiâ, ad omnia trepidantem

Conſpirãt proceres contra Sigiſmundũ.

dantem cautumque, nancisci ad cædem; hic labor futurus erat. *A. 1440.* Non adſcitis è curia coniurationis ſocijs, vix aliquid ad votum euentûs, ſperari poterat: adſciſcere autem, vt fluxa eſt curialium fides, indicij intempeſtiui metus prohibebat. At quid vnquam audere poſſis, niſi multa contemnas? Ioannes cæterique coniurati, Skobieykonem Kiiouiâ oriundum Stabuli Magiſtrum, promiſſis adoriuntur. Ne horreret eius facinoris ſocietatem, cuius, ſi cum ſcelere à Sigiſmundo deſtinato conferatur, non modò nulla fœditas eſſet, ſed etiam plurima ad poſteros ex ciuibus ſeruatis, vindicatâque Patriâ, gloria. Suâ ſe ſententiâ Sigiſmundum ad mortem damnâſſe, qui viuere aliter nollet, quàm Lituaniâ excisâ. Aut omnibus, aut illi moriendum eſſe. Ex inſolentis vtrimque facinoris oblatâ ſpecie, ſubito horrore velut gelidâ perfuſus Skobieyko, vbi ei ex commiſeratione ciuium, odium Principis pectus occupauit, ſecretum, operamque coniuratis addixit. Conſtitutus cædi dies, quem Chriſtiani faſti *Palmarum* nuncupant. *Dominicã Palmarũ insidias ſtruunt.* Pridie ſexcenti armati trecentis curribus fœno onuſtis occultati, ſub noctem arci inuehuntur: quos Skobieyko imminentes tenebras cauſatus, eo veſpere exonerari prohibet. Coniurati, ne frequentia ſolito maior ſuſpicioni anſam daret, cum exiguo comitatu ciuitatem varijs vijs intrant. Sequente die, ingens erat ſolitudo circa Principem: cùm quiſque quantùm à ſuſpicionibus abeſſe vellet, tantùm aulam vitaret. Michaël quoque filius ſacrorum causâ ad templum digreſſus cum

A. 1440. aulico comitatu, propè solum in palatio Parentem reliquerat. Ioannes, cum socijs aulicorum more manè admissus, liberè ante Principis palatium inambulans, in occasionem intendebat. Neque ea tam facilis, vti sperabat, fuit. Nam quòd suspecta omnia haberet tyrannus, occlusis ianuis, in interiore cubiculo, sacris operanti Sacerdoti aderat: verebantur autem coniurati, ne si vim ianuis inferre cœpissent, tumultu excitus Sigismundus in tutum se reciperet: nec leuior metus erat, ne mora spem perficiendæ rei eluderet. Cùm inter ancipites dubiasque curas nihil audent, casus fatum Tyranni maturauit. Cicurem ille vrsum, canis vice, ad custodiam sui alebat: qui è cubiculo Principis emissus, cùm rediret, portam vnguibus infestando, cubiculo præfectos commonebat, vt intromitteretur. Eum fortè conspicatus in area Ioannes, ad bestiæ morem, vnguibus palatij ianuam radere cœpit. Custos ianuæ, vrsum ratus ad Principem, vt solebat, reuerti, portam aperit: coniurati eo comprehenso palatium claudunt, armati è fœno coorti omnes arcis aditus occupant, Ioannes cum paucis in cubiculum Principis irruit, exprobratisque Procerum cædibus, atque eâ, quam comitiorum prætextu instructurus erat tragœdiam, aliquid loqui conatum Sigismundum collo atrepto in terram prosternit, inermis enim venerat, vt suspicionem vitaret. Tum Skobieyko ferreum è propinquo foco tridentem, magno impetu capiti prostrati illidit, cæterique varijs vulneribus conficiunt. Solus è cubicularijs Slauço, in

In Palatiū irrumpunt, ac Principem trucidant.

semia-

ſemianimem Principem proſtratus, ſuo corpore vulnera auertere conabatur: at is à Ioanne abſtractus, atque de feneſtrâ præcipitatus eſt: dignus nobiliore fato, ob relictum poſteris fidei in herum, exemplum. Ad primum tumultûs rumorem, oppidani ad arcem confluere cœperant: ſed ab armatis excluſi ſunt. Michaël trepido nuncio præmonitus, properè in minus caſtellum, aquis vndique circumfuſum, ſe recepit. Cæſo Principe vexillum de turri prolatum eſt, in libertatis ac ſecuritatis ſignum, ne quiſquam ſibi metueret à coniuratis. Inde conſilijs ad excludendum Michaëlem collatis, Leluſſa valido præſidio, Trocos occupat; Dougirdus Vilnam feſtinat. Conueniebant intereà euocati ad comitia Proceres, quæ Princeps deſtinâſſet, quæúe in eum acta eſſent, prorſus ignari. In viâ acceptus de patratâ cæde nuncius, dubium eſt, lætiorne an triſtior fuerit? Nam vt ſublato Sigiſmundo quiſque ſecurior, metûs continui materiam ſubtractam lætabatur: ita omnes Boleſlai Suidrigelonis fortunam, in nouas ſpes aſſurgentem oderant, ac execrabantur. Boleſlaus verò, iam ante, coniuratorum nuncijs præmonitus, magno ſilentio ex Daciâ digreſſus, in Lituaniam properabat. Nunciabatur eum inopinatò Luceoriam odortum cepiſſe, donatiſque libertate nobilibus, quos in vincula Sigiſmundus compegerat, non mediocriter vires auxiſſe, atque propediem affuturum. Vbi Trocos conuenerunt ordines, auctoribus Gaſtoldo, & Kieyzgailone, decreuerunt, vt apparatu, quo poſſet maximè ſplendido parentaretur

A. 1440.

Ordines ad comitia euocati.

Occiſo parentant ſumptuosè

A. 1440. rentaretur Sigiſmundo. Indignum enim erat, aut coniuratorum odia morte non finiri, aut expertes coniurationis, criminis eiuſdem ſocietate pollui, ſi in exanimem iras exercerent. Vilnam itaque deductum corpus, ac magnificè ad funus elatum, frequens populus Senatuſque, eodem cum Vitoldo fratre, tumulo, condidit. Non Principis modò cæde, ſed priuatorum etiam clade funeſtus hic annus fuit. Poſt proximæ hyemis ingentia ac ſolitò diuturniora frigora, lues primùm inter pecora vulgata, mox incredibilis inter mortales fames, extremè miſeram plebem afflixit. Qui ſiccatis arborum folijs, ac contuſis, panem ſibi conficiebant, lautiùs veſci videbantur: cùm alij ne ab humanis cadaueribus ſibi temperarent. Multi in profundis ſyluis ad ferarum latebras penetrabant, vt ſe ſuoſque, à quibus præ fame vix ipſi abſtinebant, beſtijs lacerandos obijcerent. Subſecuta eſt deinde tanta in canibus feritas, per Albam Ruſſiam, vt obuios quoſque inuaderent, dilaniarentque.

Fames grauis per Lituaniã.

LIBER

A. 1440.

LIBER V.

DE REBVS LITVANORVM

Sub Principe Casimiro II. Iagelonide.



CÆso Sigiſmundo, multa turbarum materies, domi foriſque concreuit. Boleſlaus Mazouiæ Dux Podlachiam aggreſſus, Mielnicum, Bielſcum, Drogicinum, occupauit. Proceribus verò Lituaniæ, nulla interim tuendorum finium cura: quos, pro nouo Principe ſtudia, in diuerſas contentiones diſtraxerant. Clientes Sigiſmundi, quorum princeps Narbultus, cum Samogitis, Kieyſtutianæ domui ſemper addictis, pro Michaële agebant. Conſcij coniurationis, tum ſpe præmiorum apud Sigiſmundi æmulum, tum vt quæſtionum metu ſe abſoluerent, pro Boleſlao exule, connitebantur. Vtrique publicæ rei obliti, præſentibus, priuatiſque ſolùm agebantur commodis. Qui extra vtramque factionem erant, cogitationes in futurum extendere, atque ex præſente rerum ſtatu vlteriores viciſſitudines animo præcipere: penſare, quantùm ab ipſo Iagelonis in Poloniam abitu, Reſpublica detrimenti accepiſſet? Interiores Prouincias imperium ambientium potentiâ in dies fœdiùs affligi; finitimas fœderum prætextu magnâ contentione repeti: ab Rege verò quod & abſens eſſet, & Polonis ex be-

Dux Mazouiæ Podlachiã occupat.

Primorũ Lituaniæ circa nouũ Principem ſtudia.

A.1440. nefificio accepto obnoxius, nihil poſſe prouideri, quod ad remedium tot malorum, ſatis eſſet. Iam non alium retinendæ Reipublicæ modum ſupereſſe, quàm qui eius augendæ fuiſſet: electo nimirum eiuſmodi Principe, qui liber alijs curis, ſolutuſque alieno imperio, ſolius Magni Ducatûs integritati præſens proſpiceret. Hæc ſermonibus, atque literis inter Magnates & nobilitatem vulgata, non paucos aut in Alexandrum Slucenſem Ducem, aut in alterutrum eius filium inclinauerant. Præualuerunt tamen eorum conſilia, quibus Iagelonij ſanguinis, Polonorumque fœderum, maior æſtimatio erat. Ac Moniuidus quidem, cum Gaſtoldo, & Oſtico impensè agebant, vt ex ſacrâ fœderis Polonici formâ, Rex ipſe Ladiſlaus, Princeps renunciaretur. At, qui metuebant, ne Regis imperium plus obeſſet, quòd Hungariæ Regno nuper ſuſcepto, à Lituaniâ tanto interuallo auulſus, neque de periculis in tempore doceri, neque conſilia expedire poſſet, vehementer obſtiterunt, ne Regis ratio haberetur. Poſt multam concertationem, tandem auctore Holſano Duce, Georgio Algimundo in Caſimirum Ladiſlai Regis fratrem plerique conſensêre. Reliquos in eorum ſententiam facilè permouit metus, ne procraſtinando, Rempublicam Michaëli proderent. Indicta igitur quàm primùm Breſtiam comitia: quòd is locus, & Caſimiro propior eſſet, & à reliquarum factionum capitibus remotior. Miſſi quoque primariæ nobilitatis ac dignitatis fratres, Michaël & Ioannes Kieyzgailo, qui Caſimirum ad occupandum

Caſimirus Iagelonides Magnus Dux Lituaniæ eligitur.

dum maturè Principatum Breſtiam inuitarent: vrgerentque præſentes, ne quid iuuenis, è Polonorum conſilio, morarum necteret. Ea enim quæ inter feſtinandum præteriri viderentur, poſſe deinceps apud fratrem excuſatione reparari: at momenta, quæ inter procraſtinandum elaberentur, nequaquam reuocari poſſe. Aberat enim tunc Rex Ladiſlaus Hungarico contra Turcas bello intentus. Caſimirus verò cum deſignatis Polonorum primoribus Sendomiriæ agebat. Auidâ ſatis aure, appetens eius faſtigij iuuenis, legationem accepit: ne tamen pro iuuenili ardore præcipitaret reſponſum, præſentium moderatorum auctoritas obſtitit. Recens enim nimis erat memoria, fœderum nuper cum Ladiſlao inſtauratorum: quibus decedenti Sigiſmundo, Rex Ladiſlaus ſucceſſor deſignabatur. Quare inuitis Polonis, Caſimirum Sendomiriâ Breſtiam clàm abiuiſſe apud Lituanarum rerum ſcriptores reperio. In Polonâ verò Hiſtoriâ proditur, ita Polonos cum legatis tranſegiſſe, vt Caſimirus in Lituaniam iret, eamque Fratris nomine adminiſtraret, non vſurpatis Magni Ducis titulis. Vtrouis modo res euenerit, id omni dubio procul eſt: niſi Caſimirus properâſſet, plus damni, & Regem, & fœdera fuiſſe paſſura; ſi alterius factionis Princeps, imperium armis inuaſiſſet. Expectabant Breſtiæ Caſimirum frequentiſſimi primores, ac præſertim qui à Magnis Lituaniæ Ducibus genus ſuum ducebant, Algimundi, Dowmandi, Moniuidi, Sanguſzkones, Corybuti, Coryati, cæterique viri Principes. Ab ijs, inſolitis lætitiæ

A. 1440.

Breſtiam per legatos inuitatur.

Breſtiæ recepto ordinum iuramento Vilnâ deducitur.

A. 1440. titiæ, honoris, concordiæque argumentis acceptus Casimirus: recepto ab Ordinibus constantis erga se fidei ac obsequij, iuramento, ipsâ rei tam properè ac feliciter confectæ famâ, æmulos à susceptis conatibus deiecit. Boleslaus enim, veritus ne aliquid grauius in caput suum decerneretur, rursus Luceoriâ in Daciam abijt. Michaël autem accepto nuncio, Casimirum cum flore Senatûs ac Equestris Ordinis, Vilnam Brestiâ tendere, desertâ Trocensi arce, Mazouiam versùs cum quingentis equitibus se contulit. Verùm fortuitò planè accidit, vt in viâ haud procul oppido Rudniki, inter syluas, in Casimirum euntem incideret. Ancipiti perculsus euentu, ne tentatâ fugâ deteriorem suam causam redderet, equo desilit, atque Casimiri pedibus aduolutus, eum Lituaniæ Magnum Ducem salutat, neúe aut parentis cæsi manes inultos sineret; aut se qui totus in eius potestate esset, parricidis proderet, supplex postulat. Acceptum auditumque eum perquam benignè Casimirus, optimâ spe plenum, liberum abire permisit: ipse Vilnam contendit; vrbemque, ex surgente publicæ salutis spe, & eius conspectum auidiùs concurrente, magnâ frequentiâ est inuectus.

In viâ Michaëli casu occurrenti ignoscit.

Hîc rursus Polonis Lituanisque concertandum fuit: negantibus constanter illis, posse Casimirum Magnum Lituaniæ Ducem, saluis fœderum religionibus, inaugurari, quem Ladislaus Rex, solo Gubernatoris titulo, sui loco, Lituaniæ præfici permisisset. Desperato Polonorum consensu, dissimulant negotium Lituani, atque consultò

Polonis inuitis Magnus Dux Lituaniæ Vilnæ inauguratur.

consultò remissâ omni contentione speciem mutatæ sententiæ faciunt. Cessantibus æmulis, suâ sponte ardor Polonorum deferbuit, vt inde negligentiùs longè, in Senatûs Lituani, ac Principis actiones, intendere cœperint. Nolebant Lituani contradicentibus publicè Polonis sua agere, veriti ne quid contra Principis ac Reipublicæ dignitatem contingeret: quare negligentiâ potiùs eorum in rem suam vtuntur, atque Polonis omnia alia sperantibus Casimirum ab Ordinibus ad templum D. Stanislai deductum, à Mareschalco Magnum Lituaniæ Ducem renunciari, ab Antistite Vilnensi, solitis ritibus inaugurari curauerunt. Tum primùm negotium iam peractum esse, Poloni resciuerunt, cùm in publicum festiuitatis argumenta dari, audiuerunt. Circumuentos se itaque queri: fœdera, iurisiurandi religiones, Regis Ladislai Maiestatem, omniaque sacra, violata esse, protestari. Lituani ab aduerso, omnia fida, secura, salua, integra promittunt. Intelligerent porrò Poloni quid virium necessitati in leges ac fœdera humana esset. Samogitiamnè, pro Michaële armatam, gubernatori Lituaniæ obsequentem futuram fuisse crederent, quæ etiam inaugurato Principi, obsequium denegaret? An ab Albâ Russia fidem expectarent, quæ hactenus viribus suis, semper rebellium machinationes, contra legitimos Principes fouisset? Nassutamne Georgium, qui occupatâ Podlachiâ, pertractisque in Michaëlis nomen equitum procerumque plurimis, propediem victricia arma Lituaniæ illaturus esset, contemnerent? Quid

A. 1440.

Polonis querentibus satisfit.

A. 1440. Quid, si ipse Michaël circumspectis, quæ superessent, quasúe speraret, viribus, animos ac arma rursus sumat? putarentne, eos ipsos qui nunc latus Casimiri inaugurati Ducis frequentes stiparent, vitæ ac fortunarum dispendia, pro Gubernatore subituros? Eo omnino statu Lituaniam deprehensam fuisse, in quo non Gubernatore, Vicariáque Regi potestate, sed proprij Principis præsentiâ indigebat. Non mirarentur, Lituanis, quos è propinquo pericula vrgebant, diuersam fuisse sententiam, ab eâ, quæ Polonis ex securo, consilia promentibus, probabatur. Sed neque Iagelonis memoriam, tam citò obliterari debere, vt filio eius, precarium ac nonnisi vicario iure imperium, in Lituaniam demandaretur. Si fortè aliquantùm necessitate ipsâ extra orbitam deuiatum sit, facilè Casimirum Ladislao fratri satisfacturum, neque permissurum, vt moderna acta, antiquis fœderibus fraudi sint. Poloni tamen constanter in sententiâ perstabant, omniq́ue studio prohibebant, quidquid à Casimiro fieri posset, ad firmandum eius Principatum: ne id quidem passi, vt Lituano idiomati, ad populariumanimos deuinciendos pernecessario, insuesceret. Verendum proinde erat, ne cum tempore crescens contentio detrimenti aliquid adferret. Quare communicatis cum Senatu Lituaniæ consilijs, Casimirus Polonos proceres amplissimis donis ac promissis honoratos, in Poloniam relegauit.

Polonos proceres à se relegat.

Comitia indicit.

Ad componendum deinde Reipublicæ statum conuerso studio, comitia Vilnam maiore frequentiâ peragenda

genda indixit. Intereà aulæ suæ Magistro, Ioanni Gastoldo negotium commisit, vt Podlachiam ab hoste purget. Gastoldus Rempublicam egregiè gessit: non solùm Nassutam, nullibi opponere armatos audentem, eiusque præsidia, sed etiam Duces Mazouiæ exegit. Pacatâ eâ orâ, plus quietis fuit ad comitia peragenda: multos tamen solicitos habebat, ne quæstione in Sigismundi occisores institutâ, turbis daretur occasio. Præsentes Senatui, Dougerdum & Lelussam, odium facti maximè premebat. Dougerdus quidem opibus atque clientelis præpotens, postquam solâ negatione innocentiam Ordinibus probâsset, nemine ampliùs, crimen obiectum probare audente, vt ab eo alieniorem se ostenderet Lelussam acriter insectatus est, quòd in arce sui Magistratûs, Principem trucidari permisisset. Nihil tamen grauius in Lelussam decretum, præterquam quòd Senatu sit motus, Trocensi Palatinatu in Gastoldum translato. Ioannes Dux Cartoriysci absens damnatus, possessionibus exuitur: verùm in eum non tam vindicandi Sigismundi studium Senatum ac Principem accenderat; quàm ira, quòd gazam eius direptam, fisco inferre contumaciùs recusaret. Tanta moderatio sententiæ, multùm nouo Principi fauoris apud vniuersos collegit: cùm summi æquè ac infimi, timere tantùm Principem hactenus assueti, Casimirum mirari, amareque virtutis eius æstimatione cogerentur. Absolutis comitijs pacandæ Russiæ Gastoldum præfecit. Abiturus nuper Gastoldus in Lituaniam, Andream Sakowicz

A. 1440. Podlachiã recuperat.

Quæstionẽ in parricidas instituit.

Gastoldũ ad domãdam Smolensciam mittit.

A.1440. cum poteſtate Smolenſci reliquerat. Populus intereà ad nuncium cæſi Sigiſmundi grauioris gubernationis impatiens, tumultu magis quàm conſilio, nullo ferè duce arma arripuerat, arcemque validâ oppugnatione vrgebat. Primum impetum facilè Sakowicz reiecit, cùm equites haſtatos, apertis repentè portis, in obuios curſu eduxiſſet. Vlteriorem tamen fortunam expectare non auſus, maturè, ſe ac ſuos, in tutum recepit. Res enim cum multitudine erat, quæ quòd damnum non facilè ſentiret, fore, vt pertinaciùs obſidioni inſtaret, putabatur. Poſt abitum Andreæ, plebs arce potita, Petriconem Mareſchalcum, in Boryſthenem præcipitat, Andream Dimitrowicz Dohorobuzij Ducem, Smolenſciæ gubernandæ præficit: mox eius viribus diffiſa, rebellionis pœnas metuere; &, quem Principi vindictam ſumpturo opponeret, circumſpectare cœpit. Audierant enim, nobilitatem Andreæ imperio detrectato, celerrimis nuncijs à Caſimiro exercitum poſtulâſſe. Pleriſque placuit Georgius Linguienius nuper à Sigiſmundo patrimonio exutus: qui ex concepto in Sigiſmundum odio, in quemuis Lituaniæ Principem iratior, vindicandi eam ſortem libens acceptauit. Aſſumit Ducis Smolenſciæ titulos; obſequium erga Caſimirum, cuius beneficio libertati reſtitutus fuerat, excutit; in nobiles rebus ſuis non fauentes graſſatur ferro, cæſorum poſſeſſiones inter ſuos diſtribuit. Ad eum ſubigendum Gaſtoldus miſſus, cùm viginti dierum oppugnatione nihil profeciſſet, exuſtâ ciuitate, lateque regionem popula-

tus,

tus, toto bello priusquam hyems ingrueret, decessit. A. 1440.
Molestè habebat irrita expeditio Casimirum. Non assuetus ad aduersos casus iuueni animus, immotâ fronte velut æquatâ lance fortunæ vices ferre, necdum didicerat. Impatiens moræ, nequicquam armorum ducibus iniquam gerendo bello anni tempestatem causantibus, ipse Smolenscum mouit. Atque, vt sæpè fortunatiùs bella geruntur ductu, quàm auspicijs, Principum, quòd præsentium Maiestas pondus rebus addat: non diuturno neque arduo labore arcem in potestatem suam redegit. Punitis moderatè rebellibus, Prouinciam Andreæ Sakowicz administrandam reliquit. Dux rebellium Linguienius fugâ elapsus, amicorum suasu clementiæ victoris spontè se stitit: nec veniam modò rebellionis accepit, sed etiam præmium pœnitentiæ; rescissis Sigismundi actis, ad Miscislauiensem Ducatum restitutus. Eodem tempore inter medias bellorum tempestates, pax religionis, diuturno Florentinorum Patrum labore, postliminio reducta, per Lituaniam quoque Isidoro Kiiouiensi Antistite S. R. E. Cardinali, allaborante, magna incrementa sumpsit.

Ipse cōtra Smolenscenses mouet, & arcem recuperat.

Florētina Synodus.

Extremo anno per hyemem, aliquid pacis fuit: sed, vt erat Princeps rerum agendarum non negligens, solicitæ; circa apparatum belli, sequente anno Samogitis inferendi. Eiectis, aut exauctoratis Magistratibus, quos Kieyzgaylo ad comitia abiturus reliquerat, lectoque sibi Duce Doumando, pertinaciter Michaëlis partes, è publico gentis decreto Samogitæ tuebantur. Primo

Samogitiā ad obsequium reuocat.

A.1441. mo ergo vere ad Niewiazæ ripas exercitum conuenire iubet Casimirus: neque ipse multùm moratus, cum prætorijs legionibus subsequitur, armis contumaces spiritus ad obsequium compulsurus. Iam in procinctu erant copiæ, vt Niewiazam transirent, nisi Gastoldus prouido consilio intercessisset, seu suâ sponte, seu à primoribus Samogitarum præmonitus. E Republica hactenus, aiebat, Casimirum egisse, quòd magno motu bellum in Samogitiam paratum, non minore celeritate finibus admouisset. Nullo enim ferè commodo, verborum contentiones cum armatis rebellibus institui, quamdiu ab aduerso arma, viresque, contumacibus cogendis pares, non videntur. At verò vt ostentati hactenus belli consilium, sibi impensè probari; ita eiusdem statim inferendi, auctorem esse non posse. Quid enim ex eo bello, aut emolumenti ad publicum, aut accessionis ad famam, speraret Princeps? in quo proprijs ditionibus euastatis, vincere nullius esset gloriæ, vinci extremæ ignominiæ. Desperatis omnibus alijs remedijs, non voluntate sed necessitate, ferrum in subditos stringi debere. Dissimularet itaque tantisper illatam Kieyzgayloni iniuriam, neque obtruderet inuitis eum Prouinciæ Præsidem, quem Samogitæ, licet omnino immerentem, odissent. Offerret potiùs clementiam, priusquàm ex eius desperatione, omnia contemnere incipiant. Si præficeretur Prouinciæ homo, quem illi non illibenter admittere possent, cuique Daumondus non inuitus cederet, posse beneficio debellari. Mutatis itaque

que consilijs, tentare priùs placuit, an Samogitæ Kontoutum vice Daumondi suscepturi essent Præfectum: virum & inter ipsos magni nominis, & Daumondi cognatum. Successit res ex voto: Kontoutum enim facilè admisêre, vti suum popularem: cuius deinde dexteritate Casimiro conciliati, non multo labore Michaëlem deseruerunt: cùm nemo suo periculo, collabentes exulis vires, stabilire vellet. *A.1441.*

Posteaquàm de integro turbæ per Lituaniam resederunt, amplissimâ ad Ladislaum fratrem legatione missâ, suum, ac Procerum Lituaniæ factum excusare conatus est Casimirus. Extrema quippe Lituaniæ pericula, Ladislao Hungaricis negotijs implicato, nullum aliud remedium admittebant, quàm festinatam Ducis electionem. Æquum proinde postulabat, vt quæ periculi metus extorsisset, Rex rata suo consensu haberet. Ingratis nimiùm auribus accepta est à Ladislao Rege hæc legatio. Nec tam suâ, quàm aliorum, iniuriâ offensum se ferebat. Nam vt dissimularet, ex auerso Lituaniæ Principatu dolorem: officij sui rationes non permittere dicebat, vt Michaëlis vniuerso patrimonio exuti, ac Mazouiæ Ducum Podlachiâ expulsorum, causam negligeret. Nullo itaque legatis responso dato, integrum negotium ad proxima comitia reiectum est. Quamquam verò vtrique genti is conuentus fuerit indictus, Lituanorum tamen legati, ne se longâ concertatione implicarent, non nisi paulò ante finem, ac planè desperato iam inter Polonos suo aduentu, comparuerunt. Con-

Ladislaū fratrem recōciliare conatur.

A. 1441. ſtitutum nimirùm erat, controuerſiam tamdiu varijs artibus trahere, donec Regis aliorumque aduerſi impetus, tempore ipſo conſeneſcerent. Infectis itaque rebus ex hoc conuentu diſceſſum eſt: negantibus diſertè legatis, aut ſe quidquam mandatorum in Michaëlis negotio à Principe accepiſſe; aut Principem poſſe aliquid Ducibus Mazouiæ concedere ex Podlachia, quòd ea Prouincia planè iuris Lituani eſſet. Ex hiſce diſſidijs inter germanos Principes, fœderataſque nationes coortis, faciles ſibi veteres hoſtes de Lituaniâ, Polonicis auxilijs deſtitutâ, triumphos ominabantur, neque bello materiam aut occaſionem quæſiuêre, ſatis ad vtrumque rati ſufficere, ſpem vincendi.

A. 1442. *A Moſchorũ Duce bello laceſſitus.* Primus Dux Moſchouiæ, adſcito belli ſocio Caſanenſium Regulo infeſtis ſignis inuadit, initio belli ab effuſa Viazmenſium agrorum vaſtatione ſumpto. Caſimirus non ignarus, ad ſuæ fortunæ apud reliquos hoſtes venerationem non parùm intereſſe, quo ſucceſſu ea expeditio Moſcho cederet: properè Smolenſcum profectus eſt. Dum reliquæ cohortes tardiùs ſubſequuntur, Staniſlaum Kiſzka exercitûs Ducem præmittit, vt copijs quæ ad manum erant, hoſtiles excurſiones ſiſtat. Kiſzka citato agmine progreſſus, cùm nullibi hoſtem intra Lituaniæ fines nactus eſſet, quòd is cum ingenti pecorum hominumque prædâ iam abiuiſſet, per Moſchouiæ ditiones populationem effudit. Latiſſimè quaquauerſum per nouem dies cædibus, ac incendijs, graſſatus, nihil circa Mozaiſcum, Kalugam, Kozielſcum, *Per Ducẽ ſuum Kiſzka Moſchouiam vaſtat.*

Vereios,

Vereios, bello intactum reliquit. Moſchus maiore, quàm intulerat, acceptâ clade, quindecim millia armatorum rapit, paucos vaſtatores, velut feras caſſibus, multitudine ipsâ cincturus. Senſit periculum maturè Kiſzka, quòd & exiguum militem haberet, & prædà grauem: celerrimo itaque nuncio Caſimirum, quo ſtatu res eſſet, docet, & ſuppetias maturari petit: intereà in occaſionem rei gerendæ intentus Smolenſcum versùs copias ſenſim remouet. Aſſequitur hoſtis extremum agmen, prælio tamen abſtinet, vt circumductis tacito agmine ab vtroque latere, ſuis, vndique ſimul impetum faciat. Kiſzka pugnandi neceſſitate deprehenſus præcipuos tribunorum, Nicolaum & Ioannem Radiuilos, Zenouiciumque Deſpotam, cum promptiſſimis equitum, præire iubet; ac inſidijs apta loca à partibus occupare: ipſe robuſtiſſimis à tergo locatis, impedimentis præmiſſis, ſenſim inſtructâ confertim acie progreditur. Vbi hoſtis à tergo in conſpectum venit, citatiùs ſigna promoueri Kiſzka mandat, ſpeciemque tumultûs edere. Fugere eum credidêre Moſchi: media itaque eorum acies auidiùs inſtare, & loca ab armatis inſeſſa incuriosè tranſire. Pertracto hoſte in inſidias, datoque repentè prælij ſigno, verſis in hoſtem armis magno impetu è medio, ac lateribus procurritur. Moſchi rati Caſimirum cum vniuerſis copijs in auxilium aduolâſſe, vix inchoato prælio in fugam effunduntur: paruâ cæde pugnatum eſt; at fuga plurimo ſanguine ſtetit. Duabus enim leucis fugientes victor miles inſecutus, magnam

A. 1442.

exercitum Moſchorũ profligat.

A. 1442. gnam ſtragem edidit. Sub idem tempus cum Scythis infeliciter Moſchi pugnauêre. Duplici itaque ſimul clade fractus Dux Moſcuæ, Caſimiri ſe fortunæ ſubmiſit, honoris plenâ legatione inſtitutâ, quâ pacem fœderumque inſtaurationem poſtulabat.

Michaëlē ab exilio reuocatū, poſſeſſionibus cumulat. Domi foriſque firmatâ pace, cùm nihil supereſſe exiſtimaretur, quod meritò Michaëlis factionem metuendam facere poſſet, Michaëlem in Mazouia reuocatum, ampliſſimis poſſeſſionibus Caſimirus cumulauit. Ne tamen congeſtâ in vnum potentiâ robuſtiorem nouandis rebus redderet: deſtinatò eam in partes, longioribus ſpatijs diſtantes, diſtraxit. In Seueria enim Branſcum, & Starodubum, in Podlachia Bielſcum & Surazium. In Samogitia Kieydanos, in Nouogrodenſi prouincia Kleckum attribuit. Poſteaquàm verò non contemnendæ fortunæ opes Michaël deguſtare cœpit, iterum ad ingenium redijt. Nihil ſatis eſt, omnia appetenti. Dolere Michaël, quòd quæ auitæ ſuæ hæreditatis eſſent, ea alij poſſiderent: quæ à Caſimiro acceperat, vt aliena æſtimare, atque adeò vt exigua contemnere: ad Lituaniæ totius dominium aſpirare: in Principem ipſum, quo viuo priuatus cogeretur viuere, cædis conſilia tacitis cogitationibus voluere. Conceptum animo virus, ſumptis cum tempore incrementis, non diu intra ſepta pectoris, potuit contineri: per ſpeciem amicitiæ coram Wolozyni Ducibus ſecreto colloquio

Michaël in vitam Caſimiri conſpirat, effuſum, ſceleris non arbitrum modò fidum, ſed & Miniſtrum promptum reperit. Conſpiratur in vitam Caſimiri:

miri: Volozynij obſequium addicunt; Michael, militem ac præmia pollicetur. Patrando parricidio ſyluæ, Merecium inter ac Trocos interiectæ, deliguntur, in quibus ſecurè Caſimirus, corpus, animumq́ue, exercere venationibus ſolitus fuerat. Adſciſcuntur deſignati ſceleris ſocij, tum cæteri nobiles, ad quiduis audendum, patrandumq́ue prompti, tum præcipuè Suchtæ. Confectum procul dubio, magno ſilentio negotium fuiſſet, niſi agreſtes ad veſtigandas per nemora feras, præire ſoliti, primùm veſtigia equorum deprehendiſſent, deinde armatos milites. Delato indicio ad Mareſchalcum curiæ Andream Gaſtoldum, ac deinde ad Parentem eius Trocenſem Palatinum, nemo erat qui non ſuſpicaretur, inſidiarum aliquid ſubeſſe. Expeditiſſimi quique equites deliguntur, qui ab agreſtibus per notos calles deducti, inſidiatorum quempiam intercipiant. Cognitâ ex captis proditione, cum vniuerſâ propè aulâ prætorius equitatus inſequitur perduelles. Capti ſunt inter Kreuum & Oſmianam plerique, ac perduellionis damnati, pœnas capitis Trocis luerunt. Volozynij Duces proſcripti; fortunis eorum fiſco addictis. Michaël ipſe Klecko elapſus in Moſchouiam euaſit, atque infelicem proditionem in apertum bellum, pari fortunâ, commutauit. Lecto per Seueriam milite tumultuario, cum Moſchouiticis auxilijs, Kiiouiam vrbem ac Prouinciam, Ruſſorum factione, ſibi ſubiecit. At non diuturna ei horum ſucceſſuum voluptas fuit. Ioannes enim Gaſtoldus aduersùs eum cum exercitu miſſus, & Kiiouiâ

A. 1442.

Proditis inſidiis in Moſchouiā fugit.

Kiiouiam occupat atque inde expulſus.

A.1442. uiâ & Seueriâ totâ, Bransco etiam ac Starodubo receptis, eiecit. Cùm ditionibus spe omni melioris fortunæ amissâ Michaël, in Moschouiam regressus, priuatam deinceps per quinque annos vitam in asceterio egit. Tanta porrò erat Casimiri in perduelles moderatio, vt plerique animum eius ab omni cupiditate alienum demirati, vix speranda ausi fuerint postulare, ac obtinuerint. Nam & Suidrigeloni patruo Luceoriam, & Alexandro consobrino Kiiouiam, publico edicto restituit.

In Moschouia priuatus viuit.

Suidrigeloni Luceoria, Olelkoni Kiiouia restituitur

Pax deinde alta per Lituaniam subsecuta est. Poloni enim à nupera concertatione abstinebant, animis intentis in euentum belli Turcici: quòd, cùm inconsultiùs contra fœdera eo anno in Hungaria Rex Ladislaus mouisset, prælio ad Varnam, victus est, famaque percrebuerat, etiam ipsum cum alijs occubuisse in pugna. Diu de eius morte dubitatum est publicè, priuatimque, quòd nihil omnino de eâ certis nuncijs haberetur. Casimirus domestico luctu ex fratris morte contentus, ne priorem occupatæ Lituaniæ causam oneraret, nihil pro regno Poloniæ ambiendo tentauit: gaudebat non credi mortuum, quem ipse fraternis votis incolumem optabat. Itaque velut viuo Rege, res Polonas neglexit; in Lituana Republica conseruanda augendaque occupatus. Quos superioribus bellis (quæ præcipua Principum, pacis tempore cura debet esse) fidos, fortesque expertus fuerat, vt eis similes in futuros casus excitaret, varijs magistratibus ornauit. Daugirdo mortuo Ioannem Gastoldum, Vilnensem Palatinum suffecit. Maiornè

A.1443. Casimirus Ladislai Regis mortem dissimulat

iornè hostibus feliciter domitis, an subditis moderatè sapienterque regendis fuerit, non facilè discernas. Certè Lituania ex Superiorum Principum ambitione, tot ciuilibus motibus, velut decumanis fluctibus agitata, nonnisi sub hoc Principe conquieuit. Neque tantùm subiectos populos virtutis æstimatione in quiete continuit: sed etiam finitimos ad sui venerationem perpulit. Scythæ Tauricani, mortuo absque hærede Principi, neminem inscio Casimiro surrogare ausi, honorificâ legatione postulârunt, vt Atzgereium illis præficeret. Exulabat is in Lituania à Casimiro amplâ Præfecturâ Lidensi ornatus: eum itaque Casimirus præsentibus legatis solemni pompâ Scythiæ Imperatorem Vilnæ renunciauit. Deductus à Georgio Radiuilo Mareschalco, in Tauricam Chersonessum Atzgereius, magnâ concordiæ atque obsequij significatione, ab illis populis susceptus est: cuius posteri in hunc diem in Giereiorum familia imperium Scythicum conseruant. Samogitia quoque hactenus Kieystutianæ domui nimiùm addicta, ita in obsequium Casimiri transiuerat, vt quæuis imperata, pacatissimè acceptaret. Itaque cum Kontoutum, post triennalem Samogitiæ præfecturam Magistratu mouisset, atque ei Michaëlem Kieyzgailo sufficeret, præter omnium expectationem, nihil à quoquam turbatum est.

A. 1443. Rēpublicā sapienter administrat.

Scythis Crimæis Imperatorem Atzgereium creat.

Samogitiā sibi conciliat.

A. 1444.

Poloni intereà orbæ Reipublicæ pertæsi, seu quòd certos nuncios de morte Ladislai accepissent, seu potiùs quòd ipso longioris temporis argumento, (iam e-

A. 1445. Ad Regnū Poloniæ vocatur.

A.1445. nim alter à Varnensi clade annus decurrebat) vixisse eum sibi persuaderent: Siradiam Ordines Regis creandi causâ, conuocârunt. Sbigneo Cracouiensi Antistite auctore, singulari concordiâ omnium, Casimiro regnum delatum est: missi legati, qui & Principem ad capessendum fraternum locum, & Lituaniæ Ordines, ad consulendum communi Reipublicæ Petricouiam inuitarent. Casimirus neque apertè legationem repulit, ne viam sibi ad id fastigij præcluderet; neque cupidè admisit, vt præferebat fratris, si fortè viueret, reuerentiâ: reuerà quòd necdum Lituanorum consilia perspexisset, an scilicet se absente, de alio Principe non essent cogitaturi. Itaque ambiguo sermone gratijs actis, nihil certi respondit legatis, nisi quòd in Petricouiensibus comitijs, planiùs se animi sui sensum, vniuersæ Reipublicæ explicaturum pollicitus fuerit. Verùm neque ibi, per Radiuilum & Kieyzgailonem, legatos quidquam certi deprompsit. Plena tergiuersationis oratio eorum fuit. Principem suum Casimirum, ex fraterno casu, in eo, qui tanto Regi esset debitus, luctu, cùm vniuersâ aulâ constitutum, non posse absque nota in publicum prodire, nedum ambiendi fraterni regni causâ ad comitia venire. Tam festinatas de nouo Rege consultationes, quasi pœniteret, Ladislaũ Regem aliquando habuisse; non posse ei omnino probari. Consultiùs videri, si Respublica tâdiu sub Interrege relinqueretur, quoad mors Ladislai certioribus argumentis comprobaretur. Inopinata accidit Polonis Casimiri tergiuersatio, neque poterat

Tergiuersatur in eo admittendo.

terat absque publicæ rei discrimine tolerari. Iteratò ergo grauiorem legationem, instituunt; quâ tres Antistites, quatuor Palatini, cum Supremo Regni Cancellario, fungebantur: studia ordinum repetunt: postulant ne vota sibi addictorum dubijs responsis refrigescere permittat: pericula quibus Respublica perurgeretur exagerant: superos denique testantur, ne diuturniores moras nectendo, se eò adigat, vt necessitate ipsâ pressi, extra domum Iageloniam, Regem liberis suffragijs quærant. Aderat quoque propè continua lateri Casimiri Regina mater, quæ filium ad acceptandum regnum solicitè vrgebat. Ab aduerso Proceres Lituani, qui hactenus & imperandi rationem in Casimiro perquàm gratam omnibus, & præsentiam Lituaniæ commodis pernecessariam experti essent, omni studio dehortabantur. Maximè verò deterrebat vetus, Polonos inter ac Lituanos de Podoliæ possessione controuersia: quam cùm à Rege decerni necessum esset, alterutrius partis odia incurrere Casimirus metuebat. Nihil itaque de sententia priore coram legatis immutauit: nisi quod spem è voto conficiendæ rei ostendisset, vbi priùs Ordinum Lituaniæ sententiam in publicis comitijs audiuisset.

A. 1445. Poloni iteratâ legatione vrgent.

Lituani dissuadēt.

Casimirus perinde tergiuersatur.

Celebratis in Ianuario Vilnæ comitijs, sex legatos, viros principes, Petricouiam misit. Legationis summa erat. Casimirum Lituaniæ Principatu contentum, Regnum Poloniæ non ambire: negligere tamen illud non posse, ad quod post parentem ac fratrem, ipso sanguinis iure vocaretur. Viderent igitur Poloni, ne temera-

A. 1446.

A.1446. riâ Regis electione pacatam Rempublicam nouis turbis inuoluerent. In eorum quidem poteſtate eſſe, Caſimiri ac Ladiſlai de cuius morte nondum conſtaret, iura per nouam electionem infringere: at ne iniuria inulta abiret, Caſimiro cordi fore. Audax legatio, atque liberæ Reipublicæ dignitati aduerſa, ita Polonos offendit, vt mox plerique decreuerint præterito Caſimiro alium Regem renunciare. Nulla ſiquidem damna teneriùs à libero ſentiuntur, quàm libertatis. Nihilominùs, qui diuturnioribus præteritorum bellorum malis exerciti, pacatiora optabant, ſentiebantque, ferociam cæterorum temperârunt metu, ne turbatis Lituanis fœderibus, Crucigeri ad arma excirentur. Nouâ itaque legatione Caſimiri animum explorant: à quo cùm nihil præter vetus reſponſum attuliſſent, magno omnium conſenſu comitia Petricouiam, creando Regi, interrex indixit. In ius, Sbigneus cum cæteris, pro Friderico Brandeburgico Marchione, Iageloniæ domûs affine, plurimùm annitebatur: at præualuerunt ſuffragijs, qui auctore Plocenſi Antiſtite pro Boleſlao Duce Mazouiæ agebant. Tum primùm damnare priora conſilia Caſimirus: dolere periculo amittendi Regni; quod ſpernere ſe poſſe, aut ipſe credebat, aut videri alijs volebat; tamdiu vtique, quamdiu ſpernendi momentum non vrgebat: vereri ne Boleſlaus rerum in Polonia potitus Michaëli ſuo affini vires miniſtret, quibus ille iterum in ſpem vindicandæ ſibi Lituaniæ aſſurgat: præſertim quòd aliquorum Ruſſorum Procerum fauor, dubius

Poloni offenſi de alio Rege agunt.

Caſimirus damnat ſuam tergiuerſationem.

in Casimirum esset. Celerrimo ergò nuncio matrem secretò monet: iam aliam animo suo sententiam subiuisse: regnum quidem toties repulsum non posse se apertè ambire; admissurum tamen procul dubio, si Poloni suâ sponte legatos ad se mitterent. Regina hoc nuncio accepto, non magno labore eorum, quos pridem beneficijs obnoxios suis rebus reddiderat, per Minorem Poloniam, nondum planè restinctum Iageloniæ domûs desiderium renouat. Minorem sequitur Maior Polonia. Conuentibus nobilitatis, Belziciæ, Gorcini, atque alibi celebratis, Parcouiam comitia ad finem Septembris indicuntur. Casimirus ad ea inuitatus, negauit sibi integrum esse Parezouiam proficisci: promisit nihilominus se legatos Polonorum Brestiæ præstolaturum. Venêre Brestiam sex proceres Poloni, qui cùm mandata Reipublicæ exposuissent, Senatu Lituano acerrimè Podoliam ac Luceoriam repetente, Princeps ipse disertè professus est, nisi Poloni Podoliam, atque Volyniæ arces, Luceoriam, Olescum, Lopatinum, Horodlum, Ratnum, Lituaniæ se sponderent restituturos, regnum à se acceptari non posse. Iam proceres desperato legationis successu reditum parabant, cùm quisquam illorum Casimirum absque arbitris nactus, tacitè monet. Negotium sub morâ propè perire: obstaculum verò, in quo hæsisset, à nemine faciliùs remoueri posse, quàm ab ipso Casimiro, si regnum nullà adiectâ conditione acceptaret. Quid enim deinceps inaugurato Regi arduum futurum metueret? Priuatorum sententias

A.1446. Regina rursùs Polonos Casimiro cōciliat.

A.1446. tias in Principis plerumque manu esse, si tractare humanas voluntates nôrit: in eiusdem arbitrio fore; Lituanosné, an Polonos Podoliæ, ac reliquis locis præfectos imponeret. Eâ oratione, de pertinacia dimotus Casimirus, Regnum acceptauit, Cracouiamque decurrente sequentis anni Iunio venturum se pollicitus est.

Regnum Poloniæ acceptat.

A.1447. VII. Kal. Iul. splendido comitatu, cum Suidrigelone Luceoriensi, & Olelkone Kiiouiensi Ducibus, cæterisque Lituaniæ proceribus Cracouiam ingressus, solitis cæremonijs Rex Poloniæ inauguratus est. Cracouiâ Lituaniam repetere destinauerat: at vrgente Senatu ad componendas Maioris Poloniæ res, Calissium priùs perrexit. Accurrit eò ex Mazouia supplex Michaël, genibusque regijs aduolutus obsecrabat, vt proscriptionis sententiâ antiquatâ, patriæ, paternisque fortunis restitueretur. Duriorem se Rex supplici præbuit. Ingenium enim ad ignoscendum naturâ ac exercitatione perfacilè, vicerat ex superioris periculi memoriâ, metus futuri. Nihil siquidem Michaëli ad Casimirum Principatû ac vitâ exuendum defuerat, præter successum sceleris: quare nolebat suo periculo iterùm probare, an vel Michaël suum animum correxisset, vel fortuna constantiam non mutâsset. Regi quidem intra beneficij negationem, vniuersa vindicta constiterat: at vt plena timoris, sceleratis sunt consilia, Michaël grauiorem in Regе iram suspicatus, maturè in Valachiam ex regijs ditionibus profugit. Fuga, magis suspectum reddidit. Itaque dedi eum sibi Rex postulauit. Valachus neque è

Craconiæ coronatur.

Michaëlē supplicantē repellit.

dignitate

dignitate Regis, neque ex fide ſuâ ſe facturum reſpondit, ſi eum, quem hoſpitio acceperat, proderet. Mandaturum nihilominus, vt quàm primùm Valachiâ excederet. Michaël à Valacho deſertus, ad Tauricanos Scythas profugit, permouitque eos, vt Podoliam infeſti inuaderent. Per idem tempus Podoliæ Palatinus Buczacki, aliquot arces in Volyniâ Lituanis detraxerat. Legatus verò Scythicus, ad Regem admiſſus, negotia ſui Principis, excluſis Polonis, tractauerat. Hinc Rex in Polonorum æquè, ac Lituanorum ſuſpiciones, incurrit: cùm & Poloni Scytharum incurſiones in Podoliam, clandeſtinis cum Rege conſilijs, & Buczacij factum apertæ Regis conniuentiæ Lituani, attribuerent. Primi eum ſunt adorti Poloni moleſtâ ſolicitatione, vt Ordines comitiorum causâ Petricouiam conuocet. In ijs comitijs, id maximè actum, ne apud Regem Buczacio eſſet periculo, quod Chmielnicum, & Miedziboziam Lituanis ademiſſet: tum ne Rex, aut præfecturas Podoliæ Lituanis attribueret, aut è Polonia in Lituaniam iturus, ſine Polonis Senatoribus in viam ſe daret. Ad hæc Rex reſpondit. Se neminem Polonorum à comitatu ſuo excludere: in negotio verò quod Lituaniam concerneret, nihil ſtatuere poſſe, inſcio, inconſultoque Lituano Senatu: vbi eius ſententiam, in publicis gentis comitijs, audiſſet, curaturum, vt Poloni ſimul & Lituani Lublinum euocati, mutuis conſilijs aliquid certi de totâ controuerſiâ decernant.

A. 1447.

Suſpiciones Polonorum & Lituanorũ incurrit.

In Lituaniam itaque comitiorum causâ properauit, *A. 1448.*

A. 1448. quibus Vilnæ habitis, negotium omne Lublinum reiectum est. Cùm is conuentus ad finem Maij futurus, expectatur, Michaël cum Scythis Seueriam inuadit, profligatisque, quæ tumultuariè lectæ occurrerant copijs, Branscum, Nowogrodecum, Putiuolum, Sierpieiscum, Starodubum, in potestatem suam redigit. Quare Casimirus priusquam in Poloniam comitiorum causâ abiret, properè in Seueriam mouit: exoriens bellum in ipsis initijs, oppressit: arces ereptas recuperauit: Prouinciâ vniuersâ Michaëlem eiecit. Vbique rebus desperatis, in Moschouiam Michaël euasit: vbi, ad quodpiam asceterium admissus, cùm priuatam aliquandiu vitam egisset, ab ipso Collegij eius præside, in pane, quo sacrificium à Christianis peragitur, veneno porrecto, extinctus est. Casimiro intereà à campestri expeditione, ad domesticas concertationes, quamquam vehementer inuito, redeundum fuit. Vrgebat dies comitijs Lublinensibus destinatus. Frequentes, vt nunquam aliàs, conuenerunt è Poloniâ, Lituaniâque equites, ac proceres. Summa obstinatæ contentionis, duobus præcipuè capitibus nitebatur. Postulabant Lituani imprimis tabulas fœderum (vulgò *Vnionis*) à Iagelone initorum de integro conscribi: quòd in eas paucorum aut negligentia, aut facilitate, irrepsissent, dignitati, commodisque Magni Ducatûs Lituaniæ noxia, penitùs expungi, atque adeò disertè caueri, ne ea populi vtriusque sub vno Principe coniunctio, diuturnior esset, quàm Iageloniæ domûs in Polonia regnum. Deinde Podoliam, quam

Michaël in Seueria profligat.

Michaëlis mors

Lituanorũ ac Polonorũ de Podolia concertationes.

quam Lituaniæ Duces è Scythica ſeruitute armis vindicâſſent, reſtitui. Reſpondebant Poloni. Quæ ſub Iagelone ac Vitoldo conſtituta, ac deinde ſub Sigiſmundo acta eſſent, ea vti optimè ordinata, intacta omnino relinqui debere. Non enim iam eſſe integrum, quomodouis ea immutare; quæ toties, & vtriuſque gentis capitum, & ipſorum Principum iureiurando, ceris, ac ſcripturis ſacroſanctè eſſent roborata. Podoliam, non à Latuania, cui nullum in eam ius competeret, auulſam Poloniæ regno acceſſiſſe: ſed à Caſimiro Magno Rege, tum armorum iure, tum hæreditatis nomine, occupatam, in Poloniæ Prouinciam redactam, in Regum Poloniæ poſſeſſione manſiſſe. Iagelonem verò, Regem renunciatum, vti alias Præfecturas viris de Republica meritis attribuere ſolitum fuiſſe, ita Podoliam quoque Vitoldo, Suidrigeloni, ac Sigiſmundo conceſſiſſe, beneficio cum vita eorum dumtaxat duraturo. Ab aduerſo vrgebant Lituani, longè ante Caſimiri Magni imperium Podoliam Scythis ſeruiuiſſe, ac magnâ parte Scythas incolas habuiſſe, cuius gentis præfecti, ius promiſcuè, Podolijs Scythiſque, dicebant. Olgerdum primò M. Litu. Ducem tranſgreſſum Kiiouiæ, ac Volyniæ fines, barbaros profligâſſe, atque ea regione eieciſſe: tum inter Coryati fratris filios Prouinciam partitum eſſe; qui Smotryciam, Becotam, ac Camenecum arces, cæteraque oppida excitârunt, magniſque ſumptibus permunierunt. Conſtantino Coriatouicio Duce Podoliæ, vitâ functo, Theodorum fratrem eius ab Olgerdo A.1448.

A.1448. ſubſtitutum eſſe: qui cùm obſequium erga Lituaniæ Ducem excutere conaretur, ab eodem profligatum, Podoliam verò in Prouinciæ formam redactam, impoſito ei Gubernatore, Gaſtoldo. Vellent igitur Poloni exactiùs ſuperioris ſæculi hiſtoriam rimari, procul dubio non leuibus argumentis deprehenſuri, eâ ipsâ tempeſtate, quâ Caſimirus Magnus à morte Boleſlai Mazouiæ Ducis, eam duntaxat Ruſſiæ portionem, quæ Leopolim inter, atque Haliciam interiacet, propinquitatis iure repetebat; reliquam Podoliam Lituanis paruiſſe; nempe Lubarto Leopolim, Gaſtoldo Camenecum, Narymundo Cremeneciam, alias arces ac latifundia Kieyſtuto: quare Caſimirum contentum ijs, quæ Boleſlaus poſſederat, Lituanæ ditionis agros bello intactos reliquiſſe. Ortâ verò deinceps cum Polonis de Ruſſiæ Dominio contentione, ſemper eam Lituanos armis retinuiſſe. Iagelonis regnum ambientis facilitate delictum eſſe, vt Podolia, â Lituania auulſa, Poloniæ adiungeretur. At vt priuatus illi error fuerat, nihil penſi habere, quid regni causâ polliceretur: ita ſuâ intereſſe, non permittere, vt Reſpublica ex illius fœderibus aliquid detrimenti capiat. Quamuis verò hæc ipſa, monumentis maximè Ruſſorum, quorum fidem aliena vtilitas ſuſpectam non faciebat, comprobarentur: vana tamen videbantur ijs, qui nihil concedere deſtinauerant. Cùm itaque, hi vt iniqua ſe negare, illi vt æqua poſtulare, exiſtimant: à ſententiarum ſtudiorumque diuerſitate, ad apertas inimicitias res inclinari cœpit.

cœpit. Rex etsi neutri parti auctoritate suâ pondus adijcere vellet, affectu tamen in Lituanos pronior, illud in Senatu tantùm dixit: non sibi probari tantam sententiarum pertinaciam, de qua quamdiu neutra pars remitteret, coalescere pax nequaquam posset: necesse itaque videri vt Poloni, nisi eos fœderum pœniteret, aliquam rationem inirent, quâ Lituanos in amicitia retinerent. Poloni collatis priuatim sententijs responderunt: non aliud præcidendæ liti præsentius remedium occurrere, quàm si deinceps Podolia, Polonis æquè ac Lituanis, communis fieret. Id verò aliter fieri optatiùs non posse, quàm, si vtrique populi sub vno Rege, eodemque Regni Poloniæ nomine, æquali iure viuerent: extinctis Magni Ducatûs, cæterorumque Lituaniæ Magistratuum titulis, qui vt speciem diuisæ Reipublicæ præferrent, ita discordiæ materiam semper essent præbituri. Oleum igni affusum istiusmodi responso. Queri, Superosque vindices inuocare Lituani: specioso *Vnionis* nomine hactenus illusum esse, iam tandem Prouinciarum detractione, id vnicum agi, vt extincto Lituano Russoque nomine, omnia Lituaniæ decora in Poloniam transferantur. Cùm ergo pertinaciùs Podoliæ restitutio vrgeretur, Polonis, non minùs obstinatè resistentibus, non infectis tantùm rebus, sed exacerbatis etiam in mutua odia animis, è comitiorum loco disceditur. Non multùm res aberat ab apertâ fœderum violatione: verebaturque Rex non ex vano; ne inconsulti aliquorum impetus in Lituania, temerè per eius absen- *A. 1448.*

A.1448. tiam correptis armis, viam pacatè terminandæ contentionis præcluderent. Vt itaque ſpe pacis arma contineret, indictis Nouogrodecum comitijs, ipſe quoque in Lituaniam venit.

A.1449. *Scythæ Podoliam vaſtant.* Dum Rex comitijs Lituanorum intendit, Scythæ eam Podoliæ partem, quam Poloni obtinebant, infeſtis ſignis inuadunt: flammis ac cædibus vniuerſam implent: intactis vicinis Braſlauienſium agris, quamquam prædæ ac vaſtitati apertis; quòd Iurga eius oræ Præfectus, miſſis maturè per legatos amplis muneribus, cladem omnem à Lituani iuris ditione redemiſſet. Hinc Polonis noua ſuſpicionum ſeges: Lituanos, Regemque criminari, vt vaſtatæ Podoliæ auctores: atque vt fortè Rex non probârit conſilium, haud dubiè tamen non inſcio illo, à Lituanis Scythas contra Podoljam concitatos eſſe. Hæc promiſcuis ſermonibus per Poloniam vulgata, magnam animorum mutationem erga Regem fecerant. Itaque cùm comitijs Petricouienſibus exeunte hoc anno intereſſet, vnâ omnes voce, ne dicam tumultu, apud eum Ordines inſtiterunt, vt iuraret Reipublicæ, nihil ſe à regno auulſurum, nihil de Podolia ac Volynia Lituanis conceſſurum: iura ac libertatem Ordinis equeſtris, acta Prædeceſſorum, prærogatiuas priuatis quibuſuis aut ciuitatibus conceſſas nouis tabulis confirmaret. Ingens aderat certamen. Regis ingenium feruentius, populari illa actione accenditur magis, quàm terretur: obfirmat conſtanter animum in propoſito: negat quidquam ſe horum, quæ

Poloni in Regem cõſurgunt.

rogarentur, facturum, priùs, quàm Poloni cum Litua- A.1449.
nis, de Podolia componerent. Quamquam verò non paucos regia constantia perculisset: non deerant tamen viri Principes, in Republica, qui detrectarent Casimirum legitimum Regem agnoscere, quamdiu ille maiorum more, vetera iura, suo iuramento non confirmâsset. Sumebat indies de Regia auctoritate disceptatio maiores vires. Silere inde iudicia ac magistratus: impunitatis verò spe succrescere publica scelera, quæ priuatos
toto eo anno miserè exercuerunt. Nihil in vijs, aut do- A.1450.
mi securum. Prædis ac cædibus omnia infamia. Euocauerat Rex nobilitatem Minoris Poloniæ Cracouiam, vt publicæ tranquillitati, de communi consilio, prospiceret. At cùm plerique auctore Ioanne Teczynski Palatino Cracouiensi, negarent quidquam iuris Casimiro esse ad ferendas leges, conuentus nullo operæ pretio præstito, solutus est. Rex, qui hactenus à tempore remedium malo sperauerat, vbi rem in deterius prolapsam aduertit, in Lituaniam festinauit, acturus cum proceribus, ne intempestiuâ de Podolia concertatione, perturbandæ Reipublicæ materiam ministrarent.

Paulò post Kalendas Ianuarij, magnâ frequentiâ A.1451.
Vilnam Ordines confluxêre. Plerique nihil omnino de veteri contentione in repetendâ à Polonis Podoliâ remittebant. Plurium tamen sententia pacis publicæ causâ stetit, tantisper ab ea actione abstinendum: ne verò id silentium eorum iuribus fraudi esset, Polonos ad commune consilium Brestiam ad VIII. Idus Maij inuitandos.

A.1451. uitandos. Soluto conuentu Rex vniuersam Lituaniam, atque Albam Russiam peragrauit, solicitè dispiciens, ne quid ad debitam arcium munitionem deesset. Poloni auditâ legatione, grauem permolestamque itineris longitudinem causati, Brestensem congressum declinârunt: at fortè magis, ne extra Poloniam minùs liberè eos dicere, necessum foret. Quamquam & domesticus terror, non permittebat eos longiùs domo abire. Scythis enim Rubram Russiam ingente exercitu, aggressis, ac in obuia quæque ferro ac igni grassantibus, cùm nemo sciret quantùm hostis progredi destinâsset, omnia metu per Poloniam plena erant. Rex ergo Cracouiam primùm, deinde Corcinum maturauit. In eo conuentu Cardinalis Sbigneus grauissimâ plenâque libertatis oratione Regem commonuit, quanto Reipublicæ damno fieret, quòd ferarum venationi per Lituaniam indulgendo, regni curam negligeret. Peractis itaque comitijs Rex in Russiam abiuit. Samboriæ agebat, cùm Regina mater monet Suidrigelonem morti, quàm vitæ propiorem esse: prouideret itaque ne si eâ occasione Luceoria à Lituanis occuparetur, tota inuidia in Regem recideret, & Polonorum animi grauiùs ab eo auerterentur. Ancipiti Rex deprehensus causâ, quò consilia flecteret non reperiebat. Inde enim regni retinendi cura, inde metus amittendi Principatûs, incertum sententiæ animum suspenderant, Lituanisné potiùs, an Polonis, Luceoriam suâ auctoritate addiceret? Iteratò ergo Partzouiam vtrisque comitia indixit, vt ipsi de Podolia ac

Rex Lituaniæ arces reuidet.

A Sbigneo Episcopo monetur.

Partzouiã comitia indicit.

ac Volynia controuersiam concluderent. A. 1451.

Lituani priusquam Parczouiam venirent, Brestiæ substitêre. Multùm siquidem ijs contentionibus, de præterita animorum coniunctione decesserat: atque adeo tantùm, vt cùm credere se Lituani Polonis non audent, apertè eis se diffidere, sint professi: negando Parczouiam Brestiâ se progressuros, priusquam publicâ fide interpositâ, securitas ituris, redituris que, promitteretur. Mirari Poloni, ea ab amicis requiri, quæ nonnisi inter hostes vsui essent. Hortari igitur Lituanos, vt aut curas superuacaneas, aut metus vanos omitterent. Sacrosancta fœdera, atque communia secum, quibus sub eodem Rege gauderent iura, sat cuique securitatis præbere. At labefactatâ iam suspicionibus amicitiâ, non multùm fidei habebat, externa beneuolentiæ species. Nisi Rex ipse extra Poloniæ limites Lomazos progressus, secura omnia spopondisset, nemo Lituanorum ad comitia accessisset. Regem redeuntem Parczouiam comitati sunt Lituani proceres, Gastoldo solo dempto, qui non passus sibi persuaderi, fida omnia Parczouiæ futura, Brestiam rediјt. Initio statim congresŝus, veterem statim Lituani resumpserunt actionem. Podoliam iјsdem, quibus ante argumentis repetebant, at studio remissiore. Vehementiùs longè vrgebant tabularum, quibus *Vnio* continebatur, instaurationem. Reperiri in eis quædam asserebant, quæ à Magnis Lituaniæ Ducibus, de consilio Russorum, incuriosè examinata, ac temerariâ facilitate admissa, nomen Lituanum haud leuiter

Lituani Polonis nõ fidunt.

Vnionis instaurationem vrgent.

A. 1451. uiter læderent; vt taceantur alia publica detrimenta. Aut amicitiam itaque omnem semel abrumpendam esse, aut infame hoc monumentum, abolendum: quo integro, cùm honesta fœdera Lituani non essent habituri, neque fida sperarent. Quid enim sibi promitterent ab illis fidi, à quibus exiguam lituram non impetrant, ne probrum suum perennet. Diuturnum ac tenerum esse eius vulneris sensum, quo honestum, famaque laborarent: magnam vim ciendorum nouorum motuum habere desiderium reparandi nominis. Non ignorare quidem aliquas Lituani iuris prouincias, haud multùm eâ curâ tangi, vtpote armis quæsitas, ac seruituti assuetas. At Lituaniam non leuiter sentire, quòd suâ voluntate Poloniæ accessisset, non vt eius Regibus seruiret, sed vt æternis fœderibus Lituani Polonis coniuncti, æquo cum illis iure viuerent. Ad hæc pro Senatu Polono Sbigneus respondit. Nihil hactenus Magnos Lituaniæ Duces, cum Republica Polona egisse, aut constituisse, quòd præcipui quique Lituanorum proceres aut ignorauerint, aut consensu suo non approbârint. Testari id luculenter signa eorum, nominaque, publicis monumentis adiecta. Atque vt hæc deessent, viuere etiamnum Principem Senatûs Lituani Matthiam Vilnensem Antistitem, cum cæteris collegis, qui scribendis tabulis præsentes adfuerunt, ac in ijs Podoliam ab antiquo Poloni iuris fuisse, professi, iureiurando tabularum fidem stabiliuerunt. Sbignei orationem Collegæ exceperunt: certatim quisque per amicitiam, quam sacrosanctè ab

Poloni eorum dictu refutant.

ipso

ipſo Iagelonis regno coluiſſent, obteſtari, ne obſtinatis concertationibus Rempublicam proderent: rogare, vt negotij vniuerſi arbitrium Regi ipſi deferrent, qui excuſſis iurium rationumque momentis, vti vtriuſque gentis communis Princeps, pro alterutra, ſecundùm ius ac æquum pronunciaret. Verum Lituanis vehementiâ affectûs eò abreptis, vt nihil æqui admitterent: ægrè tandem ab ijs obtentum eſt, vt ſoluto conuentu, res ad ſequentis anni comitia reijceretur integra: vti Polonæ hiſtoriæ ſcriptores prodiderunt. Ruſſorum annales non paulò aliter narrationem exequuntur Lituanos, ſeu meritò, ſeu vanis ſuſpicionibus diffiſos Polonorum amicitiæ, extra Parczouiam aperto campo conſediſſe, ſtatiuis in caſtrorum ſpeciem aggere ac foſsâ communitis. Comitiorum horâ, in Senatum veniſſe, non exiguâ manu clientum ad arcendam vim comparatorum ſtipatos. Veritos nimirum, ne inermes ab armatis circumuenti, vel inuiti cogerentur ad admittendam legem, quæ ijs comitijs perferri debuerat, de Lituania ad normam cæterarum Prouinciarum, regno Polono adſcribenda. Non ego vnquam crediderim Polonis id in mentem veniſſe: nominari tamen deſtinati facinoris indicem, Andream Rohatynski equitem Polonum, reperio. Moniti ab eo proceres Lituani, vt tertium diem conuentûs cauerent; non modò libentes rem ad futura comitia reijci permiſerunt: ſed etiam ipſi properè Breſtiam abiuerunt, relictis qui ſpeciem caſtrorum retinerent; vel celandi abitûs causâ; vel magis experimenti ſumendi; quàm cer-

A. 1451.

Lituani fœderibus renũciant.

 tum

A.1451. tum indicium fuiſſet. Paucæ à diſceſſu abiuerant horæ, cùm magno numero ac impetu armati stationem propè vacuam petunt. Infrequens circa portam, atque è gregaria turba, præſidium, argumento fuit, abeſſe eos, quibus vis parabatur. Mutatâ itaque repentè perſonâ, vt propoſitum diſſimularent, nihil violenti tentant. Nunciata ea Breſtiam, magnos motus concitârunt, Præcipui procerum ſtemmatum Polonorum vſum abdicârunt, vt eo ſigno conuulſa eſſe fœdera antiqua Polonis indicarent. Vniuerſi animo hoſtilia agitare: quiſque pro viribus bellum in Polonos apparare. Ingens profectò flamma erupiſſet, niſi Rex de periculo monitus, venationum prætextu in Lituaniam excurriſſet: vbi prenſando potentiores, audacioribus pacata ac ſecunda ſpondendo, vniuerſos auctoritate ſua in officio continendo, rem plane in præceps ruentem ſtitiſſet.

A.1452. *Suidrigelone mortuo Lituani Volyniam occupant.*

Ea quoque quies non diuturna fuit. Ex morte Suidrigelonis noua diſſidiorum materies repullulaſcens, publicæ pacis ſtatum propè extremè concuſſit. Æger ille, atque iam extra ſpem vitæ, fidiſſimis mandauerat, ne aliud præſidium, ſe vitâ functo, Luceoriam admitterent, quàm Lituanum. Miles quoque in eam occaſionem paratus, manipulatim per vicinos pagos, ſparſus, ſignum occupandæ arcis expectabat. Is, mortuo Suidrigelone, Luceoriam admiſſus, facilè reliquâ Prouinciâ potitus eſt. Volodimiriam verò, quòd ei defendendæ nõ ſufficerent copiæ, exuſſit. Mortui Suidrigelonis, & occupatæ à Lituanis Volyniæ, fama propè ſimul in

in Minorem Poloniam peruenit. Ioannes Czyzewski Castellanus Cracouiensis primus ad eum nuncium, nouis se rebus Ducem facit: nobilitatem ad comitia suo nomine euocat, bellum in Volyniam decernit, ærarij ac fodinarum publicarum Ministris imperat, ne suo iniussu Regi quidquam suppeditent. Tota ferè minor Polonia, in hisce motibus erat: mandatis tamen Castellani non adeò obtemperabatur, non satis audentibus singulis, offensi apertè Regis inuidiam, intra domum suam inferre. Collabentem erga se regni fidem, ægrè Rex Maioris Poloniæ ope, in vestigio retinuit. Remotior illa, vt loco, ita & cupiditate ab agris Volyniæ, mitiùs ferebat dolorem, præreptæ à Lituanis, tam opulentæ prouinciæ. Audita itaque legatione, quâ Rex acriter de rebellione, læsæque Maiestatis audaciâ, contra minorem Poloniam questus, ad comitia euacabat, in quibus satisfacturum se Reipublicæ pollicebatur: non modò nihil ipsi turbauêre, sed etiam reliquos, comitiorum expectatione, continuerunt in quiete. Conuenerunt frequentes ad comitia, magis spectandi curiositate, quem euentum ea dimicatio habitura esset; quàm studio consulendi Reipublicæ. Fuerunt tamen, qui satis ferociter sententias dixêre. Ante alios, Sbignei Cardinalis oratio celebris libertate dicendi fuit. Regem propè oblitum sui muneris, Lituanicis venationibus, atque conuiuijs intentum Regni curam, aut inter vltimas seposuisse, aut planè deseruisse. Luceoriam, atque Ratnum, si non consensu illius, certè dissimulatione inter-

A. 1452. Minor Polonia contra Regem insurgit.

Maior Polonia quiescit.

In comitiis Rex reprehenditur.

A. 1452. ceptas. Lustro integro, negotium varijs artibus extraxisse; neque Regno priorum more, iura ac prærogatiuas Poloniæ, iuramento regio firmatas esse. Non multùm interesse, haberetné Polonia Regem, an eo careret! quandoquidem Casimirus totus pro Lituania, contra Poloniam staret. Hæc dicente Sbigneo concitatior Rex, cùm neque vlciscendi, neque placidè respondendi, modum reperiret, ad Senatum conuersus quæsiuit, suané dumtaxat priuatâ, an ex communi omnium sententia, à Sbigneo talia detonarentur? Tacentibus alijs, neque audentibus, se primos iræ regiæ offerre; Cracouiensis ac Sendomiriensis Palatinus, idem se, ac reliquos omnes sentire disertè professi, loco se proripuerunt: abeuntes illos reliquus Senatus eò promptius est secutus; quòd nemo vnus præcipuum quid inuidiæ, è curiâ efferret. Perculit res tam inopinata vehementer Regem, cùm videret ab inuito ius Reipublicæ repeti; quod tamdiu pertinaciter rogâsset. Conuerso deinde studio ad placandos proceres, ægrè peruicit, vt ad obsequium redirent. Quòd enim publicæ incolumitatis seruandæ causâ dimicatio fuisset suscepta; non Regis exauctorandi: Senatûs Principes, reliquos ad officium reuocârunt; posteaquam Rex curaturum se promisit, vt proximis comitijs finis optatus vniuersis controuersijs imponeretur. IX. Kal. Sept. comitijs initium datum. Adfuêre in tempore Lituanorum legati, Andreas Douoina & Michaël Mintoutus. Legatio præter antiqua postulata, minas soluendorum fœderum continebat.

Deseritur à Senatu

tinebat. Poloni legatis modestè responderunt. Nihil sibi optatius esse fœderibus, cum Lituanis, quos vti hactenus non tantùm sociorum aut amicorum loco; sed fratrum, etiam atque eiusdem Reipublicæ ciuium habuissent; ita deinceps habituri essent. Podoliâ nihilominus cedi non posse, ne in eam ius regni infringeretur: fœdera enim iusta, requirere ius cuique suum inuiolatum seruari. Tabulas fœderum, vel ea solâ causâ, intactas relinqui oportere: ne si fortè semel in eis aliquid innouaretur, præiudicio eius exempli, nihil deinde Sanctum ac stabile (vt pronum est mortalibus ad nouandas res ingenium) seruaretur. Legatis dimissis Regem adoriuntur: vt anteaquam comitia soluerentur, ex vetere Reipublicæ instituto, acta maiorum, iuraque ac prærogatiuas ab ijs collatas, suo iuramento firmet. Diu in omnes partes versauit Rex ingenium, rogando, suadendoque, differri ad annum, negotium. Nihil tamen amplius impetrauit, quàm ne cogeretur ad aperiendas in pleno Senatu propositi sui rationes, quæ profundo silentio egerent. Sex igitur præcipui, quibus Respublica maximè fideret, ex Senatu sunt delecti, qui præmisso non reuelandi secreti iuramento, cum Rege agerent, arbitrioque suo definirent, an prorogatio regij iuramenti, non esset fraudi Reipublicæ futura? In eo consilio Rex præfatus breuiter, non dissidijs fouendis, neque quòd Lituanos causâ cadere nollet, iuramenti tempus tamdiu extraxisse: meminisse filium se, fratremque Regum Poloniæ, quorum acta beneficiaque inuiolata conseruare,

A. 1452. Poloni Lituanis satisfaciunt.

Regem cogunt ad iuramentũ præstandum.

A. 1452. conſeruare, abſque iuramenti religione, ipſis ſanguinis pietatiſque vinculis ſatis obligaretur: neque neſcire, ſuo ſe periculo rem differre, cùm regnum in eorum manibus agnoſceret, quorum liberis ſuffragijs accepiſſet. Obteſtari deinde cœpit, ne affectu agerentur; ſed ſobriâ mente diſpicerent, quanto Reipublicæ damno id feciſſet, ad quod tantâ contentione vrgeretur. De Podolia eos dimicare; Lituaniæ verò vniuerſæ amiſſionem non cogitare; ex cuius ſeceſſione, concertatio de Podoliâ ac Volynia perpetua eſſet futura, eaque iam non ſententiarum, ſed armorum: quorum fortunam, etiam in iuſtâ causâ, dubiam eſſe, nemo neſciret. Quid enim pronius, quàm vulgato Regio de Podolia retinenda iuramento, Lituanos ad comitia nouo Duci Lituaniæ creando conuolare, Regem cum prole, patrimonio excludere, Poloniæ vires tam validis populis à ſocietate eius abſtractis, æternum ſuccidere? Darent igitur adhuc annum, vt celato apud Lituanos conſilio, Luceoriam, cæteraſque arces fidorum præſidio occupet, gazam publicam, priuatamque euehi curet: his peractis ſe in poteſtate Senatûs futurum, ſuaque ſponte facturum; ad quæ modò, tam intempeſtiuè vrgeretur. Ægrè id à Polonis obtinuit, obnitente conſtanter Palatino Sendomiriæ Oleſnicki, neque priùs, quàm, quæ verbo promiſiſſet, ea literis ſuâ manu ſubſcriptis confirmâſſet, literaſque ipſas Archiepiſcopo Gneſnenſi conſignâſſet. *Reconciliantur Regi.* Regijs rebus compoſitis, vetera ſubditorum diſſidia, nouis incrementis ſunt aucta. Nihil eſt vnde offenſi ſemel animi, ſuſpicio-

suspicionis materiam nequeant legere; more iratorum ea captando, ex quibus, sua ira, iusta videatur. Trans-Volgenses Scythæ ter eo anno instauratis excursionibus, ingenti clade Podoliam ac vicinam Russiam afflixerunt, prædamque omnem impunè eduxerunt, cùm Duces regij exercitûs tardiùs arma expediunt. Huius cladis auctores Lituani à Polonis designabantur. Neque deerant calumniæ occasiones. Mareschalcus Lituaniæ Radiuilus, cum amplis muneribus, in Scythiam publico nomine iuerat. Sachmates quoque paulò post reditum è Podoliâ, à Tauricanis victus, ac profligatus, cum cognatis ac clientibus, in Lituaniam, ex fugâ se contulerat. At Mareschalcus neque ad Sachmatem peruenerat, in viâ à Tauricanis interceptus, omnique supellectili exutus; neque ea mandata habebat, vt Scythas contra Podoliam concitaret: sed more antiquo stipendium ac munera ferebat, quibus in bellicos vsus iuuentutem eorum, ac Duces, paratos redderet. Sachmates verò exemplo suorum maiorum profligatæ fortunæ asylum in Lituaniâ quæsiuerat.

A. 1452. Contra Lituanos de nouo offenduntur.

Sequens annus abstulit è viuis Matthiam Vilnensem Antistitem, Vilnâ oriundum, at externâ peregrinatione, omnigenâque eruditione, incomparabilem. Successit, ex Pontificatu Samogitiæ, Nicolaus Dzietzgowicz, gente Lituanus, vir egregiè doctus. Rex vt fidem superiore anno obligatam exolueret, comitia Parcouiam Polonis & Lituanis indixit. Ex Lituaniâ soli legati venêre, cæteris metum prætendentibus periculi, quod

A. 1453. Comitia Parczouiæ celebrãtur. irrito euẽtu.

 ante

A. 1453. ante annum subiuissent. Legationis Principes fuerunt Ioannes Chodkiewicz, Nicolaus Radiuilus, Nicolaus Pac: materia verò, tot iam ante comitijs, labore irrito agitata; Fœderum instauratio, ac Podoliæ restitutio. Ad refutanda Lituanorum postulata comportarunt Poloni, ex tabulario publico, non pauca monumenta. Post longam concertationem, conuenêre tandem partes, vt arbitris, quos ipsi nominarent, iudicium permitteretur. Affulgere iam visa spes concordiæ, cùm repentè euanuit. Polonis enim arbitrij ius, aut ad summum Pontificem, aut ad Regem ipsum, deferentibus: Lituani aut Cæsarem Romanum, aut Scytharum Imperatorem malunt; eaque res Polonis indigna videbatur: vtrisque in proposito persistentibus, rebus infectis conuentus solutus est. Alijs comitijs Petricouiam indictis, Poloni Regem vrserunt, vt fidem ante annum Reipublicæ obligatam exolueret. Rex impetrato ad deliberandum die respondit. Si per religionem ac æquitatem, ea spondere liceret, quibus contraria, Deo teste inuocato, Lituaniæ priùs promiserat, absque vlla cunctatione, se votis Polonorum pridem satisfacturum fuisse: at conscium priorum religionum, quibus se ante obstrinxisset, meritò cunctari, precarique, ne id à se postularetur, quod absque violati numinis iniuria, fieri non posset. Quod si Polonis ea sententia animo stetisset, non excedendi ab ea dimicatione, absque victoriâ: facturum se, quæ vellent ita; ne violati prioris iuramenti crimen consciseeret; iuraturum nempe, veluti Regem Poloniæ,

Petricouiæ Rex Polonis iuramentum præstat.

niæ, non verò tanquam Magnum Ducem Lituaniæ. *A. 1453.* At, vt ferè in rebus controuersis, circumspectio aduersarij, alterius diligentiam acuit, quò cautiùs hæc à Rege tractabantur, magis suspecta Polonis fiebant. Vrgere itaque obstinatiùs, vt ambagibus reiectis, eâ formâ iuret, quâ iuraturum se, superioris anni literis spoponderat: ni id præstaret, omnia sacra testari, se rationem inituros aliam, quâ prouideretur, ne quid Respublica detrimenti caperet. Rex haud dubius eò rem inclinari, vt se deserto, ad alium, Regnum deferatur, tandem se potestati Senatûs permisit, iurauitque verbis, ex Senatûs sententiâ, conceptis.

Ex Regis Polonorumque consensione, grauior imminebat cum Lituanis dimicatio: sed eam intra sola studia animosque continuit, exortum foris bellum. *A. 1454. Belli Prussici occasio.* Crucigerorum in Prussia dominatio impotentior, subiectis populis diu inuisa, tandem toleratu planè ardua, præcipuarum ciuitatum incolas, ad excutiendum, sub quo corruere necesse esset, iugum concitauit. Secretis consilijs defectionem decernunt: vno die, præsidia vndique eijciunt: Casimiro Regi per legatos supplicant, ne sui causâ bellum contra Crucigeros suscipere grauetur. Diuturna inter proceres sententiarum contentio, incertum consilij Regem tenuit: alijs abhorrentibus à violando fœdere, per quod nuper à permolesto ac diuturno cum Crucigeris bello, ægrè se extricauerant; alijs patrocinium, arma, exercitum, maturandum supplici Prussiæ vrgentibus. Ægrè quidem, recepti tamen in fi- *Prussiæ defensionẽ Poloni suscipiunt.*

A.1454. dem Prussi; atque auxilia promissa. Verùm decreto in Prussiam bello, non leuis à Lituania metus, curas augebat. Meritò quisque verebatur, ne Lituani exacerbatis, Podoliæ causâ, animis, aut Crucigeris accederent, aut illato Podoliæ bello, vires distraherent; Crucigeris præcipuè, haud dubiè eo dissidio, in rem suam vsuris. Priusquam igitur in Prussiam moueretur bellum, Rex comitiorum causâ Brestiam excurrit. In eo conuentu, pro auctoritate, quam plurimâ humanitate, apud Proceres Lituaniæ collegerat, non multo labore obtinuit, ne quid se absente, motuum ab ea parte erumperet. Quinimò publico Senatusconsulto quinque millia delecti equitis ductore Alexio Sudimonto, in bellum Prussicum destinata: commendatumque finium præfectis, vt prouiderēt, ne quà per Lituaniæ ditiones, Liuonicis in Prussiam auxilijs, transitus relinqueretur. Solutus eo metu Rex, in Prussiam curas intendit. Nondum copiæ vniuersæ conuenerant, neque procul abesse Czarnkowium, cum quinque millibus nunciabatur. Rex tamen, ex Posnaniensis atque Calissiensis Palatini sententiâ, (vt, iuuenibus faciliùs audaciora probari solent) moræ impatiens, pugnandi copiam habiturus facturusque, castra hosti ad Choyniciam admouit. XIV. Kal. Oct. acie dimicatum est: atque, vt ad initium prælij, pugnantium virtus superiorem Regis fortunam fecerat; ita prætoriæ legionis, extra pugnam consistentis, ignauia penitùs perdidit. Dubium, quo casu, extra periculum perculsa, nutare ac pedem referre cœpit: qui verò in pugna erant

Rex ad Choyniciā profligatur.

ac

ac prope vincebant, vbi terga nudari senserunt, suis se coniungere, conando speciem fugæ auxerunt. Hinc totâ acie trepidari, ac signa à pugna in fugam verti. Rex nequidquam reuocandis suis, restaurandæque rei perditæ intentior, ac sui oblitus, haud dubiè in prædam cessisset, nisi Dominicus Kazanowski vi prope adhibitâ, ad fugiendum coegisset. Omnibus in fugam, quò quemque, fortuna aut impetus, abstulerat, effusis; pauci admodum è proceribus, Regio se lateri adiunxerunt. Instabat victoriæ securus; prædæ auidus, hostis. Cùm verò neque versis in instantem vestigio hostem armis, spes vlla vincendi paucis esset, neque in fugâ, secura Regi salus; singuli se per vices in pugnam magno animo obijciunt: dum illi pugnant, moranturque, Rex à periculo longiùs se dimouebat. Ita insignes manu, atque audaciâ proceres Lituani, Alexius Sudimundus, Kuczuk, Ioannes Illinicz, Stanislaus Kosciewicz, Theodatus Andruszkowicz, in potestatem hostium viui venerunt, suique capitis periculo discrimen Regium redemerunt. Rex à cæteris cursu abstractus, neque pugnando par (tres enim tantùm comites manserant) neque fugiendo, quòd equus diutiùs cursum perlaturus non videretur; in Georgium Wol primariæ nobilitatis virum, Stanislai Visigini filium, prævalidis viribus celebrem incidit. Is Regi suum equum offert, suadetque, vt per proximas paludes securitati viam quærat; ipse paludoso loco semitam, quâ insequenti hosti transeundum erat, pedes insidet, ac effusâ in terram pharetrâ,

A. 1454.

Rex periculū ægrè euadit.

A.1454. ſpicula in aduerſos torquet. Amiſſis aliquot equis, equitibuſque hoſtis, cùm inter paucos, neque Regem, neque Procerum quempiam ſperaret, & periculum maius ſpe eſſet, inſequi deſijt. Ita Rex incolumis Bidgoſtiam euaſit. Cùm hæc in Pruſsia geruntur Ioannes Gaſtoldus iniquior, vt nemo alius, Polonis, proceres ac nobilitatem in Lituania ſolicitabat, ad Podoliam armis vindicandam. Neque, aut paucorum, aut leuiter, concitauerat ſtudia: prope nihil iam deerat ad bellum, præter commodam anni tempeſtatem. Cùm ea expectatur, Rex Pruſico periculo defunctus, in Lituaniam feſtinauit.

Motus in Lituaniâ ſedat.

A.1455. Exeunte hyeme Vilnam venit, vbi vere integro moratus erupturum in horas incendium, ægrè ſuppreſsit. Neque defuerunt alia negotia, quæ diutiùs Regem in Lituania detinuerunt: Atzgereius Tauricanorum Regulus per legatos proximè ſuam erga Regem, fidem teſtatus, auxilia in bellum Pruſsicum ſpondebat: ſimulque commonebat, vt Podoliam ac Volyniam firmioribus præſidijs muniret, quòd aſſuetum præda viuere Scythicum populum in officio ampliùs continere non poſſet. Nam & ipſius Atzgerei annis grauior, & filiorum impuberum impar imperio ætas, ab audacioribus contemnebatur. Domi quoque, ne quid ex priuatis cupiditatibus, aut motuum, aut præiudicij in publica commoda, ex morte Olelkonis Kiiouienſium Ducis enaſceretur, plurimùm præſentis Regis auctoritas contulit. Simon enim & Michaël Olelkonis filij, conſtituerant

Atzgerei Scythæ erga Caſimirũ obſeruantia.

priuati patrimonij legibus, Kiiouiam inter se partiri: atque, vt erant & parentis memoriâ, & suis gestis, populo ac Senatui perquàm accepti; nemo erat qui obstaret. Rex tamen Prouinciam illam vti Magnorum Lituaniæ Ducum ditionem, publico iuri vindicauit. Digresso Rege ex Lituaniâ in Poloniam, contentio de Podoliâ, dissimulata ad tempus ex reuerentiâ Principis, non verò extincta, maiore vi resumpta est.

A. 1455. Kiiouia Ducibus Slucẽsibus adimitur.

Celebrabantur Polona comitia Petricouiæ: ad ea legatos mitti placuit, qui à Rege & Polonis Podoliam repeterent, priusquam de eius possessione, rescisis fœderibus, armis certari necesse foret. Breuis fuit legatorum oratio, sed longè vehementior præteritis. Commonebat Regem iurisiurandi, quo abiturus in Poloniam, Lituanis se obstrinxerat, de restituenda Podolia: quod, nisi Casimirus ijs præstitisset, aut ad capessendum regnum abire non permisissent, aut si inuitis Ordinibus abiuisset, alium Magnum Ducem Lituaniæ substituissent. Postulabat, ne aut Poloni ampliùs patientiam Lituanorum fatigarent, aut Rex in Polonorum gratiam iuramentum suum, ac optimè de se meritæ gentis postulata, contemneret: dolorem enim eius ex accepta iniuriâ, tantum esse, qui aut restitutione Podoliæ, aut rescisione fœderum necessariò curandus sit. Vniuersam Lituaniam ita animo comparatam esse, vt nisi spontè Podolia restituatur, alio Magno Lituaniæ Duce renunciato, iniuriam simul & Podoliam armis vindicet. Poloni ex ea legatione nihilo æquiores, legatos infectis

A. 1456. Legati Lituanici repetunt à Polonis Podoliam.

Polonis negãtibus

A. 1456. fectis rebus dimittunt, Podoliam verò maiore curâ communiunt, atque ab arcium præfectis iuramentum exigunt fidei, erga Regem ac Rempublicam constanter retinendæ. Nunciata hæc per Lituaniam defectionem apertam, magni nominis auctoribus, maturârunt. Ioannes enim Gastoldus, Georgius Dux Ostrogius, Alexius Sudimondus, in eam sententiam pertraxerunt reliquos, vt eiurato Casimiro, Simonem Olelkouicium Magnum Lituaniæ Ducem quamprimum sufficerent, cuius deinde auspicijs ac ductu bellum Podolicum gereretur. Qui regiarum partium erant, atque inprimis Ioannes Moniuidus Palatinus Trocensis, apertè contradicere multitudini non ausi, in speciem consilijs eorum accedebant, intereà tempus rei gerendæ sedulò extrahebant, dum præriperent iter eorum, qui citatis equis abiuerunt Regi periculum nunciaturi. Detinebat Regem Prussiæ negotium, neque permittebant Poloni regno excedere, eo non confecto: at metus amittendæ Lituaniæ, consilijs precibusque eorum maior fuit. Maximis itineribus in Lituaniam contendit: Ordines Lituaniæ Vilnam euocat: de consilijs defectionis apertè expostulat; nihil tamen vltra solitam morum verborumque humanitatem progressus; ne intempestiuâ austeritate irritaret magis, quàm sedaret defectionem. Eiusmodi enim consilia, quando paucorum indicio in lucem protrahuntur, vt spe latendi faciliùs euanescere poterant, ita iam publicata, metu pœnarum extrema tentant. Plerique de Senatu fatebantur, se inscijs, factione pauco-

Lituani defectionē moliūtur.

A Rege compescūtur.

paucorum hos motus concitatos fuiſſe: neque obſcurè deſignabant capita factionis. Tota facti inuidia Gaſtoldum maximè premebat: ſed neque ipſe illam declinabat. Attamen ob metum maiorum motuum, vir Magiſtratibus geſtis, clientelis, ac opibus potentiſſimus, plecti non potuit. Diſſimulando itaque magis, quam inquirendo, turbarum fontes, Caſimirus eam tempeſtatem ſedauit. Cæterùm viuo auctore, viuebant eadem per Lituaniam ſtudia, ac velut ignis ſuperiniecto cinere, latebant, fouebanturque. Ea cura in ſequentem vſque annum tenuit Regem Vilnæ. Neque priùs inde abijt, quàm ad initium veris, Maioris Poloniæ negotijs euocatus. Noui iſthîc motus auctore Martino Kogâ ex orti, præſentiâ Regis indigebant: quibus componendis, alijſque negotijs, reliquum anni Petricouiæ & Gedani impendit. Serpebant intereà per Lituaniam, conſilia inuadendæ Podoliæ; atque indies apertum bellum expectabatur. Quare edictâ per Poloniam Pruſſicâ expeditione, Rex ipſe priùs in Lituaniam diuertit.

A. 1456.

A. 1457. Iterū bellum in Podoliam adornant.

Incredibilis erat huius Principis, in deliniendis Lituanorum animis, ſiue dexteritas ac induſtria, ſiue potiùs felicitas. Non tantùm initia gliſcentis Podolici belli reſtinxit, ſed etiam obtinuit, vt in comitijs Ordines magno conſenſu auxilia Polonis in Pruſſiam decernerent. Octoginta aureorum nummûm millia, ex publico ærario, mutui nomine Polonis ſunt data: atque exercitus octo millium ductore Ioanne Chodkiewicz Palatino Vitepſciæ, eſt ſubmiſſus. Nihil tamen tantis impenſis

A. 1458. Continētur à Rege.

A. 1458. pensis momenti, in Prusiâ actum est. Cùm enim Hungaricus legatus Iskra, specie pacis conciliandæ, tempus rei gerendæ extraxisset, atque eâ de causâ multi Polonorum, castra ac militiam, inuito Rege deseruissent: imminutis copijs, atque elapsâ commodâ, ducendo bello, tempestate; Rex quoque nullo tantæ expeditionis pretio, Prussiâ cum reliquo exercitu excedere coactus est. Ex castris Cracouiam petijt, lætus nuncio, qui attulerat regiam domum, altero ex Elizabethâ coniuge, filio auctam. Casimiri nomen, Christianis cærimonijs infanti inditum: qui deinde pueritiâ, atque iuuentute, per omnia Christianæ pietatis officia, inter mortales integrè peracta, à morte admirandis beneficijs latè inclaruit, atque longè post Diuorum fastis, ritè à Summo Pontifice adscriptus est. Sequens annus propè integer inquiete decurrit. Circa finem, legati Minoris Poloniæ veteri concertationi fomitem subiecerunt. In comitijs Petricouiensibus contumaciùs in Regem egerant, repetendo mordicùs Luceoriam, Tikocinum, Wægrouiam à Lituanis. Ea res longè grauiùs commouit studia, nondum à præteritis agitationibus composita. Podolici enim belli apparatus, totam planè Lituaniam impleuit. Non tamen vltra minas, atque militis conscriptionem processum est: præcipuo eius factionis capite Ioanne Gastoldo in tempore extincto. Rex quoque magis quàm antè pro retinendâ sibi Lituaniâ solicitus, quòd proles mascula accessisset amplior (nam & superiore anno tertium filium Ioannem Albertum, & hoc

Expeditio in Prußiâ irrita.

S. Casimirus Princeps nascitur.

A. 1459.

Nouæ de Podoliâ turbæ.

A. 1460

hoc anno, quartum Alexandrum susceperat) impigrè in Brestianensibus comitijs laborauit, vt Procerum animos ab impetendâ Podoliâ abstraheret. Verùm quia mitigabatur tantùm, non auferebatur acceptæ per ereptam Prouinciam iniuriæ dolor: quemadmodum præsente Rege remittebatur aliquid de contentione; ita per eius absentiam, armorum ac belli consilia resumebantur vehementiùs. Vt itaque toties recrudescenti malo non breue tantùm in tempus lenimentum, adhiberetur, sed remedio aliquo vulnus omnino persanaretur, priusquam in Prussiam Rex moueret, priùs Vilnam Lituanis comitia edixit.

A. 1460. Regis industriâ sedantur.

Celebrata sunt magnâ frequentiâ circa Paschales ferias. Vnicum omnium votum erat, quod ordines concordibus suffragijs solicitè apud Regem vrgebant. Incolumitatis publicæ summam eo cardine verti, vt Rex ipse Lituaniam præsens gubernet: absentis enim imperia & tarda esse, & plerumque infructuosa. Cæterùm vt optari ab omnibus eius præsentiam, ita à nemine sperari: quòd minimè dubitaretur, Polonos nequaquam permissuros, Regem à Regno diu abesse. Itaque per communis patriæ salutem obtestari, vt sibi in Principatu Lituaniæ, nepotem suum, non minùs gestis, quàm Olgerdianâ progenie inclytum, Simeonem Olelkouicium Sluciæ Ducem, sufficeret. Rex haud immemor, quibus motibus parentem suum similes Lituaniæ Præfecturæ exercuissent; certus etiam negare, quod aliter non posset concedere, quàm præcisâ spe suis filijs: nihil ex

A. 1461.

A.1461. aduerſo locutus, internum animi ſenſum, quo alieniſſimo erat ab hiſcè poſtulatis, ne intempeſtiuâ repulsâ irritaret, diſsimulat. Illud ſolùm præfatus, negotium grande & ad conſilium & ad executionem, tempore egere, cuius nunc copiam Pruſsicum bellum negaret: petijt, vt tantiſper rem differrent. Eluſis ita quorumdam factioſorum hiſcè conſilijs in Pruſsiam mouit: ſed nunciatâ matris morte, reuocatus ab eâ expeditione, Caunæ autumnum exegit, partim mærorem venationibus relaxando, partim contra Pruſſos Scythica per Lituaniam in bellum auxilia recenſendo. Reliquum anni Polonicis negotijs dedit, indictis Corczynum pro Decembre comitijs Polonorum.

A.1462. Scytharũ Lituanicorũ bello Pruſsico geſta.

Æſtate bellum Pruſsicum reſumpſit, caſtris ad Torunium locatis. Eo bello non leuem operam ductore Alberto Gorski Scythæ Lituanici Polonis nauauerunt. Culmenſes agros latè iuſſu Regio euaſtarunt. Schumbergum, qui cum promptiſsimis Reginæ intercipiendæ conſilio Nieſchouiam excurrerat, ceciderunt: atque adeo XV. Kal. Oct. celebri ad Puckum Petri Dunini victoriæ, quâ Frytcz Crucigerorum exercitûs ductor profligatus eſt, plurimum contulerunt.

A.1463. Lituanorũ cum Polonis de Podolia concertatio.

Subſecuta Polonorum comitia Petricouiæ, rurſus Lituanorum pro Podolia dimicationem concitârunt. Legati eorum Totiuilus, & Cuczukus acriter, non modò Podoliam, ſed etiam Belzenſem terram, opulentaſque Præfecturas Ratnenſem, & Oleſznenſem repetebant. Nihil tamen plus reſponſi acceperunt, quàm

non neglecturos Polonos, satisfacere Ordinibus Lituanis. Quare cùm Vilnæ Lituanorum comitia peragerentur Stanislaus Ostrorogius Palatinus Calissiensis, & Ioannes Rytuienski Regni Mareschalcus, ex Polonia legati venerunt. Præcesserat eos Rex ipse, vt præsentiâ suâ aduersarum partium impetus temperaret: nihilo tamen minùs concertationis in concilio fuit. Historiæ prope solius fide decertabatur: verùm cùm Scriptores Poloni haud dubiè pro suorum partibus starent, annales autem Russi Lituanorum ius assererent; neque finem controuersiæ, pertinacia patronorum admitteret; res integra ad comitia Partzouiensia reiecta est. Intereà ex fortuito casu, non leue incrementum, partium suspiciones ac odia, sumpserunt. Theodosiæ vrbis (vulgò Capha) ad Euxinum Pontum incolæ, crescentem in propinquo Turcarum potentiam non immeritò suspectam habentes, maturè per Christiana regna, vires ac præsidia conquirebant. Casimirus Rex non grauatè illis indulserat, vt per dominij eius ditiones militem suis stipendijs conscriberent. Collegerant quingentos equites, quos per Lituaniæ fines deduci oportebat. Cùm Braslauiam transirent ortâ fortuitò lite inter milites ac ciues, atque per tumultum re à verbis ad manum deductâ, vnumè ciuibus occidi contigerat. Ad eam cædem coorto clamore plebs omnis, telo quod casus obtulisset armata, inermisque, in forum promiscuè concurrit. Miles pugnando haud dubiè non suffecturus multitudini, illud maximè verebatur; ne si plebs vim admoueret, ex

A. 1463.

Caphenses subsidia in Polonia colligunt.

A.1463. paucorum insolentium noxâ, periculo eodem innoxia
capita inuoluerentur. Neque plus erat in fugâ spei, per
plateas confertissimâ turbâ insessas. Ex desperatione ca-
pitur consilium: clàm ignis ædibus varijs subijcitur;
plebs consternata ad sistendum incendium vertitur; mi-
les permisso equis freno celerrimè in apertum campum
effunditur. Accepto facti nuncio loci præfectus Mi-
chaël Dux Czartoryisci, doloris ac iræ plenus, tumul-
tuarium equitum manipulum rapit, assecutus abeuntes
irrito inprimis ausu aggreditur, verùm concurrente vi-
ciniâ auctis viribus, tandem ad Bohum amnem cinctos
ferro excidit: quinque tantùm elapsis, quos fortuna aut
virtus seruauit. Vulgata hæc per Poloniam, ac Litua-
niam sunt longè aliter (vt primis rumoribus euenit)
quàm gesta essent; cùm quilibet pro suâ opinione rei se-
riem aut fingit aut auget: hinc vniuersos falsa belli in
A.1464. Podoliâ iam inchoati fama vehementer perculit. Ne-
que scio, an non ex eâ causâ, maturata Parczouiensia
comitia, ad finem ferè anni sunt protracta. Quid enim
concordiæ, consilijúe in commune sperari potuisset, ex
recentis iniuriæ sensu, neque iram neque dolorem dissi-
mulare valentibus animis? In Nouembre primùm, Po-
loni quidem Parczouiam, Lituani Brestiam frequentes
conuenerunt: sed neutris ad aduersam partem accedere
volentibus; ægrè ab vtrisque obtentum est, vt Lomazos,
qui locus inter Partzouiam & Brestiam medius est, ami-
cè congrederentur secum. At cùm per angustias oppi-
di, neque priuatis diuersorijs, neque publicis congressi-
bus,

bus,

bus, opportunitas vlla, anni tempestate permolestâ, haberi posset, negotio in alterum annum reiecto, rebus infectis discessum est. Rex in Lituaniam inde profectus, Caunæ reliquam exegit hyemem, quòd Vilnæ ac Grodnæ lues grassaretur. *A.1464.*

A.1465. Scythæ cõtra Turcã à Papa & Cæsare solicitãtur.

Sub finem hyemis Ludouicus Patriarcha Antiochenus, summi Pontificis legatus ad Regem in Lituania agentem venit. Orientis incolæ Turcarum viribus oppressi, per Occidentem, ac præsertim apud Papam & Cæsarem, collabenti apud se rei Christianæ, auxilia mendicabant. Maturari ea omnino necessum erat, priusquam debellata viciniâ, Machmetes Turcarum Tyrannus transferret in profundiorem Europam bellum, quòd extremâ vi in Christianos apparari, nunciabat Ludouicus. Vera fuisse, quæ ab eo dicebantur, serum quidem at certum veritatis argumentum, euentus, comprobauit. Nemo tamen prior suo damno commune periculum amoliri volebat. Formidabile iam inde à Baiazetis clade ac prope fatale, Turcis erat Scytharum nomen. Amplissimis ergo stipendiorum promissis, Scythas contra Turcam concitare, Cæsar & Papa per Ludouicum nitebantur. Scytharum regulus Ecigereius legato respondit: se belli eius cogitationem, inscio aut inuito Casimiro Rege suscipere non posse: ad eam itaque priùs iret, à cuius nutu sua consilia & arma penderent. Ea fuit occasio Ludouico, adeundi Regis: apud quem cum Papæ atque Cæsaris consilia exposuisset, negotium ad comitia Rex distulit: quòd in ea Republica imperium

A.1465. imperium obtineret, in qua inſcijs Ordinibus nihil momenti ſtatuere poſſet. Quamquam verò, ſatis animi Caſimiro ad bellum Turcicum fuerit: nihilominus ante finem belli, quod cum Crucigeris præ manibus erat, non è Republica fore videbatur, ſi nouo ac periculoſo bello vires diſtraheret. In re, cuius momenta celeritate conſtarent, iniectâ moræ mentione, non ſecùs atque apertâ repulsâ perculſus Ludouicus, deſperatis Scythicis auxilijs ad Cæſarem redijt. Rex autem eâ curâ ſolutus, ad apparandam contra Crucigeros expeditionem, ſtudium vertit: à Lituanis obtinuit auxilia; quorum pars iuſſa confines Liuonibus agros obſeruare, ne quis inde miles in Pruſſiam tranſiret; pars potior ad caſtra Polonorum miſſa. Vtrique egregiè operam ſuam probarunt.

Bellũ contra Crucigeros apparatur.

A.1466. Septingenti fortè equites Liuonici, ad Pruſſicum bellum deſtinati, vt commodiùs excubias Lituani militis euitarent, extremam hyemem itineri delegerunt. Februarius planè decurrebat, atque vias omnes, per paludes, ac lacus, glacie, ad ſuſtinenda quæuis onera, firmâ inſtrauerat. At inter nemora ſuccisis latè arboribus, atque in aggeris formam promiſcui coniectis; ita omnes tranſitus obſtructi erant, vt ne pedes quidem impedimentis vacuus, nedum eques ferro grauis, eluctari poſſet. Quare verſùs mare Balticum ſigna vertêre Liuones, quà per arenoſas ripas rariores arbores planiorem viam præbituræ, circa Polongam oppidum ſperabantur. Hoc ipſum ferè ſuſpicatus miles, in publica viâ,

Liuones in Samogitia cæduntur.

viâ, foſsis non adeò magnis, ſed frequentibus egeſtis, atque ita contectis, vt oculum fallerent, veſtigium non ſuſtinerent, proximas ſyluas inſedit. Hoſtes frigore, fame, ac itineris ambagibus confecti, ignari fraudis atque inſidiarum, eò negligentiùs progrediebantur, quò plus ſpei, falſa ſecuritas fecerat. Necdum ad locum foſsis impeditum peruenerant, cùm edito à tergo ingenti clamore ex inſidijs Lituanus miles cooritur. Inſperatâ pugnandi neceſſitate perculſi Liuones, cùm ſiue locum pugnæ commodiorem capturi, ſiue in fugam abeuntes, laxant equis frena, in foſſas delati, omnes periêre. In Pruſsia verò bellum ſolius Choyniciæ expugnatione conſtitit. Totis viribus oppugnabatur: aggeribus vineiſque cingebatur, machinæ quatiendis muris admouebantur: vniuerſa, quæ aut vi capiendo loco, aut deditioni extorquendæ neceſſaria eſſent, impigrè maturabantur. Obſeſſi quoque non dubij in eo ſummam verti, ne perfici opera permitterent, mirâ audaciâ excurſiones per interualla inſtaurabant, magno ſucceſſu & opera diſturbabant, & operariorum numerum animumque cædibus minuebant. Quare Lituani equitatûs Tribuno, negotium à Rege commendatur, vt cum promptiſſimis ſuorum, ita excubaret, ne qua eruptio hoſti impunè abiret. Cæſis aliquoties excurſoribus, poſtquam audaciſſimus quiſque præſidiariorum cecidit, diminuto eorum non leuiter numero, deinceps intra muros ſe continebant. Ita, propè per otium deductis ad finem operibus, vis è propinquo muris adhiberi

A.1466.

Choynicia in Pruſsia capitur.

A. 1466. cœpit. Coronâ oppugnati oppidani, tentauerunt fortunam eruptione, ſed cum clade repulſi, poſteaquam coniectâ ſagittis aptâ incendio materiâ, pluribus ſimul locis tecta flammas conceperunt, deſperatis rebus auctore Vlrico prçſidij præfecto, Regi ſeſe dediderunt. Deditionem Choyniciæ, pax ſubſecuta eſt, allaborante legato Summi Pontificis Rodulpho.

A. 1467. *Sigiſmundus Princeps naſcitur.* Primus ſequentis anni dies, & ſobolem regiam nato Sigiſmundo, & ſolicitudinem pro retinendâ Lituania auxit. Verebatur enim Rex, ne ex vetere de Podolia concertatione ſeceſſio orta, ſe poſſeſſione Lituaniæ, prolem ſpe ſucceſſionis deijceret. Quamquã verò mortuo nuper factionis principe Gaſtoldo, tota actio langueret: nihilominùs metuenti, nihil ſatis ſecurum videbatur. Quare duos integros menſes, captando procerum animos in Lituania exegit. Peridem tempus extincto Tauricano Imperatore Ecigereio, Mendligereius eius filius, Imperij ſucceſſor renunciatus, amplâ legatione profeſſus eſt, ſe & ditionum paternarum, & obſequij erga Caſimirum, ac Magnum Lituaniæ Ducatum, hæredem. *Scythæ Caſimirũ venerantur.* Legatis, conſtantem Principis amicitiam, ac in quæuis bella militem pollicentibus, gratiæ in Senatu actæ, militaturis liberalia ſtipendia promiſſa. Addita munifica dona, tum legatis, tum Principi. In Poloniam reuerſo Caſimiro, ad nouas opes viam pandi viſum. Defuncto enim abſque liberis Ladiſlao Bohemiæ Rege, cuius germanam in matrimonio habebat, propinquitatis iure, ſibi aut alicui filiorum, regnum illud vindicaturus

turus

turus credebatur. Verum omnia per Bohemiam sectariorum factionibus turbata, aliquantò minùs spei ostendebant: & cura Lituaniæ longè propior, non permittebat animum in plura distrahere. Neglecto itaque Bohemiæ negotio Rex Lituaniam repetijt. *A.1467.*

Grodnam comitiorum causâ Ordines conuocati, multiplici Reipublicæ curâ sunt exerciti, aucto ex cælestibus visis metu. Quindecim integros dies, inter Septentrionem ac Orientem ingens Cometes arserat, quo haud dubiè publicam cladem portendi, plerique confirmabant. At longè certius ex Mendligerei legatione futurorum præsagium sumi poterat: nunciabatur enim à Trans-Volgensium Scytharum Regulo Maniaco bellum in Russiam apparari. Rex itaque nihil cunctatus, celerrimis nuncijs ad Kiiouienses, Volynios, ac Podolios missis, arma omnes sumere iubet, imbellem verò turbam è pagis in tutiora submoueri. Priùs tamen quàm pares periculo vires colligerentur, barbari imparatos occupârunt: siue quòd tardiùs nunciatum esset discrimen; siue quòd segniter edictum regium, prouinciales exequerentur. Quæ ditionis Lituanæ per Volyniam erant fœdè sunt vastata: quæ Polonorum præsidijs obtinebantur in Podolia, non tantùm damni acceperunt. Obiecto enim tempestiuè exercitu, repressus est hostis à populatione. In Valachia filius Maniaci ter prælio victus, atque captus, pœnas suscepti belli luit, apud Stephanum Valachiæ Principem, coram parentis sui legatis minutatim dissectus. *A.1468. Russiam populatur.*

A.1469. Ladislaus Casimiri filius ad regnũ Bohemiæ vocatus.

Sequens annus, non omnino omissam regni Bohemici curam, Casimiro reuocauit. Regnabat in Bohemia, sanguine nobilis, peruersis Hussi superstitionibus infamis, Georgius de Podiebrad, à sui similibus Regi Ladislao suffectus. Proceres Catholici indignè ferebant sectarij imperium: sed nihil opis aduersus eius potentiam domi reperiebant. Implorato Supremæ inter Christianos potestatis auxilio, Pius II. summus Pontifex, Georgium sectæ pertinaciter adhærentem, vti religionis veræ hostem proscripsit: insuper omni eius iure in regnum antiquato, Matthiam Hunniadem Hungarum, bellis contra hostes religionis causâ gestis celebrem, Regem Bohemiæ iussit. Georgius tanto æmulo ipse impar, communicare cum collega aliquo imperium destinanit; eâ ratione gerendi quoque belli necessitatem communem sibi cum alio, facturus. Indictis itaque genti comitijs omnem lapidem mouit, vt Ladislao Casimiri filio, ex matre Regum Bohemiæ hærede, orto, cuius matrimonio ipse quoque vnicam filiam destinaret, successore sibi designato, spes Matthiæ in herba præcideret. Accepti legati tum Ioannis, tum Ordinum, auditique auidâ aure, à Casimiro: & vicissim missi, qui Ladislai nomine, de summa rei paciscerentur. A discessu legatorum, Rex Grodnam comitiorum causâ, se contulit: ac reliquo anni tempore, in Lituania commoratus, venationibus sese exercuit. Maturâ iam hyeme, Albam Russiam inuisit. Per Polociam, Vitepsciam, Smolensciam, rebus paci ac bello ordinatis, primo vere

A.1470. Papâ & Cæsare obstantibus.

re in Poloniam redijt, Bohemicique negotij curas resumpsit, haud leuiter Papæ ac Cæsaris interuentu impeditas. Papa enim prætendebat, nulla adhuc Ladislai pro religione merita extare, quæ Matthiæ essent amplissima; atque eâ specie Matthiæ causam, vti suum beneficium, constanter tuebatur. At verò, vt Religionis momenta expendenti minimè dubium erat, eiusmodi pro Bohemia Regem esse necessarium, qui rebus bello gestis probatus, neque sectariorum beneficijs obnoxius, constantiùs pro Ecclesia acturus sperabatur: ita Casimirus, ægrè ferebat meritorum præiudicio, certari; tanquam in dubia re: in qua sanguinis ac hæreditatis indubitata iura, pro eius filijs starent. Fridericus autem Cæsar, Kunegundem filiam Ladislao offerebat coniugem, & Maximiliano suo filio Heduigim Casimiri petebat; vt gemino matrimonio firmatis fœderibus, regnum Bohemiæ contra Matthiam ac Georgium communi ope, iunctisque armis, Ladislao assereretur. Rex nihilominus in priore sententia perstitit, ac Georgium per legatos monuit, ne de sua amicitia addubitaret. *A. 1470.*

In Lituaniam è Polonia profectus, plenam nouarum curarum Prouinciam deprehendit, domi forisque, turbatâ pace. Liuonici equites fines tumultuario agmine transgressi, prædas per obuia egerunt; sedecim pagis exustis. Missis à Rege legatis, qui de fœdere violato quererentur, atque ablata postularent restitui. Magister equitum, causatus id facinus priuatorum esse, in *A. 1471. Liuones in Lituaniam irrumpunt.*

A. 1471. quo nihil publici aut consilij aut culpæ reperiretur, promisit satisfacturum se de iniuria, postulauitque, ne paucorum audacia, paci communi, foret fraudi. Quiete foris redditâ, domi cœpit timeri, ne quid in Russia moueretur. Simeon Olelkouicius Dux Slucensium, victorijs de hoste celeberrimus, (vt qui octodecim annorum adhuc adolescens, suo milite, ac ductu, duodecim millia Scytharum deleuerit) Kiiouiæ Principatum Casimiri beneficio obtinebat. Is eo anno, cùm haud multùm distare se à viuendi termino agnouisset, misso Regi, albo equo, atque arcu, quibus felicissimè in Regis obsequio, contra Turcas, Moscos, ac Scythas vsus fuerat, admodum iuuenem filium Basilium, vt Parentis loco ei esset, commendauit. Nihil tam eximium in Republica erat, quod recens parentis memoria, permitteret aut à priuatis inuideri filio, aut à Principe negari. Plus tamen bono publico, quàm gratiæ defuncti, Princeps Senatusque dederunt. Cùm enim Rex Primorum voluntates periclitando, mentionem iniecisset edicti, quo Basilius Dux Kiiouiæ renunciaretur: frequentes obstiterunt, ne fortè continuato in eâdem familia hoc titulo, amplissima Reipublicæ Prouincia, in priuatum patrimonium, successorum ambitione transiret. Itaque Senatûs iudicium secutus, attributis Basilio, quæ eius fortunâ non inferiores essent, possessionibus, Kiiouiam in formam aliarum Prouinciarum redegit, primumque Kiiouiæ Palatinum Martinum Gastoldum, expuncto Ducis titulo renunciauit. Nobilitas Kiiouiensis indignata, quòd

Kiiouia in formā Palatinatus redigitur.

eam

eam præfecturam, quamquam clari sanguinis magnæque potentiæ viro, at neque Principum genere orto, neque religionibus Græcis addicto, Rex demandâsset, Gastoldum conatum occupare Magistratum, bis vrbis ingressu exclusit. Adiecit communi consilio, per legatos supplicem ad Casimirum orationem, ne quod beneficium patriæ illorum præstitisset, Ducis Kiiouiensis titulos in ipsius Regis personam transferendo, corrumperet ingrato Prouinciæ Præfecto. Esse defuncti Simeonis fratrem, Michaëlem Ducem Kopylensem, Magnæ Nouogardiæ Gubernatorem: esse tot alios religionis Russiæ proceres: sub eorum præfecturâ neminem Kiiouiensium viuere detrectaturum. Pertinaciùs hæc vrgebantur, vt nonnemini rem ad defectionem inclinari, videretur: ac plerique, quod neque iniqua, neque difficilia postularentur, existimabant publicæ quietis causâ, remittendum esse de Principis imperio. At Princeps illud cauebat, ne aut exemplum labefactati obstinatione subditorum imperij, ad posteritatem relinqueret; aut materiam dissidiorum, in ea Republica, in qua sine discrimine, Lituanusné genere, an Russus sit, par vnius nobilitatis prærogatiua, ad omnium Prouinciarum magistratûs, vniuersos exæquâsset. Victi tandem constantiâ Regis Kiiouienses Gastoldum admiserunt: atque ab eo tempore Palatini deinceps Kiiouiam administrare cœperunt. *A.1471.*

Compositis Lituaniæ rebus in Poloniam Rex rediJt: vbi amplæ Hungarorum legationi Senatus est datus. *A.1472. Casimirus Princeps*

Prolixè

A. 1472. ad Regnũ Hungariæ vocatur.

Prolixè sunt illi questi, contra Matthiæ regnum: per omnia sacra, obtestabantur, ne confinem fœderatamque gentem desererent; neúe calamitatem eius audire contenti, releuare negligerent Poloni. In eorum adhuc manibus esse imminentis Hungariæ interitûs remedium; modò quem ordines Hungarici magno consensu sibi Regem delegerunt, eum Poloni non negarent, Casimirum scilicet Principem, Regis filium. Desperato illius regno nihil amplius spei restare Hungaris, quàm vt sponte suscepto Turcico iugo (leuius enim illud, quàm quo Matthias premeret, sperare vniuersos) ipsi quidem semel perirent, Polonis verò perpetuum pereundi metum relinquerent, admotâ eorum lateri Turcicâ potentiâ. Timor vicinitatis cum Turca, Senatum Regemque perpulit, vt legatorum postulata admitterentur. Conuentum ergo, vt Casimirus valido exercitu succinctus, Nitram quamprimùm peteret, quò Hungariæ proceres cum suis copijs affuturos, legati spoponderunt. Lectus non segniter miles, qui Casimirum duceret: neque Casimirus Princeps, iter detrectabat, parentis reueritus auctoritatem. At posteaquam Nitram

Ab Hungaris decipitur.

peruentum est, procerum Hungariæ nemine comparente, Casimirus rebus infectis, copias omnes dimittit, ac simul spem cogitationemque regni deponit, curis ad pietatem ac Diuina integrè conuersis. Rex sumptibus pro Ladislao in Bohemiâ, & Casimiro in Hungariâ, exhaustus, Lituaniam petijt. In Vilnensibus comitijs Ordines consenserunt, vt ad iuuandum ærarium Regis,

gis, colonis certa nummorum pensio imponeretur. Exigua pecunia, ac satis tardè confecta est, ob grauem pecoribus mortalibusque annum. Insolita per æstatem vis caloris, non herbam modò ac frumentum omne, sed frutices etiam radicitùs exussit. Amnibus penitùs arefactis, minores fluuij ita aquis imminuti, vt Chronus ad Ragnetam vado transiretur. Hinc fames primùm incredibilis, mox pecorum ac hominum lues vulgata, non agrestes tantùm casas, sed nobilium etiam domos, ac oppida, funeribus impleuit. Illud dumtaxat reliquum solatij miseris fuit, quòd superis iratis, ab hostilibus armis quietem habuerint. Verùm neque eam diuturnam fecit, regia pro filijs ambitio. Omni siquidem ope Matthiam Hunniadem bello persequi, Hungariamque Casimiro, Bohemiam Ladislao, vindicare destinauerat. Valida Lituanorum auxilia ductore Ioanne Chodkieuicio missa VI. Kal. Octob. Mistouiam attigerunt: inde Rex ipse, iunctas Polonis Lituanas copias in Silesiam, mouit. Matthias in Morauiam cum suo exercitu progressus, non procul à Regijs castris aberat. Priusquam conferrentur castra, qui commeatûs causâ excurrerant Poloni, insidijs Matthiæ excepti, pugnandi initium fecerunt. Iam deserebat paucorum virtutem fortuna, cùm equestres Lituanorum copiæ insperato in hostem impetu inuectæ, restituerunt prælium: submissis deinde à Rege maioribus auxilijs, prope iustâ acie pugnari cœptum est. Non diu tulit vim Matthias, neque ausus cum summa rei, operiri Regem ac

A. 1473. Ex insolito calore lues, & fames, per Lituaniã.

A. 1474. Matthias Hunniades profligatur à Casimiro.

A. 1474. robur exercitûs, maturâ fugâ, in tutiora suos recepit.

Turca Capham vrbem cœpit. *A. 1475.* Christianis Principibus inter se dimicantibus, Turca nobilem Vrbem Theodosiam, vulgò *Capham*, à Genuensibus Italis habitatam, obsidione cinxit. Ante eius aduentum, Antistes loci abierat, ab incolis missus, vt ex vicina Russiâ auxilia maturaret: at nihil obtinere poterat, Casimiro bellis Bohemico ac Hungarico, implicato. Capitur intereà Theodosia, cuius rei nuncio Kiiouiam allato, Antistes ad mensam Gastoldi, velut fulmine ictus repentè exanimis inter epulas corruit. Turca successu tumidus, neque immemor acceptæ superiore anno in Dacia cladis, victorem exercitum, contra Stephanum duxit, Valachiæ Principem *Valachiã inuadit.* Monitus de periculo Stephanus, festinata legatione à Casimiro Rege paria discrimini auxilia petijt. Expositis in publico Polonorum Lituanorumque conuentu Lublini postulatis; non æqua modò Dacorum oratio, vt quæ fœderatis auxilia iure fœderis rogaret, sed & perneceßaria Reipublicæ visa. Quemadmodum enim orto incendio, volenti seruare propriam domum, à vicinis ædibus ignis omni conatu arcendus est, neque expectandum donec sui parietes incalescant. Ita Valachiæ seruatæ interiectu, tam validum hostem à vicinia arceri, tantique populi accessione Polonas potiùs, quam Turcicas vires augeri, Reipublicæ intererat. At plures longè erant, qui ne Turcarum arma in Poloniam irritarentur, Valachis neganda auxilia suadebant: vacui itaque auxiliorum spe, legati dimißi. Solutis comitijs Isaacus Trapezuntinus

Polonis negãtibus auxilia Valachiæ.

tinus Persarum legatus venit. Conabatur persuadere Regi, vt in sequentem annum vniuersis regni viribus Turcicum bellum aggrederetur: in quod Regem Persiæ trecenta bellatorum millia eductturum spondebat. Imparem tyrannum duplici bello fore; atque viribus, quæ in immensum auctæ, formidini singulis essent, à fronte & tergo accisis; de cupiditate atque arrogantia remissurum. Simul omnes vndique finitimos, velut coronâ conniti oportere: si formidabilem iam potentiam, impellere in ruinam; seque metu qui singulorum ceruicibus è vicino impenderet, semel liberare vellent. Rex memor, quàm alienis animis Polonos à Turcico bello, in comitijs Lublinensibus, expertus esset, ita respondit, vt nihil certi aut promitteret, aut negaret. Ostendit tamen paratum se ad capienda arma, si Cæsar Romanus, cæterique Reges ac Principes, in societatem belli ac periculi, non verbis, sed re ipsâ descenderent. Isaacus ad sententias aliorum Principum pertentandas profectus, domum nullum omnino operæ ac viæ, pretium retulit. Quilibet priuatæ rei, ex iniurijs vicinorum, ampliandæ intentus, nihil opis in communem Christianorum causam conferebat, quam peiorem faciebat domesticis discordijs. Casimirus Rex, ne aut pro Valachiæ, aut in gratiam Persæ, nihil egisse videretur, legationem ad Machmetem Turcam, Martino Wrocimowske demandat, quâ Turcicum bellum à Valachia auerteret. Martinus, ad Varnam deprehendit tyrannum, cum ingenibus se copijs profectioni accingentem: vbi inter

A. 1475.

Persarum legatio ad Casimirũ Regem.

Casimirus Valachiæ causam per legatos agit.

A. 1476. circumſtantes Tribunos, iuſſus mandata ſui Regis promere, conſtante intrepidâque fronte, ac oratione, vſus eſt. Caſimirum Regem fœdera ſui parentis, cum Imperatoribus Turcarum inita, hactenus ex fide coluiſſe inuiolata: cur ea prior Machmetes protereret, hoſtemque potiùs, quàm amicum Polonum malit, neſcire. Si contra Valachiam, Polonæ ditionis Prouinciam, hæc ſigna duceret; ſi in Stephanum, Caſimiri Regis clientem, has legiones deſtinaret: cogitaret Machmetes ante iactam aleam; Caſimirum Regem, in dimicationem, etſi inuitum, trahi: cui plus animi ac virium ſit futurum intuendis ſuis, ac violati fœderis iure vindicando, quàm hactenus fuiſſet conſtantiæ in conſeruandâ pace. Machmetes dato ſigno ſubſiſtendi, pacata omnia in gratiam Regis pollicitus, ita cum legato regio tranſegit: ne Stephanus nouis irruptionibus bellum irritaret, ac pro nupera clade certis conditionibus ſatisfaceret. Poſt abitum legati, Stephano nihil pacis causâ concedente, Turca Valachiam infeſtis ſignis inuaſit. Nihil ferè momenti eo bello Machmeti quæſitum eſt, quòd ad vaſtanda patentia vniuerſam molem vertiſſet: fœdè tamen omnis Prouincia, ferro ac flammis euaſtata eſt: neque Podolia, omnino immunis à clade manſit, barbaris ſine diſcrimine in obuia vicina ſæuientibus. Ad ſubitum periculum, concurrerat non contemnendus ex Ruſſia exercitus, qui Stephani copijs iunctus, potuiſſet aperto campo hoſtem reprimere: verùm abſente Rege, nemo audebat fines regni tranſgredi. Stephanus

nus autem, licet nullibi iusti prælij copiam fecisset, continuis tamen infestationibus non leuiter barbaros attriuit: quæ res Machmetem permouit, vt per legatos fœderum instaurationem prior, à Casimiro peteret. A. 1476.

Circa idem tempus Russæ religionis per Lituaniam ac Russiam Antistes Misael, Kiiouiensium Pontifex, sacra comitia peregit: in ijs communi consensu destinatus est Romam legatus, Alexander Soltan supremus ærarij M. D. Lituaniæ Præfectus, vir in sacris literis apprimè versatus. Legationis capita fuerunt. Sixtum IV. Papam, vti D. Petri successorem, Supremum Christianorum Pontificem, Christi ipsius in terris Vicarium, vniuersorum Græco-Russo ritu, Christo litantium nomine veneraretur. Religionis suæ selecta dogmata, planè eidem proponeret, ac ad iudicandum subijceret. Supplicaret, vt quam gratiam, Romani ritûs hominibus, per Regni Poloniæ Prouincias, *Iubilei* titulo indulsisset; eandem Græci etiam ritûs populo, tanquam Sacræ Sedi sincerè subiecto, impartiretur. Curaret denique, vt Pontifex viros Ecclesiasticæ disciplinæ gnaros, destinaret in Russiam; qui ad normam doctrinæ, à Florentinis Patribus traditæ, componant lites omnes, quæ per Lituanas ditiones, inter Russi ac Romani ritûs homines intercederent. Tantùm erat tunc pacis, domi, forisque, Lituaniæ: vt non modò Sacerdotibus, sed etiam armorum Ducibus, ad promouendas religionis res etiam abundè suppeteret. Nam inter diuersos, qui eius Concilij actis nomina subsubscripserant, supremus militiæ

Russi Papam vt caput Ecclesiæ agnoscunt.

Lituaniæ Imperator Ioannes Chodkiewicz, cum germano ſuo Paulo, legitur.

A. 1477. At, cùm in alta quiete ex ſecuritatis confidentia, circa publicam rem curas remiſſiùs haberi cœptum eſt, prudentioribus non diuturna ea voluptas viſa. Rege Hungaricis, Bohemiciſque negotijs, in Polonia occupato, omnia (ac præſertim res militaris) negligentiùs adminiſtrabantur. Extremarum Prouinciarum arces, aut nullis, aut leuioribus præſidijs obtinebantur: ærario præteriti bellis exhauſto, nihil in futuros caſus prouiſum: nihil ad repentina bella comparatum: ſi quando Rex in Lituaniam veniret, venationibus intentus, alia negligebat. Non ex vano verendum erat, ne is rerum ſtatus, ab aliqua parte hoſtem, ſpe rei benè gerendæ, repentè ad arma eliceret. Quare cùm fortè Rex currente Martio Vilnam comitia indixiſſet, ijſque præſens adeſſet: magnâ contentione omnes inſtitêre, vt quandoquidem duo filij natu maiores Ladiſlaus, & Caſimirus ſua regna haberent, curas quibus corpus annis graue iam non ſufficeret, cum Ioanne Alberto iuniore filio diuideret, & Lituaniam ei, ſub ſuis auſpicijs gubernandam demandaret. Nihil ea mouere Regem, ſeu ſolitâ morum pertinaciâ duriorem, ſeu fatorum quæ Lituaniæ ingruebant, vi. Rebus Lituaniæ rectè conſtitutis; non animus, ſed opportunitas eius inuadendæ, Moſcouiæ Ducibus deerat. Iam verò cum frigere Publicæ rei ſtudia, atque adeò, Prouinciæ finitimæ ad ſubita imparatæ, patere iniuriæ cœperunt: Ioannes Baſilides Princeps

Reſpublica negligentiùs adminiſtratur.

Rex de periculo monitus diſſimulat.

Princeps Moſcouiæ, bello fortunatus, excuſſo nuper feliciter Scythico iugo, animis viribuſque auctus, quæ pridem agitauerat, exequi cœpit. Conſcripto per otium ingente exercitu, primâ æſtate, Nouogardiam Magnam, totâ vi inopinatò aggreditur. Opportunior ea Prouincia ad inuadendum Viſa eſt; quòd longiore interuallo à Lituania diſiunctæ, maturari auxilia nequirent. Occurrerunt incolæ armati, ſed maiore animo quàm viribus, aut ſucceſſu: pauci à multitudine facilè campo, pulſi, vniuerſum bellum, cum reliquijs fortunarum, quæ ex agris in ſubito periculo rapi potuerunt, intra vrbem receperunt. Vrbs neque ad longam obſidionem, neque ad ferocem oppugnationem, ſuſtinendam, erat inſtructa: imbelli plebe, vt innumerâ, ita ad militaria officia, inhabili, ſibi ipſi grauis: non diu itaque hoſtem ſub portis tulit. Potitus vrbe Baſilides, trecentos ciues, quòd arma contra ſe auſi eſſent ſumere, ſecuri in foro percuti iuſſit: vniuerſos fortunis omnibus, tertiâ dumtaxat earum parte ſingulis relictâ, exuit: ſacras templorum opes, ac munera Deo Diuiſque dicata, ab aris abſtulit, omneque ærarium expilauit: trecenta plauſtra, pretioſiore metallo, facto, & ſignato, gemmis, ac ſuppellectili ſacrâ profanâque, onuſta eduxit in Moſcouiam. Atque hic primus gradus fuit defluentis Lituaniæ ab alto, quò eam Vitoldus euexerat, amiſsâ tam opulentâ Prouinciâ. Deinceps enim propè ſingulorum bellorum pax, aut Prouinciæ integræ, aut agrorum amiſſione, conſtitit: ràrò aliquid ab hoſte receptum: tandem

A. 1478. Moſcus Nouogardiã capit.

Lituaniæ decreſcẽtis initia.

A.1478. dem per donationem Sigiſmundi Auguſti ſuccisis neruis; noſtrâ ætate, terno ſimul hoſte Moſco, Sueco, Zaporouio, totâ vi in eam connixo, vniuerſa Reſpublica collapſa eſt. Baſilides cupiditate, non exſatiatâ ſed irritatâ, per occupationem Nouogardiæ, ab ſucceſſu animos erectiores ſumere: non vicina modò, ſed & profundiora, ſpe complecti: bello continuando opportuna inſtruere. Nihil pacati expectari poſſe ab eo, qui gerendi belli & neceſſitatem, & ſpem bonam, ſibi prior feciſſet, armis ſacrilegè quidem, ſed fortunatò illatis, nemo dubitabat. Regem itaque ſolicitè Proceres Lituani monent, vt periclitanti Reipublicæ præſens proſpicere curaret. Ægrè ſe ex Polonia extrahi paſſus eſt Rex: ſiue, quòd natu iam grandis, atque bellorum pertæſus, eas curas declinaret, ſiue magis, quòd metueret, ne vrgeretur ad Principatum Lituaniæ, alicui filiorum, reſignandum. Venit cum coniuge, ac filijs, Vilnam. Inſtituto Senatûs conſilio, nemo erat, qui non ſuaderet, amiſſa repetenda eſſe armis: maturè domandum hoſtem, antequam immodicus euadat: curandum, ne ſi primi ſucceſſus inulti abeant, ex alienâ ignauiâ, audaciam hoſtis ſumat: eſſe abundè virium, ad reponendam hoſti iniuriam: modò Rex iubeat, inferatque bellum; adfore ſuâ ſponte Scythas Trans-Volgenſes, libenter, & ex vetere fœdere, & ex recentis cladis memoriâ iuuentutem ſuam contra Moſcum miſſuros. Rex egit quidem per legatos, cum Scytharum Regulo, vt Moſcouiam inuaderet; ſed ipſe planè ab eo bello abhorrebat.

Rex Caſimirus declinat bellum Moſcouiticũ.

horrebat. Vſque adeò ingenium feruens, morarumque impatiens, cum annis refrixerat. Prætendebat ærarij inopiam, militum inter tantas temporis anguſtias auctorandorum difficultatem, nobilitatis ex diuturna à bello vacatione, ad caſtra, ineptitudinem: ab aduerſo, apud hoſtem, ærarium nuperâ prædâ locuples, militem bello Scythico exercitatum, vires multitudine validas, animum ſucceſſibus erectum. Concludebat inde, plenam rem temeritate eſſe, fortunam publicam in eo rerum ſtatu, imparibus armis committere. Præualuit Regis ſententiâ: quo inuito nihil vtique geri poterat. Mittuntur itaque legati: qui deinde inducias aliquot annorum pepigerunt. Intereà Nouogardia cum aliquot Prouincijs in Moſcorum poteſtate relicta, nunquam ampliùs armis repetita eſt. Deſiderium, vindicandi amiſſa; cum tempore conſenuit. Sachmates Scytha, ingentem exercitum finibus Moſcouiæ admouerat: ſed Rege, qui eum literis ſuis ad inferendum bellum concitauerat, quieſcente, nihil momenti tentauit. Baſilides eâ cunctatione in ſuam rem vtitur: magnâ pecunia Timirem Scythicæ militiæ Magiſtrum aggreditur: Timires Sachmati perſuadet, vt intactâ Moſcouiâ in Scythiam redeat; reducem captatâ occaſione occidit. Rex ſolis inducijs bellum ſtitiſſe contentus, in Poloniam redijt, filio Caſimiro extra curas publicas relicto. Aliquot deinde alij, liberi bellicis tumultibus ſubſecuti ſunt. Neque domi quidquam geſtum, ad memoriam. Vniuerſam eius temporis famam occupauit, vita Caſi-

A. 1478.

Pacem paciſcitur.

A.1478. rairi Principis, virtute admirabili, inter priuatam Regij palatij vmbram, acta. A teneris ille perquam addictus pietati, ostenderat animum non omnino à pulbico abhorrentem, non tam suâ propensione, quam parentis reuerentiâ. At vbi, ad regnum Hungariæ vocatus, ex fluxa suorum fide didicit, quantum in rebus humanis inane esset: ita animum ad rerum diuinarum disciplinam conuerterat, vt nihil mortale deinceps saperet. Vilnæ mortuus, maiore populi veneratione, quàm quæ profanis Principum cineribus exhibetur, elatus est ad funus, tumulatusque in principe vrbis templo, D. Stanislai dicto. Secutus eum est proximo anno antiquorum Lituaniæ Ducum sanguis Michaël, Dux Giedroicius, non minùs morum sanctimoniâ quàm genere illustris.

S. Casimirus moritur.

A.1484.

& B. Michaël Giedroyc.

Pacem publicam, noui Turcarum tyranni Baiazetis arma, interpellârunt. Suffectus ille mortuo parenti, eiusdem fortunam correcturus, Stephano Valachiæ Principi, intulit bellum; atque aliquot per Daciam loca, quà vi, quà deditione cepit. Nuncius eius rei, Regem Leopolim euocauit: vbi Stephano cum Valachia in Clientum Regni numerum adscripto, subsidiorum nomine delectæ iuuentutis, tria millia attributa sunt. Satis validum fuisse subsidium euentus docuit, Turcis feliciter totâ Valachiâ eiectis: Post constitutas res Valachicas, Lituaniam Rex petijt. deficiente enim, cum annis vigore animi, quò magis publicas curas declinabat, plus delectabatur ferarum venatione; ac præsertim Vrorum, quod genus feræ, in Polonia reperiri non solet.

A.1485. *Turcicum in Valachia bellū.*

ſolet. Cùm Vilnæ ageret, Magnum Tueriæ Ducem, è profundiore Ruſſia, hoſpitem habuit. Seditione inter Tuerenſes ſiue Baſilidæ Moſci artibus, ſiue ex alijs cauſis coorta, Princeps auito dominio à ſubditis exactus, ad Regem confugerat. Conabatur perpetui fœderis, atque iuſtorum in quæuis bella auxiliorum promiſſione, pellicere Regem, vt vindicandæ eius iniuriæ, curam ſuſciperet: præſertim quòd Tueria vniuerſa ab excuſſo legitimi Principis imperio, Moſcis acceſſerat, quâ coniunctione haud modicè Baſilides vires ſuas firmaturus eſſet, niſi maturè obuiàm iretur. Armis enim, viriſque præpotens Prouincia erat, vt quæ quinquaginta millium equeſtres copias in aciem educere ſoleret. Periculoſa certè Lituano erat, fortuna Moſci, tam immodicè ex vicinorum damnis excreſcens: ſed grata ſenibus quies, Caſimiro Regi propè perpetuum conſilium reddiderat, conſtanter bellum vitare. Cauſatus itaque inducias ſibi cum Baſilide eſſe, exulem, vt nullo humanitatis genere non cultum, ita ſpe omni vacuum, abs ſe dimiſit. Baſilides etſi induciarum reſpectu, ab aperto bello abſtineret, non tamen ab iniurijs. Nam & ipſe Kroſzyni Ducibus, Vigundi Kieyſtutiadæ poſteris, non modicum agrorum detraxerunt: & fratris ſui Andreæ Mozaiſcenſium Ducis, in Viazmenſes fines irruptionem diſſimulabat: vt minutiora taceam. Caſimirus belli cauſam & iuſtam & neceſſariam, ferè neglexit: præterquam, quòd Volodimiro Duci Maſalſcio mandârit, vt de iniurijs apud Moſcum Regio nomine ageret.

A. 1485. Moſcus Tweriam occupat.

A. 1486.

A. 1487. Lituaniæ ditiones infeſtat.

A.1487. Moscus negabat quidquam à se, vel à fratre per iniuriam contra fœdera tentatum: quòd agrorum quidpiam intra Moscouiæ fines, ab iniquis possessoribus, esset vindicatum. Vt tamen alienum se à nouandis rebus probaret: vniuersum negotium, legatorum ab vtraque parte cognitioni atque arbitrio permisit: intereà Rex vrgere vlteriùs, destitit. Inde ocium ab armis, magis regiæ ignauiæ commodum, quam Reipublicæ vtile. Neque priùs velut è veterno consurrectum est, quàm Scythicum bellum instar repentis flammæ in oculos incurrens, torporem animo excussisset.

A.1488. Rex crescentibus in dies deficientis naturæ argumentis, haud dubius, non multùm abesse extremum vitæ, totum se ad captandam studiosè filiorum ornandorum materiam conuerterat. Vnde, & Fridericum, Antistitem Cracouiæ renunciari, sacroque *Cardinalium* Senatui, adscribi, apud Innocentium Papam, procurauerat: & Ioanni Alberto, quem successorem sibi optabat, animos Polonorum omni arte conciliare conabatur. Quare cùm nunciatum esset Scythas gemino exercitu Poloniam aggressos, latè vastitatem igni ferroque circumferre; excitatiore animo, quàm hactenus res Lituaniæ curâsset, in Podolicum bellum incubuit, filioque Ioanni enixè commendauit, vt regias vices, quâ

A.1489. *Ioannes Albertus Princeps Scythas profligat.* posset maximè dexteritate in castris obiret. Ioannes Princeps mandata Parentis impigrè executus magnâ celeritate delectibus per Russiam ac Lituaniam habitis, cum promptissimo quoque ad Szauranam amnem aperto

aperto campo hosti occurrit. Impedimenta, cum modico præsidio, lentiùs sequebantur. Prima pugna admodum grauis erat, cùm ante conserta signa, Scythæ sagittis è longinquo rem gererent. Hortatur itaque suos Princeps, vt permisso equis freno sub ipsa hostium signa concitato cursu contendant, & adempto arcuum vsu, ad gladios prælium deducant. Hortanti, miles mirâ alacritate obsecutus, simul & formam pugnæ, & fortunam variauit. Hostis fugax non diu densati agminis impetum sustinuit: campo pulsus, inter proximas paludes se recepit, maiore spe, quàm commodo. Insessis enim vijs, quà fugæ locus patebat, neque securè in fugam effundi, neque ad pugnam ordines, explicari poterant. Cæsi captique, quindecim millium numerum explêrunt: prædæ omnis, atque imprimis captiuorum, vis ingens recepta. Cùm isthic pugnatur ac vincitur, pars exercitûs Scythici, prædam ex vlteriore Podolia reducens, ad Copestrinum, in impedimenta Victorum incidit. Præsidium, propè sub conspectu hostium, fugâ elapsum, speciem desertorum metu castrorum, fidemque, barbaris fecit. Alij itaque ad diripienda obuia nullo ordine discurrere: alij inuentis corpora liberaliùs curare, velut defuncti periculo: alij fessi itinere, solutiùs somno indulgere: pauci cum Duce excubare in casum; quamquam neque hi, quidquam hostile expectare. Victor interea exercitus insperatò in securos irruit: Ducem, cum paucis resistere ausum opprimit: reliquos, sine pugnâ, potu somnoque sopitos, cædit.

A. 1489.

A. 1489. dit. Decem millia barbarorum occubuiſſe reperio. Ab ea victoria, Ioannis Principis, mirà cœpit, domi, foriſque æſtimatio, atque amor.

A. 1490. *Vocatus ad regnũ Hungariæ deluditur.* Hungari imprimis, defuncto Matthia Coruino, Regem eum ſibi expetiuerunt. Ac Ioannes quidem non omnino eorum votis annuebat: neque ignarus in comitijs diſcordibus ſuffragijs certatum fuiſſe, multis in Ladiſlaum eius fratrem inclinatis; neque immemor, quid nuper alteri fratri Caſimiro accidiſſet, ſimili Hungarorum leuitate deluſo. Quia tamen acriter vrgebat Parens, ne fortunæ deeſſet: acceptis ab eo copijs in Hungariam penetrauit, non meliore euentu, quàm ſpe. Deſertus enim ab Hungaris, coactus eſt in Poloniam, infectis rebus, reuerti. Moderatiùs longè, iuuenis ferebat, eam ſiue fortunæ viciſſitudinem, ſiue hominum inconſtantiam; quàm decrepitus parens. Ille enim, ſimul ac Hungariâ exceſſit, omnem Regni cogitationem depoſuit: hic indignari, vindictam in Ladiſlaum filium Bohemiæ Regem agitare, Ioannem ſtimulare, bellum inſtaurare. Adeò hæc cura eius animo inſederat: vt intentus augendo filij imperio, ad alia propè ſtuperet, neque detrimenta ſua ſentiret. *Moſci potentia creſcit, Rege Caſimiro diſſimulante.* Alebat intereà Moſcus damnis Lituaniæ, ſuas opes. Ante paucos enim menſes, fortunis ac genere clariſſimi Duces Bielſcij, Boratynſcij, ac Worotynſcij, cum ampliſſimis poſſeſſionibus ad Moſcum defecerant: atque ditiones regias armis infeſtabant. Non magis tamen eius rei nuncius Regem permouit, quàm vt per legatum ſuum, Staniſlaum Strumilium

lium Pietraszkowicz, de violatis inducijs apud Basilidem expostularet. Armorum vis omnis in Hungariam versa est. Inuitus eam expeditionem suscepit Ioannes, quòd in fata fratris pugnare, à parente cogeretur: multoque deteriorem, quàm superiore anno, euentum habuit. Cùm enim Hungari, siue consilio, siue necessitate aliquâ, nullibi aperto campo militem obijciendo, bellum traherent; Ioannes verò cunctantiùs omnia, ex belli fraterni odio, administraret: regiæ copiæ, propè vniuersæ domum sunt dilapsæ. Vix quatuor millia militis supererant Ioanni: quando validus Hungarorum exercitus sese obiecit. Viribus non animis minor Ioannes, cum tantillâ suorum manu, ausus summam rei prælio committere, profligatus, ac admodùm ægrè è manibus victoris æmuli elabitur. Ladislaus tamen, mox à victoria, fratrem per legatos de ineunda concordia compellat; neque hic abnuit: conuentum ergo, his conditionibus. Ladislaus in Hungaria, vti cœpisset, regnaret: eo absque prole vitâ functo, Ioannes succederet: intereà, Ladislai beneficio, Silesiam possideret.

A.1490.

A.1491.

Ioannes in Hũgaria profligatur.

Inscio hæc Rege acta, qui comitiorum causâ in Lituaniam secesserat. Frequentes Proceres conuenerant præsertim è Seueria, quibus vicina Mosci potentia, ex propinquitate periculi, maiores faciebat curas rei publicæ, per eorum damna collabentis. Omnibus idem animus steterat, concordibus sententijs, in Senatu, Regem quantumuis tergiuersantem, perurgere; vt eius oræ tuendæ, seriam assumat cogitationem. At, priusquàm

Seueriæ Duces à Lituania deficiunt.

Senatûs,

A. 1491. Senatûs, consultandique copia tribueretur, res fortuita, eaque per exigua, vniuersum negotium in præceps impulit. Versabantur in palatio regio Principes, Regem de more salutationis causâ adituri: cùm ad interius conclaue penetrare volunt, ianitor, vti sibi ignotos, progredi vetat. Ignominiæ species haud leuiter vniuersos offendit, præsertim quòd aliqui, ab eodem fonte, genus suum, cum Rege ducerent. Præcipuus contemptâ hominis leuissimi voce, fores aperire nititur: ianitor incautiùs obluctando, foribus interceptum Ducis digitum, comprimit. Tanta mox indignatio subsecuta, vt pleni furore, tumultu ex palatio, Vilnâque abiuerint. Re ad Regem delatâ, properè sunt missi, qui abeuntibus, hominis inurbani temeritatem, capitis pœnâ vindicatam esse nunciarent: grauis ea procul dubio erat vindicta, sed reuocandis ad Regem proceribus non suffecit. Læsus animus omnia in materiam offensæ trahebat, totumque se apertæ defectionis consilijs permiserat. Quidquid inter illos, cæterosque Lituaniæ primores (vti inter homines diuersarum religionum, ac institutionis euenire necesse erat) Vilnæ accidisset; id sui contemptum interpretati, tantùm odisse iam Lituaniam cœperant; quantum dolebant, non pro sua se dignitate habitos. Accedebat, quòd Rex grauibus edictis Florentinam Latinorum cum Græcis in religione concordiam, per suas ditiones promoueret, aduersùs Orientalis secessionis sectatores, quibus Seueriæ Proceres mordicùs adhærebant. Parùm proderat obstinatis mentibus,

Russi ad concordiã cum Romanis inducuntur.

bus,

bus, tum Iosephi Kiiouiensium Antistitis exemplum A. 1491.
& cura, tum Niphonis Patriarchæ Constantinopolitani epistola, quâ eo anno datâ, grauissimè monebat, vniuersos Russos, vti inuiolatam colerent, sentiendi de religione amicitiam, quam Ioannes Palæologus Orientis Imperator, & Iosephus Patriarcha Constantinopolitanus, cæterique tum Pontifices, tum Principes Græciæ; præsentes Florentiæ iniuissent. His causis auersi à Rege, ac Lituania, Seueriæ Principes, prodiderunt Rempublicam, ditionibus suis vniuersis, Mosco subiectis. Nuncius defectionis non leuiter Regem perculit: nihil tamen ampliùs est actum, præterquam quòd per Albertum Kloczko, de iniurijs sit expostulatum. Destinauerat quidem Rex, totis viribus de Mosco vltionem sumere: at acceptis intereà literis, quibus filium Ioannem Albertum, à Ladislao fratre, in Hungaria profligatum, cum victore fœdus pepigisse, nunciabatur: magno Lituaniæ damno, iram omnem in Ladislaum vertit; cladem Alberti, velut sibi illatum probrum, armis vindicaturus.

Quemadmodum verò Hungarici belli cura, iniuriæ Moscouiticæ sensum obtudit: ita deinde subsecutus morbus, omnem belli cogitationem præcidit. Trocis ægritudine deprehensus, cùm initia morbi contemnit, ipsis viæ, quâ Poloniam repetebat, incommodis, malum auxit: ægrè Grodnam deportatus, tum primùm sensit de morte agi, quando remedia in venenum verti cœperunt. Quæ enim ad temperandos febris ardores

A. 1492. Rex Casimirus moritur.

A.1492. miniſtrabantur, exulceratis viſceribus in dyſenteriam impulerunt: cuius deinde curatione intercus aqua, immodicè aucta, artem omnem ſuperabat. Cùm itaque medicus Iacobus Zaleski, iuſſus diſertè de vita Regis reſpondere, ſpem nullam feciſſet, Rex illud vnicum effatus, [*Moriendum ergo*] animum omnem ad ſupremas mortalium curas intendit. Condito teſtamento inter præſentes filios, pecuniam omnem, quam ad manum habebat, partitus, ad Polonos Proceres orationem vertit; vt vellent Ioannem, ſibi mortuo ſurrogare: tum propè cum lacrymis, Lituanos breuibus allocutus, poſtulauit, vt Alexandrum Lituaniæ præficerent. Ioannem deinde & Alexandrum monuit, vt Sigiſmundo fratri prouiderent. Denique Chriſtiano ritu ſacris omnibus permunitus, VII. Id. Iun. deceſſit, vixit annos quatuor de ſexaginta; Lituaniam adminiſtrauit quinquaginta duobus annis. Princeps famâ nominis, rebuſque geſtis inclytus. Staturâ fuit iuſtâ, fronte recaluâ, vultu oblongo ac permacro; linguâ leniter balbâ: animo ac corpore laborum & incommoditatum tolerantiſſimo. Solam frigidam potitare ſolitus; in moribus ac ornatu, nihil aut molle aut ſuperbum, admittebat; ſimillimus Iagelonis. Vagæ libidinis hoſtis acerrimus, legitimæ coniugi addictus: venandi immodicè ſtudioſus: in amicos profuſior. Paucis menſibus Regem præceſſit, Andreas II. Epiſcopus Vilnenſis, Vilnâ oriundus, ſacra eruditione, & ingenij acumine celeberrimus: ſucceſſorem habuit virum illuſtri genere Albertum Tabor.

Andreæ II. Vilnenſis Epiſcopi Mors.

LIBER

A. 1492.

LIBER VI.

DE REBVS LITVANORVM

Sub Alexandro II. Principe.



VLgatâ per Lituaniam Casimiri Regis morte, frequentes ad comitia Vilnam concurrerunt Proceres. Præcipui fuerunt, Simon Olelko Dux Slucensium, Principes Holszanenses, Mscislauienses, ac Giedroycij, Gubernator Samogitiæ Kieyzgailo, Basilius & Michaël, Duces Glinski. Nemo fuit, qui suaderet differendum ad communia cum Polonis comitia negotium. Ne in vnum facti inuidia incumberet; omnes nemine auctore, magno consensu, oblatam legendi sibi Principis arripuerunt occasionem. Certatum est aliquantùm sententijs, inter eos, qui tacitis officijs, in se, aliorum suffragia venabantur; atque eos, qui apertâ oratione, in Simonem Olelkonem inflectere nitebantur. At vniuersorum ambitionem superauit Casimiri, in animis eorum prope spirantis adhuc imago, ac reuerentia; ne filios eius præterirent, præsertim Alexandrum, quem moriturus Casimirus, vltimis vocibus eorum fidei commendârat. Ipse etiam Alexander, dignis eo loco virtutibus iuuenis, magnam spem de se excitauerat, fore vt primam parentis fortunam, suâ indole æmularetur. Coniunctis itaque senten-

Alexãd. eligitur Magnus Lituaniæ DVX.

A.1492. ſententijs, vno omnium ore Dux Lituaniæ renunciatus eſt. Mira inde in populo animorum alacritas, non permiſit proferri capiendæ dignitatis diem: ex loco comitiorum ad D. Staniſlai templum, principali paratu deductus, in paterno ſolio collocatur. Albertus Tabor benè à Superis Reipublicæ precatus, breuiter monito Principi, ne à maiorum veſtigijs deſciſcat, inſigne Honoris, Mitram impoſuit. Supremum Lituaniæ Mareſchalcum, cùm pro more gentis ſtrictum enſem, virgamque porrigeret, ſic præfatum, in vetuſtis monumentis reperi. Superi ipſi, Nomen Iagelonium, Patris Caſimiri imago, atque ab antiquo, in domo veſtra, Magni Lituaniæ Ducatûs ſolium, Te hodie Principem noſtrum creârunt, renunciârunt. Accipe igitur nudum expeditumque ferrum, vt Te ipſum in hoſtes fortem, erga nos integrum iuſtumque exhibeas in hoc imperio; quod à nobis eiuſmodi accipis, vt ſi prouidè ac vigilanter agere volueris, opibus ac viribus, facilè quoſuis alios Principes ſis æquaturus. Virgam enſi, maiorum more, adiungo; vt intelligas clementiâ ac ſeueritate temperandum tibi eſſe imperium. Non ad exterorum inſtituta, ac leges, ratio gerendi inſtruenda erit, ſed ad Lituanorum morem, Vitoldique exemplum; à quo ſi in latus alterutrum deflexeris, Nos, Teipſum, Rempublicam præcipitabis. Negotijs periculoſis ac nimijs, ne tuâ te ſponte inuoluas: nulla verò ſolus tracta, ſed laborem, ne vnum obruat, in alios diuide. Facilis mihi fides eſt, neque plura eum, neque maiore cultu, locutum fuiſſe.

Inaugurātur.

fuiſſe. Aperta enim eius ætatis pectora, non norant; aut in ſermone, dicendi lenocinia; aut in officio, aſſentandi artes. Nondum Reſpublica, à manu rebuſque gerendis, ad linguam & vmbratiles, ac propè de ludo, facundorum concertationes, tranſlata fuerat. *A. 1492.*

Inaugurati Alexandri fama Petricouiam perlata, non leuibus diſſidijs Polonorum comitia exercuit. Placebat pleriſque Alexander, & ſuæ virtutis indole, & metu, ne regno ad alium delato, ſocietas populorum, necdum ſatis firmata, ſub duobus principibus fatiſcat. At plures erant, in quorum offenſionem incurrerat, quòd Principatum Lituaniæ inſcijs Polonis occupâſſet. Querebantur violata ab eo fœdera: metuere ſe præferebant, ne adiuncto ei diademate Polono, aut Lituanorum factum comprobarent, aut ſaltem mali exempli præiudicium ad poſteros relinquerent. Ioanni quoque partim ſpiritus imperioſi, partim res in Hungaria non proſperè geſtæ, plurimùm de populari fauore detraxerant. Hinc vires ſumebat factio, Regni à Iagelonia domo, ad Piaſti poſteros, iteratò transferendi. Tam turbidus conſiliorum ſtatus Ianuſſium Ducem Mazouiæ ambiendi ſtudio Petricouiam exciuit. Venit mille equitum manu ſtipatus, tantumque momenti, præſentiâ ſimul ac potentiâ, rebus ſuis attulit; vt Ioannes propè ſperneretur. His cognitis Regina mater, pecuniam promit, atque liberalibus ſtipendijs, militem properè collectum Ioanni filio mittit. Ita viribus æmulo ſuperato Ioannes, in ſe Polonorum ſtudia conuertit. Metus armatorum,

Ioannes Albertus Rex Poloniæ creatur.

A. 1492. reuerentiam erga defunctum Regem Casimirum reduxit: vt quem ille moriturus commendârat Polonis, eum omnes vnâ voce Regem liberè dicerent.

Alexander in Lituania primas curas ad Moscouiticum bellum componendum conuertit: non armis sed legationibus. Iuerunt ad tyrannum, Ioannes Zabrzezinski, Stanislaus Hlebowicz, & Ioannes Wladyczka, Legati: qui publicè quidem, noui sui Principis nomine de iniurijs ita agerent, vt res ad pacem potiùs flecteretur; priuatim verò pertentarent, quo animo futurus esset Basilides, si filia eius Helena, Alexandro ad matrimonium postularetur. Pleriq; nimirum censebant iniectâ affinitatis mentione Basilidem intereà temperaturum armis, repressurumque finitimorum vexationes. Responsum est à Moscis: quæ de Viazma, Clepenio, Lubociesco, Mescensco, quà exustis, quà occupatis legati essent questi, pleraque à Magno Duce ignorari: aliqua, quæ ex eius imperio contigissent immeritò nuncupari iniuriam: nam post damna per Mescenses, Moscouiæ finibus illata, cùm Casimirus Rex pro eis satisfacere non curâsset, sontium tantùm crimen, gentium iure, vindicatum esse. In priuato, Molczanus Radiononius, ex procerum sententia, Zabrzezinium monuit, pergratè Iwanum Ducem accepturum, si ab Alexandro de nuptijs cum Helena celebrandis interpellaretur. Nihilo tamen pacatiorem se Lituaniæ præbuit Iwanus. Impositâ Liuoniæ finibus ad Naruiam celebri arce, de eius nomine Iwanopoli, dictâ, quò eius oræ claustra

Legatio Alexãdri in Moscouiam.

Iwanus Basilides vsurpat titulũ Domini vniuersæ Russiæ.

contra Liuones ac Finones obtineret, Russiæ vniuersæ *A.1492.*
dominationem animo complecti cœpit. Serpentia in occulto consilia, insolens titulus literis ad Alexandrum præfixus, inapertum protraxit. Hunc enim primum totius Russiæ Dominum se ferre cœpit. Atque hæc est secutorum deinceps malorum inexhausta, ac perpetua materia: cùm Mosci neque volunt ambitiosè sumptum nomen deponere; neque possunt illud rebus exæquare; quamdiu florentissimas Russiæ Prouincias, sub imperio partim Polono, partim Lituano, remanere vident. Tantò posteris constitit, per socordiam Casimiri Regis, prima Surgentis Basilidæ initia, non fuisse armis oppressa: auctis siquidem viribus, creuit non impar potentiæ ambitio, cui ferendæ tandem nostra ætas non suffecit. Crescebant interim iniuriæ: nam & flammis in agros Sierpieiscij, oppidaque grassatus est Basilides; & Russos Duces, varijs artibus, sub suum imperium pertrahere, non desistebat. Repetijt itaque Alexander legationem per Andream Moniuidum Olechnowicz, & Albertum Kloczko. At nihil æqui retulerunt domum legati: totum quippe ius, in cupiditate & armis, Basilidæ erat: incursionum causam à se in Georgium Hlebowicz remouit, obtendens, infestationes eius, coactum se fuisse coercere. Scripserant quoq; Principes Lituani Senatûs, ad Proceres Moscouię; ne permitterent, contra fœdera, Ducis titulos innouari: verùm nihil responsi acceperũt. Nemo erat, qui non perspiceret legationes vltrò missas, aliquam timoris confessionem præseferre, atque in-
de

A.1492. de ſpiritus iam ſatis tumido hoſti, in immenſum augeri: quare armis rem aggredi oportere, ne omnis opera irrito euentu luderetur, & tandem in damnum Lituaniæ recideret. Verùm vt neceſſarium erat bellum, ita perdifficile; cum hoſte opibus valido, & ſucceſſibus elato: quo, nolebat Alexander, Principatûs ſui auſpicia, implicari. Rursùs ergo Albertus Kloczko Moſcuam mittitur, cum ijs ab Alexandro mandatis. Se cruenta Chriſtianorum populorum certamina, per quæ paucorum cupiditas, infinitorum exitio ſaginaretur, extremè periculoſum; Pacem cum Iwano, Connubium cum filia eius, optare: in eam verò rem, multo labore opus non eſſe; cùm poſſit Maiorum Legatorum induſtriâ perfici, qui iam iter ingreſſi, in finibus præſtolarentur, ſecuri commeatûs fidem, literis Iuani conſignatam. Alexandrum Reipublicæ potiùs cauſa (cui optime volebat ſperabatque) quàm priuatæ rationes ad eam affinitatem quærendam impulit. Iwanus certè, vt pronum ſe ad eam oſtendit, ita minimè dubitabat, ſe Alexandri amicitiam, ſuis compendijs æſtimaturum. Populus Lituanus ab ipſa anni huius temperie, triſte animis præſagium perſentiebat. Hyems adulta, tantâ cæli clementiâ ad miraculũ calebat, vt arbores paſſim pubeſcerent, herbeſcerent prata, vernarent flores, aues congererent nidos, genuſque propagarent. Rigidior deinde Martius intenſo quindecim dierum gelu, ac pruinâ, exuſſit vniuerſa. Hinc pleriſque ominandi materia. Nuptias Alexandri in ſpe, velut in flore, peramænas; innumerorum

Alexãder Helenam Iuani Moſci filiam coniugem ſibi poſcit.

rum bellorum segete, tandem fatales futuras: neque hanc Russam Helenam fortunatiorem olim Lituanis fore, quàm fuerit Græca, Troianis. Connubij paciscendi, condendæque pacis negotium Principibus viris commissum est, Petro Bialy Palatino Trocensi, Stanislao Gastoldo Samogitiæ Gubernatori, Theodoro Hrehorowicz Notario Magni Ducatûs Lituaniæ, eâ vnicâ lege, vt quæ antiquitùs Moscouiticæ ditionis fuisse comperissent, ea Iwano permitterent: Lituaniæ verò vindicarent, quæ iam inde ab Olgerdi temporibus ad eum pertinuissent. Auditis legatis Iwanus, breuiter præfatus, se optare vehementer affinitatem & amicitiam Alexandri, illudque solùm vouere, vt fortunatiore euentu concluderetur, quàm quæ inter parentes Casimirum Regem, & Basilium Ducem intercesisset: permisit vt legati cum Senatoribus Moscis, priùs de pacis, tum de connubij conditionibus, transigerent. De pace ita conuenêre: Alexander ius omne in Nouogardiam, Tueriam, & Viazmam abdicaret; Iwanus quidquid Ducum Worotynski possesione antea comprehendebatur, Lituaniæ restitueret. Quantùm ad connubium pertinet, illud maximè ipse Iwanus vrsit, vt scripto Alexander sponderat, permissurum se, vt Sponsa, Russam religionem retineat, neque instituturum vnquam apud eam, vt ad Romana sacra transeat. Cùm acceptarent conditionem legati, sponsalia sunt celebrata magno apparatu: in ijs, permissum non est Palatino Trocensi, vt vices Alexandri absentis sustineret; quòd alteram iam

A. 1492.

Connubij & pacis cōditiones.

A. 1493. coniugem in matrimonio haberet: itaque Gastoldus, his partibus functus est. Legatos Alexandri redeuntes, secuti sunt in Lituaniam, quatuor viri Principes, cum lecta nobiliorum iuuenum manu, vt priusquam Helena ex Moscouia dimitteretur, ex mente Iwani, matrimonij pactionem cum Alexandro conficerent. Certatum est diu, quòd Mosci ab Alexandro sponsionem verbis, Iwani iussu præscriptis, exigerent; Alexander verò pollicitus omnia verbo, literas more Polono conscribi curâsset. Negantibus legatis se eiusmodi literas accepturos, Mareschalcus Lituaniæ Litauor Moscuam vsque missus est, vt literarum sententiam, atque Alexandri studium præsens explicaret. Sed Iwano obstinatè propositum retinente, nihil eâ legatione profectum est.

A. 1494. *Helena Mosco in Lituaniã deducitur.* His ac similibus disceptationibus solennia matrimonij in sequentem annum prorogauit Iwanus. Compositis tandem controuersijs Alexander splendidissimam instituit legationem pro deducenda ex Moscouiâ, sponsâ: non minore magnificentiâ Mosci pompam fecêre. Iwanus parens, ad Deiparæ fanum; frater verò Basilius, Dorohomilouiam vsque comitatus est. Adiuncti non pauci, qui Vilnam honoris causâ prosequerentur, seu ad aulicæ familiæ comitatum, seu quòd aliquorum operam, ad obeundas in Valachiam, & Scythiam legationes, Princeps destinâsset. In digressu mandatum vniuersis, ne priùs reuerterentur in Moscouiam, quàm Helena procerum Lituaniæ conuictu, desiderium

rium suorum, moderari assueuisset. Eorum prætereà industriæ commissus labor, ne alius, quàm Russæ religionis Antistes solemni ritu sponsos iungeret; vt Alexander intra arcem Vilnensem sacellum ædificari iuberet, in quo Helena Russo ritu rebus diuinis commodiùs operam dare posset; denique vt Iwani legatis in Scythiam vel Valachiam ituris, liber securusque per Lituanas ditiones transitus permitteretur. Cùm hæc in Moscouiâ peraguntur, Alexander Princeps, ad Ioannem Poloniæ Regem excurrit: adfuerunt, ei conuentui, Ladislaus Hungariæ Rex, & Sigismundus ac Fridericus Principes Poloniæ. Quid arcanæ consultationis inter fratres fuerit, scriptores alto silentio premunt. Multorum nihilominus sermonibus iactata suspicio fuit, bellum in Valachiam ab illis decretum: vt depulso inde Stephano, quòd ad Turcam inclinaret, Sigismundus substitueretur. Intererat siquidem plurimùm Reipublicæ, quis Princeps, & quàm integræ fidei, eam Prouinciam obtineret: ne fortè admisso Turcico imperio, ipsi lateri Poloniæ, hostis, & periculum, admoueretur. Nondum peractum fuerat consilium, cùm allatus de aduentu Helenæ nuncius, Alexandrum Vilnam reuocauit. Venienti occurrit extra vrbem Alexander, atque magnificæ pompæ apparatu in arcem deduxit. Celebrata sunt, connubialia fœdera, in templo D. Stanislai; conuiuiorum solemnia in palatio regio: Lituanorum ingenti, nullo extraneorum concursu. Mosci omnes per aliquot septimanas liberalissimè sunt habiti, Principes A. 1494.

A. 1494. legationis amplissimis muneribus onerati.

Æstas adolescens, Alexandrum à festis connubialibus, ad bellicas curas vocabat. Sed bellum in Valachiam adornanti, haud leue impedimentum, ex nouis nuptijs, subortum erat. Nam Iwanus Valacho, vti fœderato, fauebat; Mosci verò, gens suspiciosissima, in curia Helenæ agentes, facilè vniuersa coniectare, ac Moscuam renunciare poterant. Vt eam difficultatem submoueret Alexander, per Stanislaum Strumil Pietraszkowicz, Iwano scripsit. Helenam, iam eam ægritudinem, quæ in aliena domo timebatur, ipso temporis progressu mitigâsse. Contentam, eâ maiestate, quam flos Lituanæ nobilitatis, parem eius dignitati, præstaret: neque officijs, neque ministerijs popularium suorum ampliùs egere. Sumptus eos, qui in Moscorum alimenta profunderentur, superuacuos sibi & Helenæ, videri: atque maturum esse, vt in Moscouiam reuocentur. Se Pacis, atque affinitatis initæ memorem, Lituanum Moscumque eodem loco habere; rogare itaque vt eadem Iuano mens esset. Affinibus amicisque communes deinceps hostes atque amicos debere esse: atque ideo æquum omnino, videri, vt quoniam Stephanus Valachiæ Princeps Lituanas ditiones armis infestare non desisteret; Iuanus quoque fœdera cum illo pacta rescinderet. Quid eâ legatione profectum sit, non reperio. Cæterùm nouus rumor de Mielhigiereij Tauricani consilijs, quibus Vkraina irruptioni destinabatur, compulit Alexandrum, vt repetitis simul cum coniuge literis, per Ioannem Drow, auxilia

Moscus fraudulētè agit.

auxilia contra Scytham ab Iuano postularet. Promisit A.1494.
ea in speciem Iuanus, at exitu non præstitit, obtentu ignorantiæ, quòd Alexander neque tempus, neque rationem mittendorum auxiliorum, indicâsset. Quin imò nouarum discordiarum materiam captare eodem anno cœpit. Missis enim legatis, prolixè velut de ingenti iniuria questus est: quòd Alexander Romanæ religionis Antistitem, ad sacra connubialia adhibuisset; templum intra arcem pro Russis non excitâsset; dimissis Moscis, non aulam tantùm Helenæ, Lituanis implêsset, sed ipsum mundum muliebrem, ad morem suæ gentis, formari curâsset. Sequente etiam anno, recentes A.1495.
scintillas veteribus odijs subijcere conatus est. Postulauit enim vt Turcicis legatis liber in Moscouiam, per Alexandri ditiones, aditus pateret; & Scythæ ac Valachi amici sui, in quiete relinquerentur. Respondit Alexander. Permitti non posse saluâ Republicâ, vt Turcæ liberos, quà vellent, transitus habeant: quod ea res apertum discrimen contineret. Vsitatum illis morem à nemine ignorari, Legationum specie, Christianas Prouincias explorare, astu in occasiones inuadendi profuturo. Valacho ac Scythæ omnia pacata fore, modò apud eos Iuanus efficeret, ne suis iniurijs, ad bellum cogant. Ita vltrò citroque missis epistolis, sensim animi irritabantur, gliscebantque semina belli, in diuturnam flammam erupturi.

Quies tamen à bello integrum eum annum tenuit, percommoda Reginæ Elizabethæ, quæ intereà cum *Alexāder lustrat Russiam.*

A.1495. Friderico filio, ac Barbara, & Elizabetha filiabus Alexandrum filium & Nurum Helenam Vilnæ inuisit. Post abitum matris, Alexander cum coniuge ac primoribus Russiam lustrauit, & in futuros casus propugnacula permuniri iussit. In itinere accepit à Rege literas, quibus ad Partzouiensia comitia inuitabatur: at paulò tardiùs eæ sunt redditæ, quàm vt ad constitutum diem eò perueniret. Nihilominus in reditu, flexit iter Brestiam, conueniendi Regis desiderio. Partzouiæ absque arbitris consilio habito, Valachum persequi bello decernunt: Lituanis haud dubiè acriter reclamaturis, si maturè in vulgus res emanâsset. Spargitur ergo nullo auctore rumor, Turcas magnis viribus in Poloniam bellum adornare. Per causam reprimendorum barbarorum, magno studio, in omnibus Prouincijs, miles tam ordinarius ex nobilitate, quàm stipendiarius domi forisque, conscribitur. Crucigeri quoque ac Mosci contra communem Christiani nominis hostem, in societatem euocabantur. Moscus per Ioannem Sapieha Alexandri legatum auxilia pollicitus, postquam Valachici belli suspicio euolui cœpit, amplâ legatione postulauit inhiberi arma, quòd constaret ex Stephani literis, constitutum illi esse, pacem cum Alexandro constanter tueri. Atiam Alexandrum impetus vlteriùs extulerat, quàm vt tam facilè pedem ab incæpto reuocaret. Vti clàm cum fratribus conuenerat, cum ingentibus subiectorum sibi populorum copijs, per Braslauiēses agros progressus, ad Bohum fluuium castris locatis, Regis aduentum

Bellū Valachicum orditur.

A.1496.

tum præstolabatur. Quieto in castris militi, (quemadmodum vulgò valde promptum est, per ocium in consilia Principum curioso sermone inquirere) cùm nihil ab vlla parte de Turcis hostile nunciatur, haud leuis suspicio occurrit, exercitum contra Stephanum duci. Vulgata deinde res ad Proceres, maiorem motum fecit. Collatis sententijs, frequentes Alexandrum Principem adeunt: queruntur nobilitatem tantis impendijs trahi in bellum, de quo nihil in Senatu relatum esset: instant impauidè, (necdum enim veneratio Principum, Senatoriam constantiam, ad assentandi artes emollierat) vt apertè Senatui indicet, quò ducere legiones decreuisset. Alexander causatus, non rectè à se id postulari, quod ipse sine culpa præstare non posset; monuit, vt permitterent ea sileri, quorum notitia plus nocumenti afferret; neq; obnunciarent expeditioni pro Republica susceptæ. Proceres eo responso magis irritati, neque dubij ita se rem habere, vti vulgò spargeretur, palàm obtestantur. Quandoquidem secreti retinendi causâ, consilium suum neque hactenus Senatui, Ordinibusque Lituaniæ aperuisset, neque aperire vellet: se quoque tanquam custodes *publicæ libertatis*, *legum*, *ac Republicæ*, vlteriùs cum nobilitate nequaquam progressuros: quos tamen stipendijs suis auctoratos haberet, eos duci iuberet, quò placeret, se minimè remoraturos. Alexander tanto numero imminutis viribus, ipse progredi ausus non est: sed Stanislao Stanislai Kiszka demandauit curam, vt cum aliquot millium mercenarijs ad Re-

A. 1496.

Senatus Lituaniæ resistit.

Nobilitas ab Alexãdro secedit.

gia

A. 1496. gia castra properaret. Ne intereà reliquus miles ocio torperet, Braslauiam & Viniciam arces magnis impensis exquisitè permuniri curauit. Inopinatâ hac nobilitatis secessione Alexandro Principe retardato, Rex Ioannes cum quadraginta millibus Valachiam intrauit. Quàm aduerso euentu ea festinatio Regi cesserit, memorant Polonarum rerum Scriptores: deductâ nimirum fermè eò re, vt tantùm non sit desertus Rex, in hostico, ab exercitu. Lituanorum auxilia ductore Kiszkâ, non potuerunt in tempore adesse. Superato enim Tyrâ semel, iterumque, cum Valachis pugnandum fuit: neque priùs ad castra iter patuit, quàm hoste, qui aliquot locis occurrerat, internecione deleto. Animosiores ab hoc successu Lituani, vbi primùm salutârunt Regem; postulârunt, vt ad vastandam Valachiam ire permitterentur. Sed Rex maiore propè leuitate prosequendi belli pertæsus, quàm temeritate, illud mouisset, iam apud se missionem exercitui destinauerat. Siue ita animo succubuerat; siue verè corpore æger: vt iustâ relinquendæ Valachiæ causâ, fugæ nomen aboleret, morbum suum obtendit. Dimisso Polono exercitu, Lituani quoque versùs Braslauiam signa mouerunt: in quo itinere Scytharum aliquot manipulos, prædando occupatos, varijs locis, delêrunt. Alexander Braslauiâ in Lituaniam reuersus Petrum Bialy supremum militiæ in Lituania Magistrum, virum bellis non fortunatum minùs, quàm fortem, animam agentem reperit. Successit in eam præfecturam, ex ipsius defuncti consilio, Constantinus

Braslauia & Vinicia muniuntur.

Miles Stipendiarius feliciter bellum in Valachia gerit.

Constãtinus Ostrogius Dux militiæ Lituanæ.

ſtantinus Dux Oſtrogius, rebus contra Scythas geſtis celebris Imperator.

Sequens annus res pacatas domi foriſque habuit: futuris tamen inter Alexandrum & Iuanum Moſcum, inimicitijs, ſeges maturiùs, quàm aliàs, ſuccreſcebat. Vrgebat enim Iuanus pertinaciſſimè; tum templum Ruſſi ritûs in Regiâ, pro Helenæ vſibus, tum vt amotis ab eius latere Romanæ religionis hominibus, ij ſoli ad obſequia & comitatum ſubſtituerentur, quibus communis eſſet cum Helena religio. Præterea legatus à Turcarum tyranno rediens Michaël Pleſzczeiouius, Putiuoli à Præfecto loci, cum Scythis comitibus, aliquantùm fuerat detentus. Detinendi quidem cauſam Præfectus æquiſſimam habuit, quòd & inſolito itinere per Lituaniæ fines penetrare attentâſſet legatus, & Scythas ſecum duxiſſet, qui agreſtes grauibus iniurijs diuexabant. Alexander quoque vt primùm rei geſtæ nuncium accepit, Michaëlem cum ſocijs liberum dimitti mandauit. Nihil tamen horum Iuano perſuaſit, ne inde occaſionem querelis ſumeret. Acceſſit, quòd minùs attentâ inſpectione eorum, qui Principis epiſtolis præerant, aliquid erroris ſit admiſſum, in titulis Iuano præfixis. Mox deinde iniuriæ aliquæ priuatorum vtrinque ſunt ſubſecutæ. Cùm enim Smolenſci negotiatoribus Viazmenſibus aliquid contigiſſet, Iuanus cauſatus Palatinum Smolenſcenſem Georgium Hlebouicium, iniuriam paſsis non ſatisfeciſſe: Smolenſcenſibus, qui in Moſcouiâ verſabantur, res omnes auferre mandauit.

A. 1497. Inimicitiarũ inter Lituanos & Moſcos noua exordia.

A. 1497. Inter Putiuolenſes quoque ac Rezanenſes damnorum aliquid circa confinia illatum, redditumque viciſſim fuit. Furere inde Iuanus, ac per Baſilium Romodanowski grauiſſimè de omnibus expoſtulare: ante omnia verò vrgere, ne Regi Poloniæ bellum contra Valachos gerenti, auxilia ex Lituania ſubminiſtrarentur. Alexander Princeps non ignarus, quantâ ferociâ eſſet homo, verituſque ſubitum bellum, maturè per legatos Iwanum delinire conſtituit. Staniſlao Kiſzka, Mareſchalco, & Ioanni Sapieha Notario Lituaniæ ea Legatio obtigit. Functi illi mandatis eximiè, rem vt erat propoſuerunt Iuano. Alexandrum Principem iniurias, quæ illo inuito in confinijs contigiſſent, ægerrimè ferre, paratumque iudices extra ordinem deſignare, qui ad limites profecti, in rem geſtam inquirant, atque in reos animaduertant. In gratiam Iuani, fœdus cum Valachis, & Scythis, per Gaſparem Hermanowicz nuper pepigiſſe, paratumque eſſe nihil contra eos mouere, modò illi ſinceriùs pacem colere vellent. Scythas enim perinde vt ante initum fœdus, Lituaniæ fines irruptionibus infeſtare: Valachos verò, Turcis bellum in Poloniam adornantibus, liberos tranſitus contra datam fidem permittere: quæ cum Alexander cogatur armis coercere, non poſſe id fraudi eſſe, eius cum Iuano amicitiæ.

A. 1498. *Fames & lues in Lituania.* Modicam ab armis quietem geminata calamitas excepit: nam & incredibili fame plebs vehementer attrita eſt, & inuecto nunc primùm ex venerea lue morbo, fædiùs ea contagio vulgata eſt quòd inſolentis mali remedia

remedia ignota essent. Verùm hæc tenuiorum ferè clades fuit: primores ac nobilitatem appropinquantis Turcicæ potentiæ metus grauiùs exercuit. Nunciabatur enim Turcam, propediem vniuersas vires in Valachiam effusurum. Contra tam validum hostem, concordiâ inprimis opus erat, quæ ex antiquis inter Polonos ac Lituanos dissidijs, admodum nutabat. Plurimùm itaque Alexandro Principi ac Ioanni Regi, in Petricouiensibus comitijs sudandum fuit, ante quàm Lituanorum Ordinum legati in sequentes leges consentirent. Poloni, Lituanique, pro vno deinceps populo, vnoque corpore se gererent: vtrisque eadem Respublica, idem Princeps, esset; qui communibus suffragijs in Polonia lectus, & Rex & Magnus Dux vocaretur. Quicumque per Lituaniam Magistratu, aut honoribus fungerentur, fidem suam Regi iureiurando obligarent. Comitia, consilia, fœdera, bella, res nummaria, vtrique genti, communia essent. His legibus firmatâ domi concordiâ, Alexander ne simul duplex certamen susciperet, Moscum non tantùm in amicitia retinere, sed etiam ad iungenda contra Turcas arma, pertrahere, conatus est. Necdum Moscus Lituaniæ bellum apertè indixerat: at si rem, non vocabula, penses; parùm ab eo aberat. Iam enim vario prætextu per quinquaginta leucas in porrectum excurrentes, latitudinis vltra duas leucas Lituaniæ finibus detraxerat. Dissimulandum tamen fuit Alexandro, in Turcici periculi curas intento: quin & præoccupandus furibundi hominis animus, quem Theodorus Szostak

A. 1498.

Petriconiæ renouatur fœdus Polonorũ & Lituanorum.

Moscus ad bellũ Turcicum inuitatur.

A.1498. falſis nuncijs concitauerat: ſcripſerat quippe clàm Iuano, Helenam ad Romanam religionem capeſſendam vrgeri. Atque fortè legatis Alexandri Staniſlao Hlebowicz & Ioanni Sapieha, non tantùm negotij fuit, aut in refellendo Theodori mendacio, aut in perſuadendo, vt ab vtraque parte deſignatis recuperatoribus, eorum arbitrio, finium controuerſiæ permitterentur. Certè pro ſuſcipienda Valachiæ propugnatione, nequicquam laboratum eſt. Orabant legati, vt quo animo nuper Alexandrum à bello contra Stephanum dehortatus fuerat, eodem nunc Ioanni Regi, & Magno Duci Alexandro, pro Stephano contra Turcas pugnaturis, adeſſet: præſertim cùm id non ſolùm priuati fœderis rationes expoſcerent; ſed etiam communis Chriſtiâni nominis cauſa. At Iuanus confirmauit quidem ſe laboranti Stephano nequaquam defuturum: adiecit nihilominus, ſibi nihil de periculo Stephani innotuiſſe, ac propterea deſtinatum, non priùs ſubſidia mittere, quàm ipſemet ea poſtulâſſet. In ſpeciem verba dedit, animo bellum in Lituaniam coquebat: certus, alieno periculo, ſua augere commoda. Vt faciliùs verò imponeret Alexandro, Ioannem Poloniæ Regem ad noua fœdera inuitauit.
A.1499. Nulla quidem tunc Moſco, cum Poloniæ regno confinia erant: noui tamen fœderis religione implicare Ioannem volebat; vt eum à ferendis fratri ſuppetijs abſtraheret; quemadmodum ipſe deinde euentus, arcana perfidi pectoris euoluit. Alexander nihil repentini à Moſco metuebat integrè intentus Chriſtianorum contra

Chriſtiani cōtra Turcas conſpirant.

Turcam fœderibus. Auctor inprimis Lituanis Ordinibus, vt quæ nuper Petricouiæ per legatos suos sciuerant, ea Vilnensibus comitijs firma, ac rata iuberent, decernerentque. Perfecta est res, ex voto Principis: decreto relato in publicas, tabulas, quibus sua nomina Proceres subscripserunt, atque ad ærarium Reipublicæ sanctius, remisso, vetus cum Polonis consociatio stabilita est. Pax deinde cum Stephano Principe Valachiæ, ac filio eius Theodato, Magni Ducatus Lituaniæ nomine inita est. Denique Ladislao, maximè, Hungariæ Rege, annitente, ita inter Polonos, Hungaros, Bohemos, Lituanos, ac Valachos fœdera conclusa, vt non modò Principes ipsi, sed etiam Prouinciæ omnes illorum, ac regna, mutuam sibi contra Turcas defensionem spoponderint. *A. 1499.*

Sacras hascè curas Alexandri, repentè alio auerterunt perfidæ Iuani artes. Occultè solicitabat Simeonem Bialæ, Andream Mozaysci, & Basilium Osiemiatczyc, Duces, opibus ac possessionum amplitudine potentes, ritibus Græcis extremè addictos, vt in ius ac ditionem Moscouiæ concederent, Seueriam proderent, Lituaniam armis inuaderent. Præmiũ proditionis, interposito iureiurando, spondebatur, ciuitatum agrorumque de Lituania detractorum hæreditas. Homines ob ipsam religionis diuersitatem non leuiter Alexandro & Lituaniæ sinistros, citò defecit constantia & fides. Iunctis simul viribus, Branscum aggrediuntur, atque incolarum Russorum dolo, nullo labore, potiuntur ciuitate; mox in societatem defectionis Czernikouiam, Staro- *Moscus fœdus violat.*

A.1499. dubum, Nouogrodecum, Rilſcum in Seueria pertrahunt. Legati Alexandri, Stanislaus Strumilo Pietraſzkowicz Smolenſcenſis Gubernator, & Theodor Hrehorowicz Notarius Lituaniæ, egerunt ſtudioſè cum Iuano vt de iniurijs ſatisfaceret. Sed ille dilatandi imperij auidior, quàm in fidei datæ affinitatiſque iura obſeruantior, quod hactenus virus arcanis conſilijs coxerat, tandem in publicum apud legatos effudit. Nequicquam ad fœdera, inquiebat, prouocari, quæ toties ab Alexandro violata, nulla pridem eſſent. Eius iuſſu Antiſtites Albertum Tabor Vilnenſem, & Ioſephum Soltan Smolenſcenſem, ſæpiùs cum Helena egiſſe, vt ad Romana ſacra tranſiret: nullum hactenus in palatio ſacellum in Helenæ vſus ædificatum eſſe: Ruſſos proceres ad eiurandam auitam religionem cogi, atque ideo aliquos vt tantum nefas declinarent, perfugium in Moſcouia quæſiuiſſe. Non poſſe itaque ſe facere, vt aut proprias iniurias inultas mitteret, aut ſupplices Ruſſos repelleret: quin imò curaturum ſe deinceps, vt quorum capita, ac patrimonia ſemel in patrocinium recepiſſet, ab ijs vim omnem armis propulſaret. Mox feciali miſſo bellum haud dubium indixit Alexandro, ſi aut profugorum bona repetere pergeret, aut reliquis Ruſſis moleſtiæ aliquid, religionis causâ inferret. Ita ſacrilegæ fœderum violationi, religionis ſpecies prætendebatur, vetere Moſcorum inſtitutò ad bella iniuſta, apud vulgus excuſanda. Cæterùm reuerà dominandi libido, erat; quâ arroganter limites Berezynam vſque proferre, & imperium

Bellum Alexãdro indicit.

rium vniuersæ Russiæ inuadere moliebatur. Manebat adhuc Alexander in ea opinione, posse tyranni furorem per legatos mitigari: quare feciali per Zabrzezinium Palatinum Trocensem, responderi mandauit. Post initam Florentiæ inter Orientales Occidentalesque Ecclesias, concordiam, in qua omnes Orientis Patriarchæ, cum Imperatore Bizantino, Romanum Pontificem caput supremum, Romanæ religionis, agnouerunt: Alexandrum quoque curâsse, vt secundùm veteres Lituaniæ leges, Russi per eius ditiones, concordiæ illi accederent. Iuanum itaque immeritò offendi eâ re, quam vniuersæ Christianitatis consensus, & Niphonis Constantinopolitani Pontificis (cui se subesse Russia profiteretur) literæ ad Kiiouiẽsem Antistem datæ, comprobarent. præsertim quòd Alexander, cum nulla subditorum (nedum cum coniuge Helena) vi, aut minis, eâ de causâ egerit. Præstiturum nihilominus Alexandrum vt querelas partim falsas, partim iniustas, primo tempore per legatos dilueret, modò Iuanus, tam vanis occasionibus, ad soluenda fœdera, atque amicitiæ iura proculcanda, non vellet vti. At Iuanus quando hæc cum legatis tractabat, iam infesta signa Lituaniæ immiserat. Alexander spe omni pacis deturbatus arma inuitus sumpsit. Cum expeditioribus copijs Constantinum Ducem Ostrogium, Smolenscum præmisit: ipse cum robore exercitûs lentiùs subsecutus, primum Minsci, deinde Borysouiæ, aliquantùm substitit. Præcipui ordinum ductores, magistratibus, ac primâ nobilitatis præro-

A. 1499.

Constantinus Ostrogius cõtra Moscum ducit.

A.1499. prærogatiuâ insignes, properè ad Ostrogium concurrerunt: cùm de gerendi belli rationibus in commune consulitur, certis nuncijs ad Palatinum Smolenscensem, Stanislaum Kiszka allatum est, circa amnem Viedrusam exercitum hostilem visum fuisse. Ad eum rumorem, Constantinus copias, quas ad manum habebat, neque maiores, quàm quæ ter mille & quingentos milites non superabant, contra hostem mouit. Hostium aliqui intercepti, non negabant ante paucos dies modicas suorum vires fuisse, sed accursu vicinorum immodicè auctas confirmabant. Augere eos sua, more Moscis consueto, creditum est: itaque contra hostem signa moueri Constantinus iubet. Progressis aliquantùm, ab exploratoribus haud dubio indicio constitit, hostem magno exercitu, Viedrusæ vtramque ripam insedisse: equitatûs partem, à reliquis copijs abstractam in campo duabus leucis dissito, instructâ acie venientes Lituanos operiri: robur ipsum hostium castraque trans fluuium hærere: euntibus in hostem viam inter arbusta paludosis locis impeditam fore. Re ac indicio ad tribunorum consilium reiectis, certatum est sententijs, quid in tam ancipiti causa agendum esset? Plerique censent, audaciâ potiùs, quàm timoris confessione, peccandum; si necesse sit, alterutrum eligi. Mox vno ore, vt in hostem ducantur, conclamant. Emensi magno labore duas leucas, nullâ quiete sumptâ, vt primùm in conspectum hostium venerunt, magno ardore in eos impetum faciunt. Non tulerunt vim, equites Moscorum: vix inchoato

choato prælio, ex aperto campo, versùs castra se recepe- A. 1499.
perunt. Abeuntibus instat Constantinus: at dum ardentiùs sequitur victoriam, perdidit: postquam illatis in apertos campos signis omnibus, paucitatem suorum detexit. Hostis quadraginta millibus equitum, præter pedestres copias, validus, primùm mirari tantillæ manûs audaciam, mox contemnere: tandem motis simul omnibus suis, instantes & stitit, & in fugam vertit. Qui primi in confertos ordines se intulerant, in hostium potestatem venerunt viui. Senatûs, ac militiæ capita, Constantinus Dux Ostrogius, Stanislaus Kiszka Palatinus Smolenscensis, Gregorius Osticus Mareschalcus Lituaniæ, Litauor Chrebtowicz Palatinus Nouogrodensis, Nicolaus Hlebowicz, Nicolaus Zenowicz. Pauci aut vincula, aut ferrum euaserunt. Ioannes Iacynicz, Georgius Wolowicz, Theodorus Niemira, Theodatus Maskievvicz celebres cohortium ductores, propè confecti vulneribus, manu ac ense, viam inter armatos ad tutiora aperuerunt. Constantinus ad Iuanum deductus, incredibilia tormenta tyranni iussu subijt: non pedicis modò seruili more iniectis, sed etiam manibus ad tergum retortis, atque loco manicarum plumbo liquato circumfusis. Nuncius tantæ cladis Alexandrum, Bobrij deprehendit: ad sistendos itaque victoris progressus, castra sunt Obolcios mota. Cur verò deinde Alexander versùs Polociam signa verterit, causam neque reperiri, neque coniicere possum. Constat enim totas hostium vires Ductoribus Iacobo Zacharinicz, Andrea Mo-

Profligatur à Mosco & capitur.

A.1499. zayski, & Osiemiatycijs, in Seueriam conuersas fuisse.
Seueriam totã Mosci occupãt. Quidquid per eam Prouinciam, quà armis, quà perduellium proditione, occupatum non fuerat, totum hac expeditione hosti cessit, Putiuolum, Toropcium, Zolidouia, cum reliquis arcibus, earumque agris. Circa idem tempus Scythæ donis promissisque Iuani concitati, Volyniam sunt aggressi, ductore Acharatgereio, Scythæ Volyniam & Polesiã vastant. Tauricani Imperatoris filio. Agrorum, igni ac ferro vastatio, Volodimiriam vsque ac Brestiam peruenit: prædæ omnis, incredibilis copia educta. His malis longè grauius erat, quod à Turca impendebat: cui auertendo, sperari potuisset Polonas Lituanasq; vires suffecturas, si integræ fuissent: at ærarij publici, bellis superioribus exhausti inopia; cura Principis Scythico Moscouiticoque bello distracta; nihil ferè spei faciebant.

A.1500. Concesserat quidem Alexander IV. Summus Pontifex Ioanni Poloniæ Regi, vt in belli Turcici vsus, decimam Ecclesiasticorum prouentuum portionem, secerneret: sed quòd eadem pecunia Ladislao Hungariæ Regi destinaretur, nihil ex illa in subsidium Lituaniæ conuerti potuit. Alexãder bellum parat. Sub eâ curarum mole Alexander animo nequaquam cadere, sed omni industriâ pecuniam militemque, comparare. Per Lituaniam delectus instituuntur. Ioanni Czarny, Bohemo negotium datur, vt per Bohemiam ac Germaniam stipendijs validas copias colligat. Et quidem stipendia satis maturè Posnaniæ, externo militi numerata sunt: neque tamen tempori ad castra peruenit, rapinis per viam immoratus.

Reges

Reges fratres Ladiſlaus per Matthiam Ciezielicki, & Ioannes per Alexandrum Skorutam impensè pro Alexandro egerunt, vt Iuanum ad æquas conditiones pacis inclinarent. Alexander quoque ne ſe omnino alienum à pace, ferret, Staniſlaum Narbut Moſcuam miſit. Legati oratio exageratè propoſuit Iuano, iniurias ab eo illatas. Duces nempe Lituanæ ditionis, ad proditionem ſolicitatos, poſſeſſiones eorum vi occupatas, vicinos agros ante bellum indictum, hoſtilem in modum, euaſtatos, Conſtantinum Oſtrogium cum aliquibus proceribus, non ad inferenda arma, ſed ad recognoſcenda præterita damna, arcendaque futura, progreſſum; interceptum atque in barbaros carceres coniectum, Seueriam auerſam à Lituania. Hæc omnia quamquam & multa eſſent, & grauia, nihilominus Alexandrum à Chriſtiani ſanguinis ſiti abhorrentem, paratum eſſe & de iniurijs ſatisfacere, ſi quas eum intuliſſe compertum fuerit; & amicitiam pacemque innouare: modò Iuanus ereptas Prouincias, captiuoſque reſtitueret. Nihil tamen æqui apud hominem naturâ arrogantem, & ius atque iniuriam tantùm ex iniuriȩ ſucceſſu æſtimantem, obtineri potuit. Eadem, quæ toties prope ad nauſeam de prætenſis Ruſſæ religionis iniurijs memorata ſunt, inculcabat. Pacis perturbatæ culpam omnem in Alexandrum deuoluebat, eâ maximè causâ, quòd epiſtolæ aliquæ Moſcouiæ Ducis titulos, non ad mentem ipſius habuiſſent, præfixos. Denique querebatur Demetrium Careuum, ſuum ad Romanum Pontificem legatum,

A. 1500.

Prius tamen per legatos pacem tẽtat.

 tum,

A. 1500. tum, in Polonia violatum, comitibus eius haud leuiter vexatis. Purgantibus omnia, ipsâ veritate Regum legatis, ſpondentibuſque Alexandrum per maiores legatos pleniùs ſatisfacturum, atque pacis inſtaurandæ rationes quæſiturum, modò intereà ceſſaretur ab infeſtatione finium: oſtendit Iuanus non alienum ſe ab eo conſilio eſſe. Ioannes quoque Zabrzezinski Trocenſis Palatinus, Lituani Senatûs nomine, literas ad proceres Moſcorum dederat, vt pacis conſtanter colendæ auctores ſuo Principi eſſent; curarentque ne captiui aut adeò barbarè haberentur, aut à rerum diuinarum vſu, acceſſuque templorum, arcerentur. Reſpondit itaque Iacobus Zacharinicz præcipuus procerum; id ſtudium Lituani Senatus pergratum omnibus accidiſſe, collatâque operâ perfecturos, vt deſiderio iſti ſatisfiat, modò Rex Poloniæ legatos in Valachiam, à ſuo Magno Duce pergentes, atque in finibus Poloniæ interceptos, cum mercatoribus Pleſcouienſibus ac Nouogardienſibus liberos dimitteret. Verba hæc Moſcorum, deſtinatis conſilijs omnino aduerſa. Nam ſub finem æſtatis, Demetrius Zylka Iuani filius cum validiſſimo exercitu fines transgreſſus Smolenſcum obſidione cinxit. Alexander tot argumentis edoctus, quàm exigua Moſcorum promiſſis fides eſſet, Minſci agebat, bellum ſi ingrueret è propinquo adminiſtraturus. Czarny quoque tribunus cum Bohemis ac Germanis Stipendiarijs, iam ad initium autumni caſtra attigerat. Datur itaque negotium Ioanni Bialy Samogitiæ ſupremo præfecto, vt exerci-

Smolenſcũ Moſci obſident.

tum

tum contra hostem ducat. Oppugnabatur Smolensćum à Moscis impigrè, ac deiectis mænibus, propè iam patentes habebant aditus. Nihilominus Georgij Pac Gubernatoris, ac Nicolai Solohub præsidio præfecti, virtute singulari, omnis hostium vis, non tantùm in irritum, sed etiam in ipsorummet damnum redijt. Quoties assultu per ruinas in arcem euadere tentârunt, toties insigni clade acceptâ repulsi sunt. Iam Bialy Orszam cum Lituanis castris peruenerat: is nuncius Demetrium coegit; vt propè tumultuaria fugâ obsidionem desereret, atque in ipsam se vsque Mosconiam reciperet. Miscislauia quoque eodem tempore à Ducibus Mozaisci, ac reliquis perduellibus, pertinaciter oppugnata est: sed à Michaële Duce Linguenio fortiùs defensa, spem Moscorum fefellit. Desertâ oppugnatione arcium, nullibi hostes pugnæ copiam ostendebant. Itaque miles omnis stipendijs auctoratus, in castris ad oppidum Hory reliquum autumni inerte ocio perdidit. Tandem colonis miserè exhaustis, Seueriâ sub hostium potestate neglectâ, nullo pecuniæ publicæ in stipendia profusæ emolumento, ad hyberna dilapsus est.

A. 1500.

Ad famã exercitus obsidionem relinquũt.

Sequente anno Alexander, siue quòd motis contra datam fidem à Mosco nuper armis, desperaret posse cum eo agi de pace, siue quòd non multò post mortuo Ioanne Rege, ad ambiendum regnum versis omnibus curis, negotia Lituaniæ in aliud tempus seposuisset: nullos legatos ad Iuanum misit. Offensi sunt eâ re haud leuiter Mosci, questusque est eo nomine Iacobus Zachari-

A. 1501.

A. 1501. charinicz: cui Lituanus Senatus respondit. Nullâ aut Alexandri Magni Ducis, aut suâ culpâ accidisse, quòd legati Moscuam non venissent. Mortuo inopinatè Poloniæ Rege Alexandrum in varias curas distrahi oportuisse, atque ideo nequaquam potuisse destinata suo ordine fieri. Vbi primùm in fraternum regnum successerit, missurum procul dubio legatos, qui de pace certi aliquid constituant, modò intereà Iuanus bello abstineret, & nouis iniurijs nollet difficiliorem pacem reddere. Assentiri videbatur Iuanus. Quia tamen ante hascè Senatûs literas, Demetrium filium cum validis copijs miserat, ad tentandam iteratò Smolensci expugnationem: seuerè eum commonuit, ne ex promissarum induciarum religione, aut obsidionem solueret, aut de pugnandi contentione remitteret. Paruit Parenti Demetrius, neque quidquam aut de aperta vi, aut de occultis artibus neglexit. Nicolaus Hlebowicz acerrimus bellator, (quem integro septennio fortiter contra Moscos, pro mænibus Smolensci decertâsse memoratur) nuper è captiuitate Moscouitica, in quam ad Viedrusam inciderat, regressus, pro parente suo Georgio Hlebowicz arci præerat. Duo iuuenes parentum suorum fortunam, ad Smolenscensia mænia, magno studio promouebant: maiore tamen Nicolaus, quàm Demetrius successu. Hic enim pluribus suorum amissis, rem infectam inglorius reliquit; oppugnationem verò vlteriorem Osiemiatycijs Ducibus commendauit. Atque (vt haud leuiter dolet perfidum, non omnes eius similes esse) Osiemiatyciorum

Mosci iteratò Smolenscum oppugnãt.

Nicolaus Hlebowicz fortiter defendit.

ciorum perduellium longè maior fuit furor; existiman- A. 1501.
tium, suam sibi perfidiam exprobrari ab ijs in vicinia arcibus, quæ in Alexandri obsequio, constanter manebant. In extrema hostium rabie, non vulgari præsidiarijs opus erat, tum fortitudine contra eos, tum fide erga Ducem: quare Nicolaus, omni studio eos sibi deuincire contendit. Quidquid auri argentiuè facti, quidquid aut pecuniæ aut pretiosioris supellectilis in paterna gaza reperit, vniuersa inter militem partitus, insuper decem millia argenteorum, Imperialium vt vocant, nummûm, in militaria munera, alieni æris contraxit. Miles liberalitate Ducis, ad labores ac pericula insigniter auctoratus, promptissimè omnia munia exequebatur, siue mænia essent reficienda, siue hostis repellendus. Magnam munitionis partem hostis bellicis machinis deiecerat: neque multùm obsessi ab vltimo discrimine aberant; si Mosci per æquatam ruinis viam, totâ simul vi in arcem conniterentur. Nicolaus itaque, spe deditionis iniectâ, vnius noctis inducias postulat: neque abnuit hostis, suarum cladium pertæsus, hâc solâ lege, ne per eam noctem, securium, vllus in arce vsus esset. Spopondit Nicolaus: at in locum securium, serrarum adminiculo, ad secandas pro vsu arbores, substituto, mirâ militum alacritate ac industriâ, ita hiantia mænia ligneis obstruxit operibus, vt nihil ad retinendam arcem desideraretur Osiemiatycij desperatâ Smolensci expugnatione, Miscislauiam vires conuerterunt, nihilo fortunatiore euentu. Nam ab Iuano Duce Solomerecki,

A. 1501. merecki, vrbis ac viciniæ Præfecto, viro militiâ probato, feliciter sunt reiecti. Intereà Sachmates Scytha, Tanai ac Volgâ superatis cum Nicolao Chalecki, Alexandri legato militari, Seueriam inuasit. Superiore enim adhuc anno inter Sachmatis Oratores, Polonosque ac Lituanos Proceres Cracouiæ solemni fœdere conspiratum fuerat, vt bellum communibus viribus contra Moscum gereretur. Fœderis ineundi rationem barbaro ritu eiusmodi Scythis fuisse memoratur; infusam strictis frameis frigidam, atque ex acie ferri destillantem singuli sorbebant, additâ execratione, vt qui prior ab eo fœdere recederet, instar eius aquæ interiret. Ex eius fœderis pacto Sachmates centum millibus equitum Seueriam aggressus, procerum qui à Lituania ad Moscos defecerant ditiones, latè vastauit: Nouogrodecum vi, reliqua loca per deditionem recuperata Chaleccio, Alexandri nomine obtinenda, restituit: peragratâ Seueriâ, Machmetgiereium Tauricanum Principem armatos apponere ausum, cruento prælio fudit: fixis deinde ad Borysthenem haud procul Czernihouiâ castris, Chaleccium adiunctis suorum primis, ad Alexandrum misit; vt narratâ rerum gestarum serie, permoueret Alexandrum ad occupandam exercitu Seueriam, coniungendas vires, instandum victoriæ: cùm propè debellatus Moscus, opprimi prorsus paruo negotio posset. At Alexander, ne absens æmulatione fratrum à regni spe excluderetur, maluit neglecto bello, domi inuigilare in occupandam successionem fraternam. Petricouiæ Poloni

Seueria ope Scytharum Moscis adimitur.

Alexāder Dux neglecto bello circa ambiendū

Poloni comitia nouo Regi renunciando frequentes agebant, Friderico Archiepiscopo Gnesnensi interrege Rempublicam administrante. Ipse quidem Fridericus anceps incertusque suffragij inter tres suos germanos, Ladislaum Alexandrum ac Sigismundum hærebat: quare exspectabat in quem studia votaq; nobilitatis magis inclinarent. Non pauci erant, pro Sigismundo Opauiæ ac Glogouiæ Principe: plures longè pro Ladislao Hungariæ Rege, quem etiam per Mareschalcum regni Kmitam vrgenter Budzyno euocabant ad capessendum diadema. Verùm Ludouici Regnum, Reipublicæ cladibus exhaustoque ærario publico, infame, tum Ladislai Varnensis recordatio, ominosum, multisque execrabilem reddebant in Ladislao, titulum Regis Hungariæ. Neque minùs anxios tenebat metus; ne si Alexander præteriretur, Lituania à Polonis secederet. Tanta inter Polonos studiorum diuersitas, ita Alexandrum commouerat, vt reluctantium sententias vi ostentatâ, in se inclinare cogitârit. Verùm ferox, magisque eius rebus obfuturum consilium, Mater Elizabetha discussit, diuturno Polonorum vsu probè edocta, liberæ gentis animos citiùs flecti posse prudentum legatorum industria, quàm metu armatorum. Missi itaque sunt Petricouiam Albertus Tabor Vilnensis Antistes, Ioannes Zabrzezinski Mareschalcus, & Nicolaus Radiuilus Prægustator Lituaniæ: qui ex antiqui fœderis legibus; ita pro Ordinibus Lituaniæ, cum iure ferendi suffragij comitijs adessent, vt quà priuatim, quà publicè, ea Po-

A. 1501. Poloniæ regnum occupatur.

A. 1501. lonorum auribus inculcarent, quibus animi, Alexandro conciliarentur. Plurimùm momenti eorum industriæ contulit, quòd quam ante triennium Lituani Polonis Petricouiæ fœderum instaurationem promiserant, eam auctore Alexandro Vilnæ perfectam, Magni Lituaniæ Ducatûs sigillo, ac viginti quinque præcipuorum procerum signis manuque communitam, in publicum Polonorum consessum attulerint, eisdem publicè tradituri, si Alexander Rex renunciaretur: sin præteriretur, rescissuri. Eâ re maximè permoti, summâ concordiâ Poloni Alexandrum Regem dixerunt. Neque Ladislao potuit non probari eorum consilium: quo, validas gentes, societate nomini Christiano perutili, in vnam Rempublicam coalescere videbat. Hæc fuerunt, quæ Alexandrum morata sunt, ne vti condixerat, vires sui exercitûs cum Sachmate contra Moscos, ac Tauricanos, in tempore coniungeret. Quare cùm iteratâ legatione apud Alexandrum Sachmates expostularet, quòd tanto tempore Polonorum Lituanorumque copias expectando, suos tum alimentorum inopiâ, tum aëris inclementiâ, planè confecisset: responsum est. Regem mox ab inauguratione suâ, cum milite affuturum, curaturumque, vt quidquid intereà incommodorum Sachmates perpessus fuisset, abundè compensaretur. Legati amplis muneribus ditati, neque minoribus promissis onerati, spem affuturi propediem cum exercitu Regis ad suos retulerunt. Verùm crescente in dies difficultate annonæ, grauiùs eâ premebantur, quàm vt diutiùs

Sachmates, à Tauricanis profligatur.

tiùs ferendam moram, spes sola persuaderet. Pars potior exercitûs, vna cum coniuge Sachmatis, in Tauricam Chersonessum transfugit: reliquum eius exercitum, Mendligereius nuper parenti mortuo successor Principatûs suffectus, inuasit, atque penitùs profligauit. Sachmates cum Hasako Soltano fratre, ac primoribus aliquibus, Kiiouiam ægrè ex clade euasit. Quamquam verò Kiiouiæ ab eius Prouinciæ Palatino, Demetrio Duce Puciatcicio humanissimè acceptus, perquam munificè cum suis haberetur: ex dolore tamen amissi exercitûs, irâque in Polonos ac Lituanos, vix sui potens, vindictam non in Tauricanos, sed in Alexandrũ, cuius promissis tanto interuallo è patria euocatus, ac demùm proditus propè esset, animo agitabat. Captato tempore, cum trecentis equitibus, clandestino itinere, aut potiùs fugâ, Bialogrodum petiit: eâ mente vt conquisitis à Turcarum tyranno auxilijs, Alexandri ditiones inuaderet. Verùm ab amicis è Regiâ Constantinopolitanâ monitus, in gratiam Mendligereij, Bialogrodensibus negotium secreto à Turca esse commissum; vt eum in vincula coniectum Constantinopolim deueherent: retexuit telam, atque Kiiouiam rediit. Existimabat siquidem, quæ aduersùs Alexandrum machinari cœperat, necdum in publicum erupisse. At vt fortè occulta ea manserint, Palatinus nihilominùs non temerè priore fugâ in suspicionis occasionem acceptâ, Sachmatem Vilnam relegauit, vbi opulentè quidem, sed additis vigilibus, ad Brestensia vsque comitia habitus est.

A. 1501.

In Russia exul proditionis causâ capitur.

Alexāder Rex Poloniæ coronatur. Exeunte hoc anno pridie Id. Dec. Alexander à Friderico fratre ſolemni diadematis impoſitione, Rex Poloniæ inauguratus eſt Cracouiæ. Februario proximo

*A.*1502. Helena coniunx è Lituania venit, ſed quòd Græco Schiſmati pertinaciter, addicta alienam ſe plurimùm à Romana religione gereret, non permiſerunt Poloni vt Reginarum more coronaretur. Poſt ſolemnia inaugurationis procurata, atque res Polonas compoſitas, Alexander Rex, ad Moſcouiticum bellum, fœdere ſiſtendum, conſilia vertit. Operis toties infeliciſſimè tentati, ex voto conficiendi occaſionem ac ſpem, non incommodum præbere videbatur, Turcici belli prætextus.

Pacem cū Moſco tētat firmare. Pontifex ſummus Alexander, per Cardinalem Ragnuſium, grauiſſimè Chriſtianos Principes vrgebat, vt inito communi fœdere, vires ſuas omnes, ad Turcam damnis Chriſtianorum creſcentem, opprimendum conferrent. Huic conſilio inprimis, neque leuiter, apud Alexandrum obſtabat, cura belli Moſcouitici. Itaque Cardinali auctore, à Ladiſlao Hungariæ Rege Sigiſmundus Santai, cum Regiâ ac Pontificiâ epiſtolâ, ad Iuanum mittitur. Nunciatur ei exageratè, quantùm periculi Chriſtiano nomini impenderet à Turca, qui Græciâ ac Thraciâ potitus, Italiæ, atque adeò vniuerſæ Europæ inhiaret. Inuitatur ad communem Chriſtianorum cauſam armis ac milite iuuandam, ſeruandum Occidentem, vindicandum Orientem. Quod ſi fortè, id detrectaret aliquâ ex cauſâ: per Chriſtianum nomen rogatur, ne aut proderet aut peiorem redderet rem Chriſtianam,

ſtianam, infeſtando Lituaniam: quòd ea, domeſtico bello implicata; nihil poſſet conferre ad commune fœdus. Reſpondit Iuanus: ſe quoque optare vehementer, vt Chriſtianî omnes collatis in vnum viribus, tyrannidi Mahometanorum obuiàm irent: ſed coactum bello inſtare contra Alexandrum, non poſſe intereà ſuum nomen fœderi aliorum dare. Sentire ſe, quantùm Alexander, vltra veteres iniurias Ruſſæ religioni illatas, nouis laceſſeret; cùm & Bohemicis Germanicíſque ſtipendiarijs confinia Moſcouiæ nuper euaſtauerit, & proximo anno Trans-Volgenſes Scythas in Seueriam immiſerit. Nihilominus à pace ſuum animum non abhorrere omninò: modò Alexander æquas fœderis leges non aſpernaretur, & legatos maiores ad inſtaurandam pacem in Moſcouiam mittere non procraſtinaret. Hæc legato Hungariæ Regis verba data. Cæterùm vix eo Moſcuâ digreſſo, Demetrium filium, Iuanus ad reſumendam Smolenſci expugnationem, cum validis copijs miſit. Iam Nicolaus Hlebowicz celebris eius loci propugnator obierat: parens quoque eius Georgius bello per ætatem impar, poſt amiſſum filium, tam laborioſam prouinciam depoſuerat: atque ea fortè Magiſtratûs mutatio ſpem melioris ſucceſsûs, quàm hactenus habuiſſet, ſpem Iuano fecerat. Verùm Staniſlaus Kiſzka, vir bello exercitatus, Georgio in Palatini munere ſuffectus, collatâ cum Nicolao Solohubo præſidij præfecto, ope, omnem Moſcorum vim, fortunatiſſimè ab arce reiecit. Demetrius iam tertiò attentatæ infeliciter oppugnatio-

A. 1502. Moſcioſtẽsâ ſpe pacis, Smolenſcũ tertio oppugnant.

A. 1502. nis pudore furens, in agros iram effudit, latè viciniam omnem populatus. Nuncius eius cladis Alexandrum Cracouiâ euocauit: relicto in Polonia Pro Rege Friderico fratre, Vilnam venit, atque sine morâ legationem ad Iuanum maturauit. Principes legationis fuerunt, Petrus Minkowski Palatinus Lanciciæ, Stanislaus Hlebowicz Mareschalcus Lituaniæ, Albertus Klodzko Magister aulæ Reginalis, Ioannes Sapiëha Notarius Lituaniæ. Abeuntibus legatis id summopere commendatum est, vt si Moscus consentiret, restituturum se arces, captiuos omnes, ac transfugas, pax perpetua concluderetur, incluso in ea fœderis formula, Liuoniensium equitum Magistro. Ægrè in sex annorum inducias conuentum est, sat fœdis conditionibus. Ignobilioribus enim dumtaxat arcibus, Ieunâ, Rudâ, Wietlicâ, Szesuecio, Ozieryscio, receptis, non Prouinciæ modò integræ cum transfugis, sed etiam proceres ad Wiedrusam capti, in Moscorum potestate sunt relicti. Pro Liuonia ægrè obtentum, vt Palatinis Nouogardiæ ac Plescouiæ negotium omne committeretur, tractandæ cum Liuonibus pacis. Denique constitutum, vt induciarum tempore de rationibus firmandæ in perpetuum pacis ageretur. Venerunt vicissim Vilnam Moscorum legati, tum firmandarum induciarum causâ, tum maximè vt Episcopi, Cracouiensis ac Vilnensis, sponderent non facturum Regem, vt Regina ad Romanam religionem vrgeretur. Legatis Vilnæ agentibus nouarum turbarum materia in confinijs recruduit, illatis relatisque mutuò,

Inducias sexennales admittũt.

mutuò, inter Smolenſcenſes, ac Starodubenſes iniurijs. Itaque properare Moſcuam Matthias Kuncewicz coactus eſt, vt Regis nomine apud Iuanum procuraret, ne priuatorum audacia, paci publicæ fraudi eſſet. Matthiâ reuerſo, legati Moſcouitici liberè abiuerunt.

Lituaniâ quieſcente, vicina Liuonia grauiſſimo bello ardebat. Gualtero Platembergio Liuoniæ Magiſtro cedebant res ex voto: nam ſemel iterumque aperto prælio validiſſimis Moſcorum copijs profligatis, ditiones Iuani latè populabatur. Non procul Pleſcouiâ, cùm non integra quatuor, ad pugnam, haberet millia, ab hoſte, nonaginta millium copijs, cinctus eſt: neque multùm ab extremo aberat diſcrimine. Deſperatis humanis auxilijs, vota ad ſuperos erexit. Prouoluto in genua, atque Deiparæ Virgini exercitûs fortunam commendanti, eiuſdem Virginis, manu filium geſtantis, ſpecies, ſpectandam ſe in aëre obtulit. Plenus ab eo viſo ſpei ac animi, tormenta catenatis globis onerata, in hoſtem dirigi iubet, ac explodi: mox turbatum eum, nutantemque totis ſimul copijs adoritur: non diu Moſci impetum Liuonum, cæleſti quodam ardore pugnantium, ſuſtinuerunt; fugati, cæſique, ingenti planè ſtrage. Attrito hâc Liuonicâ clade Moſco, in Lituania ſperabatur facilior perpetuæ pacis ſtabiliendæ ratio: atque ideò miſſi ſunt Moſcuam Staniſlaus Hlebowicz Polocenſis Palatinus, Theodatus Sapieha Gubernator Smolenſcenſis, Lituaniæ Notarius. Commendatum fuerat legatis, vt ea reſtitui vrgerent, quæ Iuanus Litua-

Liuonicũ bellum.

A. 1503. Pax cum Moſco perpetua tentatur, nullo euẽtu.

niæ

A.1503. niæ detruxerat. At ille ab aduerſo expoſtulare, quòd nouâ iniuriâ ab Alexandro laceſſeretur, titulis quæ ei deberentur, in literarum fronte imminutis; negare quidquam contra ius ac æquum factum, eas prouincias occupando, quæ ab Auorum memoria, imperio Ruſſiæ continebantur: pertinaciſſimè tueri, vniuerſæ Ruſſiæ dominium, ſoli ſibi, vti verò veterum Ducum hæredi, deberi; atque ideo nullo iure ab Alexandro, Smolenſciam, Kiouiamque poſſideri: neceſſe omnino eſſe ad perpetuam pacem ſtabiliendam, vt ijs quoque Prouincijs Alexander cederet. Infectis rebus legati Moſcuâ diſceſſerunt. Peridem tempus Euſtachius Daskowicz, celebris ac fortunatus contra Scythas, velitum tribunus, religione Ruſſus, ſiue perduellium Seuerienſium ſuaſu, ſiue ſuâ ſponte, in Moſcouiam ex Vkrainâ transfugit, prædijs nobilium obuijs ſpoliatis, multiſque liberorum capitibus, vi ſecum abductis. Miſſus eſt Matthias Kuncewicz, qui ex induciarum ſexennalium lege, transfugam repeteret: ſimulque dilueret vanam Iuani querimoniam, de titulorum erroribus, qui ſcriptoris, Sclauonicæ linguæ prorſus imperiti, ignorantiâ, in regias literas, irrepſerant. Excuſationem erroris acceptari; videbatur: at reſtitutio Daskouicij apertè eſt negata. Induciarum enim legem, ita interpretabatur Iuanus, vt ſolos agreſtes, ac facinoris alicuius reos, eâ comprehendi diceret, non autem capita libera, aut viros officijs militaribus, ciuilibuſúe inſignes.

Legationibus eiuſmodi, per magnam anni partem, pace

paceægrè protractâ, maturo iam autumno nunciatur Regi, Scythas Tauricanos circa Pripetium, grassari per ditiones Lituaniæ. Datum negotium properè Simoni Olelko, & Georgio Dubrowicki Ducibus, vt hostiles progressus sistant. Simon quidem, iunctis cum Ioanne Buczacki, Podoliæ nobilitatis viro præcipuo, viribus, ad Vszam amnem, loco sex leucis Bobroysco dissito, hostem nactus, felicissimè eum profligauit, captiuos recepit, ac maiorem duplo hostium numerum in captiuitatem abduxit. Georgio longè aliter cessit expeditio: fusus enim ab hoste, præter alios Gregorium Glinski, & Hornostaium, viros primæ nobilitatis, amisit. Instaurauit rursùs irruptionem Bitigereius Tauricani Reguli filius, atque rectà Sluckum duxit, vt nuperam cladem, à Simone acceptam, vindicaret. Simon inspe- rato oppressus bello, impar aperto certamini, exiguum, qui ad manum erat militem, intra mænia continuit. Bitigereius veritus, ne à tergo circumueniretur; parte copiarum Sluckum cinxit, reliquis vastitatem, latè vulgauit. Arx, ciuitasque Kleckum exustæ. Nesuisienses agri in cineres redacti. Deinde vniuersus exercitus, haud procul Nouogrodeco, signa in Poloniam flexit: atque in Sendomiriense territorium, facto impetu, superato Vistulâ, Pascranouiam vsque, vastando obuia, progressus est. Tam felici successu accensi eorum populares, tertiò repetierunt irruptionem, per Slucenses agros Nouogrodecum ducturi. In prima trepidatione, Albertus Gastoldus, Georgius Niemirowicz, & Stanislaus

A. 1503. Scytharũ in Lituaniam irruptiones, vario euẽtu.

A.1503. ſlaus Kiſzka, rapto ſecum domeſtico milite, ad Simonem Olelko concurrerunt. Inde hoſtem eius veſtigijs, ſecundùm ripas Pripetij, ſecuti, haud procul Grodko adoriuntur: commiſſo prælio cædunt. Præda ingens, ac præſertim hominum recepta eſt. Ex victoribus deſiderati, pauci: in his, præcipui, Raczko Maſzkiewicz, & Zyniewicz eques Wolkowiſcenſis territorij. Ad publicum, ex hoſtili vaſtatione, mærorem; acceſſit Regi domeſticus, amiſſo fratre Friderico Cardinali. Fuit Princeps corpore procero, vultu dignitatis pleno; moribus autem longè infra Principem. In otio enim ferè, ac compotationibus vitam exegit: atque, vt erat animo deiecto, plerumque cubiculis humilibus, fumoque ſquallentibus, delectabatur.

A.1504. *Moſci quieſcunt amiſſo ſuo Duce Iuano.*

Quies deinceps ſubſecuta, nihil Scythis, nihilque Moſcis mouentibus. Scythæ enim ſuperioris anni irruptionibus ad repentina exercitatos, laceſſere ampliùs non audebant. Moſci verò, operâ legati regij, Theodati Dolgirdowicz in quiete ſunt retenti: quamquam priuatæ inter Starodubenſes & Smolenſcenſes iniuriæ, non leuem turbarum materiam miniſtrâſſent. Acceſſit non leue momentum paci Lituanæ, ex morbo primùm, tum ex morte Iuani Baſilidæ Magni Moſcouiæ Ducis, quam eo anno contigiſſe Ruſſorum annales tradunt. Domeſticorum motuum metus, ab externis bellis, curas Moſcorum auertit. Iuanus ſiquidem Demetrio Zylka maiore natu filio, ſuâ manu nuper trucidato, ex facti eius pœnitentia, nepotem ex Demetrio ſuſceptum, eiuſdem

eiusdem nominis iuuenem, successorem sibi designauerat. Deinde suasu coniugis Græcæ, ex qua habebat filios Basilium, Georgium, Simonem, Andream, mutatâ sententiâ, ac Demetrio in vincula coniecto, Basilio imperium destinauit. Morti verò proximus, iterùm Demetrium ex carcere ad populum productum, Magnum Ducem sibi suffici iusserat. Iuano mortuo, Basilius paternæ voluntatis iura minimè reueritus, imperium vi, vti hæres, inuasit: nepotem in ascetarum claustra compegit. Non deerant Demetrio, eius causæ patroni, neque defuturi videbantur (vt nulli factioni sua capita deesse solent) si quid auderet, bello Duces. Fratres quoque, non sperabatur, moderatè laturos nouum Principem, qui parentis vltimis mandatis proculcatis, gradum sibi ad Principatum fecisset. Præterea, vt moris est finitimis populis, eiusmodi occasiones ad firmandas res suas captare, Scythæ Casanenses grauiter ab Iuano attriti, numerosissimis copijs in Moscouiam irruperunt, magnamque cladem intulerunt. Hæc magis, quàm induciarum religio, Moscos eo anno, à solita Lituaniæ infestatione continebant. *A. 1504.*

Quamquam verò tam perturbato Moscouiæ statu, non leuiter vrgeretur Alexander, ad ea recuperanda, quę Basilius primùm, deinde Iuanus Moscorum Duces, Lituanæ ditioni detraxerant: maluit tamen prior, nouum Ducem legatione experiri, quo animo esset. Iuerunt Moscuam legati, Georgius Hlebowicz Vitepsciæ Gubernator, & Ioannes Sapieha Lituaniæ Mareschal- *A. 1505. Pax cum Moscis irrito euētu tentatur.*

A. 1505. cus. Actum est de perpetua pace, his dumtaxat conditionibus: vt ablata, & captiui, ex fide restituerentur. Basilius cupidum se pacis præferebat: sed mordicùs obstabat, ne de restitutione ageretur, constare sibi testatus, quod nihil alieni possideret. Quantùm ad priuatorum damna circa Smolensciæ, Vitepsciæ, Polociæque confinia pertineret: tum ipsis legatis, tum nouo Regis internuncio Gregorio Horemyika respondit; instituturum se quæstionem, neque permissurum, vt impunè abiret, quidquid à suis contra induciarum leges, attentatum deprehenderet. Eadem repetijt per suos legatos: simulque postulauit ne soror sua Helena ad ritus Romanos suscipiendos solicitaretur, neúe iter per Lituanas ditiones Italicis Danicisq; legatis in Moscouiam negaretur. In vtrumque Alexandro lubenter consentiente, pax ab hoste, non diuturna, fida tamen fuit: quam domi res turbulentæ, exceperunt.

Turbæ in Lituania.

Michaël Dux Glinski, vir primariæ nobilitatis, originis Russæ, ingenio inquieto atque ambitioso, exterorum Principum, apud quos diu egerat, gratiâ celebris, auitis opibus, atque Regis Alexandri fauore potens, Regem aulicis artibus induxerat, vt Præfecturam Lidensem Christophoro Ilinicio, nullo eius crimine, ademptam, Andreæ Drozdza Michaëlis affini, attribueret. Res erat exempli insolentis, planè aduersa Lituaniæ institutis, tum longo vsu, tum Magnorum Ducum ac ipsius Alexandri iureiurando, firmatis. Neque enim per leges Lituaniæ licebat Principi, Præfecturas eiusmodi

modi alicui collatas, pro libito abrogare. Quare Ilinicius Senatûs fidem, opemq́ue inuocare, ne permitteret, equeſtria iura, legeſq́ue, quibus magna ac præcipua libertatis pars contineretur, ad priuatorum cupiditates ſaginandas violari, ac conuelli. Non pauci fuerunt, qui Regi conſtanter obſtiterunt, atque Ilinicio Præfecturam armis aſſeruerunt. Offenſus eâ procerum conſtantiâ Rex, auctore Glinſcio in Ilinicium vincula decernit, Ioanni Zabrzezinski Moniuido, Lituaniæ Mareſchalco, Palatinatum Trocenſem, abrogat, Bartholomæo Tabor Epiſcopi Vilnenſis germano Præfecturam Surwiliſzki adimit, atque Samogitiæ Epiſcopo donat: alios, quà apertè, quà clam variè inſectatur. Nemo dubitabat, Principem ad inſolitam ferociam non ſuo ingenio ferri; ſed Glinſcij continuâ ſuaſione, impelli: eum itaque collatâ operâ euertere, qui magis iram Regis ſenſerant, aggreſſi ſunt. Spargitur in vulgus nullo certo auctore, rumor: Michaëlem Glinſcium, oppreſſis Lituani ſanguinis proceribus, occupando Lituaniæ Principatui inhiare: atque ab eius ambitione, Alexandrum non ſecurum vitæ ſuæ eſſe. Siue fabula, ſiue vera narratio, apud pleroſque fidem reperit; communi potentium familiarum fato, quæ eiuſmodi calumnijs, magis ſunt obnoxiæ. Ipſe Glinſcius gratiâ Principis fretus, quantùm contemnebat vulgi ſermones, tantùm in perniciem auctorum eius famæ, artes omnes intendit. Conceptum animo virus ſcitè tegere: æmulorum, in retinenda Lidenſi præfecturâ, factum, vti iniuriâ ac diſcrimine A. 1505.

A.1505. ipſius Principis plenum, inter colloquia quauis occaſione, exagerare, oppugnare. Ignaui, aiebat, non clementis Principis eſſe, edictorum ſuorum aduerſarios, nolle ſupremâ auctoritate, atque adeo, ſi opus ſit, ferro compeſcere. Immeritò libertatis defenſionem vocari, quæ mera contumacium rebellio eſſet; fortaſſe adhuc immatura, ſed propediem adultura; atque niſi tempeſtiuè opprimatur, in publicam perniciem eruptura. Iam non poſſe aliter Reipublicæ conſuli, quàm auctoribus peſſimi exempli extinctis. Atrox in ſpeciem conſilium videri; at reuerà neceſſarium; ſine quo neque Principis dignitas integra, neque Reipublicæ incolumitas, retineri poſſet. Expugnatus quotidianis Glinſcij machinis Alexander, de Staniſlao Zarnowietz Samogitiæ ſupremo Præfecto, Staniſlao Kiſzka Smolenſcenſi, Staniſlao Hlebowicz Polocenſi, Palatinus, Ioanne Zabrzezinski Mareſchalco Lituaniæ, cæteriſque eius ordinis ac factionis, tollendis conſilium init. Indicuntur comitia Breſtiam, vt euocati aliquo prætextu in arcem primores, capi trucidarique poſſent. Ignari regij conſilij, conueniunt pro more, ſatis frequentes: ſed in tempore à Regni Cancellario Ioanni Laski præmoniti, abſtinent ingreſſu arcis. Rex vbi euulgata conſilia ſenſit, tum eiuſdem Cancellarij, tum maximè Ioannis de Oſuiecim, qui ei à ſacris animi expiationibus erat, hortatu, mitigari ſe paſſus eſt: Zabrzezinium tamen Palatinatu Trocenſi mouit; & alios, acceſſu Senatûs excluſit.

Rex primores Lituaniæ ad cædem deſtinat.

Ad

Ad eadem comitia venit exul, ac prope captiuus, Sachmates, Scytharum Trans-Volgensium, Imperator, Vilnâ. Occurrit obuiàm Alexander ad quinque leucas: in aperto campo fixo opulentissimo tentorio, in stratoque latè panno viâ, quâ Sachmati, relicto equo, pedibus ad Regem eundum erat, expectabat. Acceptus à Rege magnâ honoris significatione, atque ad dexteram locatus. Post mutua officia, atque hospitalia colloquia, vt ad plures eius Principum congressûs voluptas vulgaretur, ab vtroque Principe viri apud suos, militiâ clari, Poloni Lituani ac Scythæ, leui gladiorum attactu, ad equestres prærogatiuas sunt inaugurati. Quæ Sachmatis ipsius causam concernebant, Radomiam Rex distulit: quia enim in ijs Polonorum æquè ac Lituanorum res agebatur, communia vtriusque gentis comitia postulabat. Deductus est Sachmates Regis iussu Radomiam splendido comitatu: introductus comitiorum tempore in Senatum incredibili dicendi libertate est questus, se pro Republica Polona ac Lituana stipendia facientem, in hostico, propè proditum: vbi verò exercitum fortunasque omnes prodegisset, contra fidem datam, vim pati: neque libertatem, neque auxilia contra Tauricanos, impetrare posse. Responsum est, Regis ac Ordinum nomine. Quidquid hactenus aduersi expertus esset, nemini alteri, præterquam ipsi Sachmati imputari debere. Euocatum illum quidem esse à Rege, ex auitis sedibus: sed oblatis amplissimis vltra Kiiouiam campis. Monitum esse maturè, vt in

A. 1505. Sachmatis Scythæ Brestiæ, ac Radomiæ cum Rege congressus.

Moscouiæ

A. 1505. Moſcouiæ infeſtationes, cùm iuberetur, intentus; à Turcicâ peninſulà prorsùs abſtineret, ſolumque ſolitas Tauricanorum excuſsiones reprimeret: atque eâ de causâ mandatum fuiſſe à Rege, vt ſedes ſuas Moſcorum finibus admoueret, ne ipsâ vicinitate Tauricanos in ſe concitaret. At Sachmatem nō ſolùm mandati regij immemorem, arma Tauricanis ſpontè intuliſſe, ſed etiam beneficij ingratum, regias in Ruſſiâ ditiones, infeſtas habuiſſe, tentataque ad Turcam fugâ, contra Regem ac Rempublicam conſilia agitâſſe. Quamquam verò ipſe Sachmates, primùm temeritate ſuâ, deinde perfidià, in haſcè anguſtias, de quibus quereretur, ſe conieciſſet: nihilominus Regem, ac Rempublicam, erigendæ eius fortunæ non defore; quamprimùm exercitus à belli Ducibus conſcriberetur, qui nullus modò ad manum eſſet. Subridens ad hæc Sachmates, ſermone ad Regem, digito ad circumſtantes aularum aſſeclas, verſo: Numquid hos bello inhabiles cenſetis? quâ causâ igitur tantus numerus à proceribus alitur, ſi arma, ſi caſtra, ſi campum ac pugnam metuunt? Reſpondit Cancellarius. Vt omnibus populis ſuas; ita Scythis alias, Polonis alias leges eſſe, ac inſtituta. Scytharum gentem prædis finitimorum viuere aſſuetam; ad Principis nutum, domeſticæ egeſtatis leuandæ neceſſitate, vniuerſam militare. In Polonia maiorem rei familiaris curam eſſe ſingulis: neminem inuitum extra patriam ſtipendia facere: domi alios eſſe ab agris, opificijs, ac mercimonijs; alios à Diuino cultu, à iure dicendo, ab arcium præſidijs,

præſidijs, ab obſequijs magnatum: verbo, quemque ſibi vitæ genus ſuo arbitrio legere. *A. 1505.*

Sachmate promiſſis onerato, priuſquam de alijs negotijs ageretur, proceres Lituani, quos Breſtiæ Rex Senatu prohibuerat, in ijſdem comitijs, Polonorum operâ efficere contenderunt, vt ſuperiores animorum inter Regem & Senatum offenſæ, abolerentur. Rex publicè coram Polonis profeſſus, facturum ſe eorum gratiâ, quæ poſtulabant; nihil in Poloniâ præſtare voluit, negotio ad Lituanorum comitia remiſſo. Princeps igitur Lituani Senatûs, Albertus Tabor Vilnenſis Pontifex è loco conſurgens, ſimplici ſed plenâ diuinioris cuiuſdam auctoritatis oratione Regem affatur. Nullâ noſtrâ culpâ, ſed aliquorum ambitioſorum calliditate, exacerbato tuo in nos animo, tulimus hactenus iram tuam, vti officium ſubditorum in obſequio conſtantium exigebat. Aduerſati ſumus, non tuis Regijs edictis; ſed cupiditatibus priuatorum: qui inſtituta ac iura Lituaniæ, Diuorum Maiorum tuorum, tuoque iureiurando ſacroſanctè firmata, tuæ auctoritatis abuſu, conuellere contendunt. Principem te meum, collegarum meorum, ac vniuerſæ Lituaniæ, agnoſco & veneror: at ſimul tuum atque Lituaniæ Pontificem me eſſe ſentio. Pro eo itaque, quod diuinitùs mihi impoſitum onus incumbit: non ignoro, meo me officio ſtringi, ad reuocandum Te ab eiuſmodi conſilijs, quæ iuribus noſtris, tuoque iuramento ſunt aduerſa. Quiſquis noſtrum ea violare attentat, Deum ipſum cordium teſtem, ſcelerum-

Proceres Lituani reconciliare ſibi Regem conātur.

A. 1505. que vindicem obtestor, ne inultum sacrilegum caput relinquat. Vix ea prolocuto Antistite, Rex subitò paralysi tactus, omnes trepidatione, ac stupore, compleuit. Fortassis ex compressa bili, ea membrorum resolutio nimiùm excandescenti, contigit: vulgò tamen prodigij, ac Diuinæ vindictæ loco, habita est. Ob eam Regis ægritudinem cum nihil deinceps agi potuisset, comitia soluta sunt. Rex æger Cracouiam deportatur Sachmates eius iussu, Trocis liberaliter habendus, honesto cum comitatu in Lituaniam redijt. Inde quoque, Nagaiensium Scytharum obsequio, tentauerat fugam, sed interceptus à Lituanis, atque retractus Trocos, arctiore custodiâ seruari debuit: præsertim quòd Mendligereius Tauricanus, non modò pacem, verùm etiam auxilia, per legatos suos, Regi spopondisset, si Sachmatem elabi non permitteret. Destitutus omni ope humanâ Sachmates, ad superos vota vertit, vt per eos ipsos vindicarent iniuriam, in quorum gratiam inferretur. Non irritæ miseri preces fuerunt. Mendligereij miles, ductoribus eiusdem filijs, incredibili clade Lituaniam afflixit. Bitigiereius, ac Burnasgiereius minores natu, mortuo Slucensium Duce Simone Olelkonide, medio Augusto, Sluckum sunt adorti. Anastasia vidua maturè de periculo præmonita, Herois par animo quibusuis viris, properè ex vniuersa ditione suos euocauerat: euocatos sacramento addicit, quòd pro impubere Principe constanter sint decertaturi. Tantâ ergo contentione ab oppidanis, agrestibus, ac nobilitate, res acta est: vt Scythæ

Rex paralysi in Senatu corripitur.

Tauricani Scythæ Lituaniã vastant.

thæ ingenti acceptâ clade obſidionem deſerere fuerint A.1505.
compulſi. Relicto Slucko Nouogrodecum barbari duxerunt. Conuenerant fortè Proceres, conſilium de rationibus placandi Regis, eluendarum calumniarum, euertendíque turbarum fabri, inituri. Nunciato Scytharum aduentu, pauci cum Palatino eius prouinciæ, Alberto Gaſtoldo, defenſionem arcis ſuſceperunt: reliqui trans Nemenum ſe receperunt. Hoſtis vacuam ciuitatem ingreſſus, dato expeditioribus negotio inſequendi fugientes, cum reliquis copijs oppugnationi ſe accingit. Per viciniam, quà Nemenus excurſionem non arcebat, magna ſtrages ferro ac igne edita eſt: arx nullo euentu oppugnata. Gaſtoldus Palatinus, Maſzkieuicius arcis præfectus, Ioannes Tryzna, Niemira, cæteríque propugnatores, ita miſſilibus machiniſque tormentarijs, atque adeo excurſionibus hoſtem fatigârunt, vt deſperatâ arcis expugnatione, ſolâ agrorum prædâ contentus, in Scythiam redierit. Maiorem longè, latiuſque vaſtitatem intulit Mechmetgiereius ſenior Mendligereij filius. Nam Minſcum vſque progreſſus, dimiſſis in omnem partem vaſtatoribus, ciuitatem exuſſit: neglectâ arcis, quam diuturniorem fore videbat, oppugnatione, Viliâ ac Berezynâ fluuijs ſuperatis, per Polocenſes, Vitepſcenſeſque agros impunè graſſatus, militem incredibili prædæ vi onuſtum, reduxit. Memoratur, præter eos, quos ferrum variaque clades, ac præſertim ſenes pueroſque abſumpſit, centum millia mortalium, ætate ac viribus validorum, ex Lituania & Alba Ruſſia in ca-

A. 1505. ptiuitatem fuisse abducta. Vastitatem ab hoste illatam pestifera contagio Minsci, & per alias vrbes excepit. Tam frequentes in profunda Lituaniæ Scytharum excursiones Ordinibus ansam præbuerunt, vt Vilnæ meliùs muniendæ curam susciperent.

A. 1506. Vilna muro cingitur.

Primo itaque vere proximi anni, nobilium ac populi Vilnensis conspiratione, Regisque iussu, publicis impensis, & antiqui, Inferioris arcis muri, vetustate collabentes, reparati sunt; & Vrbs tota nouis cincta. Rex confirmatis paulisper Cracouiæ viribus, persolutisque Elizabethæ Matri iustis, primùm comitiorum causâ Lublinum deinde in Lituaniam dissidijs procerum laborantem cum initio ferè Veris venit. Vilnæ Tauricanorum legati postulabant Sachmatem tamquam hostem Lituaniæ damnari, si Tauricanos populos in amicitia conseruari Lituani optarent. Glinscius deinde in Senatu, maximè, tum auctor, tum minister fuit sententiæ, quâ Sachmates perduellionis reus peractus, Caunam ad perpetuos carceres relegatus est. Nihilo tamen inde pacatiora Lituani à Tauricanis experti: ingenti exercitu, hoc quoque anno, instaurata est ab eis agrorum vastatio. Cùm collabente Republica, Rex quoque morbo recrudescente, sensim consumebatur: atque Regem quidem solùm morbus, Rempublicam non vnum conficiebat malum: Nam præter continuas à Scythis clades, iustumque à Moscis metum, internæ ex Glinscij factione discordiæ Procerum, incredibiles vires sumebant. Adhibebatur curando Regi opera impostoris cuius-

Sachmates damnatur.

Rex periculum vitæ operâ medici, auctore Glinscio subit.

cuiuſpiam Babinski, qui artis medicæ prorsùs imperitus, Veneficiorum vſu, clari medici nomen apud vulgus inuaſerat, atque cùm Polonus natione eſſet, Græcum ſe ferebat. Hic balneis ac ſudoribus aſſiduis propè enecabat infirmum. Monebant Regem familiares Medici, ne fideret homini, qui inſigni ſimul imperitiâ atque audaciâ, rebus ægro periculoſiſſimis, medicamenta adhibendo, apertè maturaret vltimum diſcrimen: verùm vrgentibus Regem fatis, ſana ſuadentes, tamquam inuidiæ odioq́ue obnoxij æmuli repulſi ſunt. Cancellario tamen Regni non vana medicorum monita videbantur: captum itaque Babinſcium in vincula iubet conijci, è quibus Glinſcij operâ elapſus, quæſtionibus ſe fugâ ſubtraxit. Hinc ſuſpicio & fama inter pleroſque vulgata eſt, à Glinſcio eum ſubornatum fuiſſe, vt medicamentorũ ſpecie, Alexandrum è viuis auferret. Nemo tamen erat, qui Glinſcio attentatum in vitam Regis ſcelus, obijcere palàm auderet. Proceres plerique Regi offenſi, ad vitandam cum Glinſcio concertationem, deſertâ curiâ atque publico, domi rem priuatam curabant. Glinſcius autem, ſolus ferè, in abſentia aliorum, conſilia Regia adminiſtrabat. Nunciatur intereà Vilnam, Tauricanos in Lituaniam mouiſſe. Rex incommodis belli ferendis iam debilis, nobilitati, quam ſuis edictis in eam occaſionem ad arma euocauerat, committit, vt hoſtibus occurrat. Nobilitas Glinſcij artibus concitata, negat ſe ſigna moturam, niſi præſente Principe. Glinſcius, tametſi conſtitutum haberet, Re- gem

A. 1506.

Cogitur ire æger ad caſtra.

A. 1506. gem Vilnâ extractum, incommodis viæ, atque adeo vitæ periculo, obijcere; consilium dissimulabat: tum, veluti aliud ipse in gratiam Regis sentiret; necessitati in subitis seruiendum esse, præfatur. Mox subijcit, Regem quantumuis ægrum, deportandum esse Lidam, ne nobilitas prætensâ Regis absentiâ, ex castris dilabatur. Posse inde commodiùs Sigismundo Principi scribi, vt ad suscipienda Lituaniæ gubernacula properet, Regemque fratrem exoneret publicis curis, quibus liber, & morbum medicinas vincentem leuaret quiete; & animum, si spes omnis viuendi præcideretur, ad extremum diem compararet. Vix attigerat Rex Lidam, cùm nobilis vir, ægrè ex vastatorum manibus elapsus, nunciat; hostem igne ac ferro barbarè in omnia sæuire; neque integræ diei itinere Lidâ distare. Faciebat nuncio fidem, vulnus sagittâ in genâ acceptum: mox alij super alios fugâ in castra delati, confirmabant viginti millibus Sluckum destinatis, reliquas copias incredibili celeritate Nouogrodecum tendere. In vanis tamen meticulosorum hominum terriculamentis, hæc sunt habita à plerisque, deceptis; quòd hostium festinatio opinionem omnem superaret. Mittitur centuria Glinsciani equitatûs, ad afferendum aliquid exploratum. Paucis leucis progressi speculatores, in manipulum Scytharum inciderunt: commisso prælio cædunt aliquos, reliquos in fugam vertunt: ad astruendam fidem capita cæsorum in hastis referunt. Tum primùm in castris cessatum dubitari de hoste: omnes expedire arma, ad prælium

lium ſe comparare: ſolus Rex propè furere, quòd eò *A.1506.*
diſcriminis deductus, ne equum quidem præ ægritudine poſſet conſcendere. Augebat tumultum, incerto auctore ſparſus per caſtra rumor, delectorum viginti millia, magnis itineribus rectà Lidam properare. Commiſsâ itaque belli totius ſummâ exercitûs Duci Staniſlao Kiſzka, expeditoque ad Sigiſmundum fratrem tabellario, ipſe Rex, cum Alberto Tabor, Epiſcopo Vilnenſi, Ioanne Laski regni Cancellario, & Ioanne Zabrzezinski Mareſchalco Lituaniæ, Vilnam ſe recepit. Iam pagis, nobilium curijs, templiſque circumquaque ardentibus, ignis fumuſque non dubium indicium faciebant, hoſtem vix ad leucam à caſtris regijs abeſſe. Magnâ itaque celeritate Staniſlaus Kiszka expeditioribus turmis negotium dat, vt dum exercitûs robur, non integra decem millia, expeditur; hoſtem arceant ab effuſa agrorum vaſtatione. Neque infeliciter ab eis res geſta eſt, aliquot manipulis vaſtatorum interceptis, deletiſque. Vbi ſenſerunt Scythæ Lituana ſigna contra ſe moueri, ſuos ad caſtra reuocare cœperunt. Id fore præſenſerat Kiſzka, atque ideo paucis ad veſtigandos palantes per vicina miſſis, vniuerſas copias Nouogrodecum, tum Kleckum, ducit, totâ vi caſtra, in quibus Soltani, cum liberis ac coniugibus, more gentis conſederant, inſperatò aggreſſurus, priuſquam vniuerſi à vaſtandis agris confluerent. Verùm ex quingentis circa Poloncam, ab ea legione, quæ reliquos præcurrebat, profligatis, pauci fugâ ex cæde elati, maturè ſatis, belli

Staniſlaus Kiſzka contra Scythas expeditio.

Duces

A. 1506. Duces monuerunt, Lituanum exercitum inſtare. Cùm igitur iam non poſſet Kiſzka, vti voluerat, inopinatò hoſtem adoriri, inſtructâ ad apertum prælium acie, ſigna ducebat. Nonis Auguſti ad Lipie conſtiterat, poſtero die cum hoſte congreſſurus: verùm eâdem nocte, repentino grauíque morbo correptus, ſuas vices Michaëli Glinſcio committere coactus eſt. Glinſcius vir, & militaribus artibus probatus, & gloriæ auidus, libenter tam ſpecioſam Prouinciam ſuſcipit: millia ſeptem delecti militis, tria non admodum armati, intrepidè contra hoſtem ducit. Bitigereius cum fratre, inſtructis ad pugnam copijs, venientem Lituanum expectabat: Amnis caſtra Scythica lato atque limoſo alueo alluens ſuperandus erat priùs Michaëli: cuius vada, quâ tranſituris commodior videbatur via, validâ ſuorum manu oppoſitâ, præmunierat Bitigereius. Vbi in conſpectum mutuum aduerſæ acies venerunt, Michaël neque loci iniquitate, neque barbarorum multitudine turbatus, dat prælio auſpicium. Ad caſtrorum latus, quod ſtagni paludoſi aquis munitum, negligentibus cuſtodijs tenebatur, cohortes aliquot equeſtres immittit, ſubmiſſis deinde in ſubſidium quingentis, excubias hoſtiles cædit, pecora atque equos, per campos, intercipit. Facto deinde in eam ſtationem impetu, quæ viam regiam inſederat poſt dubiam aliquantùm pugnam, loco hoſtem mouet, atque ad ſuorum ordines reijcit. Purgato iſthîc campo, ſolus amnis interiectus obſiſtebat, ne vtrimque totis viribus concurreretur. Promotâ

Michaël Glinski profligat Scythas.

ad

ad ripam amnis Lituanorum acie, nimbi instar immensam sagittarum vim ab aduerso margine effuderunt Scythæ: at ferè irrito euentu. Quia enim Michaël destinato in eum finem consilio, aciem in latera diducendo, frontem ac corpus exercitûs, extenuauerat; sagittæ vltra aciem impetu delatæ; ferè absque damno militum, equorumque, ab alto in terram rediêrunt. Admotis mox ripæ sclopetarijs, hostes ab aduersa ripâ depelluntur: succedit Lituanus miles, atque prout tempus ferebat, coniectis in amnem virgultis, viam sibi aperit, atque impigrè in alteram partem enititur. Michaël ipse cum fronte exercitûs, confertissimos hostium inuadit, amisso vno ex vulnere equo, in altero prælium vrget. Nouogrodensis nobilitas in latus, in quo Duces hostium constiterant, magno impetu inuecta, primùm aciem hostilem ingenti strage perturbauit. Scytharum Duces suo more signis à prælio cursu reuocatis, laxatâque acie ordines in gyros flectere, ac vno impetu in mediam Lituanorum aciem parabant redire. Sed intereà ab altero latere Grodnensis Minscensisque nobilitas incurrens, gyrum confudit, ordinesque perrupit. In ipso ardore pugnæ, trecenti Polonorum equitum hastati, ductore Czarnkowski, quòd graues armis, properantem Glinscium æquare passu non potuissent, superuenêre. Hinc noui exercitûs species obiecta Scythis, qui ex hastarum lacinijs, militarium signorum per errorem numerum supputantes, metu aduentantium tantorum subsidiorum, prælium campumque deserunt. Multi in

A. 1506.

A. 1506. fugâ, plures Cepræ amnis limo implicati, pecudum instar sunt cæsi. Stagnum propinquum, quia ex influente cruore totum planè rubuerat, nunc etiam rosei stagni nomen retinet. Duces ipsi per paludosa in syluas pedibus eluctati, ægrè ferrum victorum euaserunt. Viginti millia cęsorum in campo numerata: equorum viginti tria millia capta: quadraginta mortalium millia ab hoste recuperata, ac omnis præda. Glinscius amissis in prælio tribus equis, in quarto incolumis ac Victor, pugnâ & itinere fessum militem, in hostilibus castris quiescere iubet: promptioribus insidijs obtinenda varia itinera commendat. Hâc Ducis industriâ quicumque à prælio abfuerant, internecione sunt deleti. Qui enim prælij fortunam ignorantes, castra securè repetebant, in ipsum Glinscium inciderunt: qui de occupatis castris præmoniti, effugia per diuersas semitas quæsiuerunt, insidijs excepti sunt. Neque fortunatior fuit fuga eorum; qui maturè se è campo proripuerant. Nam Anastasia Slucensium Princeps, per omnes vias nobilitatem atque agrestes oportunis locis disponi curauerat: quorum ferro, magna Scytharum vis circa Kopylum & Piotrowicz interijt.

Rex accepto victoriæ nũcio moritur. Tantæ victoriæ nuncius Vilnam delatus, Regem Alexandrum amisso penitùs linguæ vsu, animam ferè agentem deprehendit. Obortis proinde lacrymis, oculis manibusque in cælum erectis, gratam priùs erga Superos mentem, tum conceptam ex Reipublicæ fortunâ voluptatem, professus est: mox hilari, exporrectâque fronte

fronte ad circumstantes conuersus, manum singulis, A. 1506.
quia alloqui non poterat, velut è viuis abiturus, porrexit; atque ita simul beneuolentiæ erga suos officio, simul vitâ est defunctus. Obijt XIV. Kal. Sept. ætatis anno quadragesimo sexto, longè ante Christiano ritu ad extremam luctam legitimè comparatus. Princeps ingenio tardior, sermonis parcus, staturâ mediâ, virium robore eximio, musicæ ac præsertim militari addictus, Doctorum, fortiumque amans, ædificandi negligens, splendidi numerosique comitatûs appetens, cæteris fratribus liberalitate profusior, maturè, vt vulgo dicebatur, mortuus, priusquàm vniuersa prodegisset. Infeliciùs eum imperâsse; visum est plerisque, quòd aliquot Lituaniæ Prouincias amisisset: at non eius infelicitate, sed vitio nobilitatis damnum id Reipublicæ contigit. Nobilitatem enim vt militare ipsam, ita conferre in tempore pecunias ad conscribendum stipendio militem planè pigebat. Quamquam Alexander numquam solitus fuerit id oneris imponere, nisi cum ineuitabilis necessitas inuitum cogeret. A morte eius, diu in consilio procerum est sententijs certatum, de funeris loco. Cracouiam volebant deportari cadauer Poloni, quòd & defunctus id optâsset, & maiorum exempla suaderent, qui sepeliendis Regibus Cracouiam destinârunt. Lituani verò haud vano metu vrgebantur, ne Proceribus ad deducendum Regium funus in Poloniam profectis, Glinscius ex nupero successu audacior, auxilio Russorum, Principatum inuaderet. Consensêre itaque

Rr 2 tandem

A. 1506. tandem Poloni, vt Vilnæ ad latus fratris sui, S. Casimiri, in templo D. Stanislai tumularetur.

Sigismundus Vilnã properat. Duodecim dumtaxat leucis Vilnâ distabat Sigismundus Princeps, Alexandri germanus, Marchio Lusatiæ, Dux Glogouiæ, & Opauiæ, Gubernator Silesiæ, cùm nuncium de Regis morte accepit. Primus Principum occurrit venienti Glinscius, vt promptitudine obsequij, tentati dominij suspicionem dilueret: verùm ipse comitatus, priuati hominis fortunâ maior, septingentorum scilicet equitum, arguebat criminis, apud Sigismundum vix trecentis stipatum. Dissimulauit nihilominus rem prudens Princeps: atque concurrentium procerum affluxu auctus, Vilnam singulari pompâ est inuectus. *Dux Moscouiæ ambit Ducatum Lituaniæ.* Basilius Moscouiæ Dux Magnus, post acceptam notitiam de morte Alexandri properè legatos in Lituaniam misit, specie sororis suæ Helenæ visendæ, mœrorisque ex mariti morte leniendi, reuerà vt viam occupandi imperij in Lituania pertẽtaret. Dederat enim Principi legationis in mandatis secretioribus, vt publicè solandi officio functus, priuatim tũ Helenam ipsam, tum Principes Senatûs, Albertum Tabor, & Nicolaum Radiuilum, cæterosque primores pollicitationibus, atque publicorum emolumentorum exageratâ ostentatione prensaret, ad Basilium Magnum Lituaniæ Ducem renunciandum. Intempestiuæ huius ambitionis consilia celeritate Sigismundi, præcisa sunt. Vbi enim Legatus ab Helena intellexit, Sigismundum præsentem omnium suffragijs Alexandro fratri successorem destinari, nihil ampliùs mouit.

LI-

A. 1506.

LIBER VII.

DE REBVS LITVANORVM

Sub Sigismundo II. Principe.



PErsolutis Vilnæ regiâ magnificentiâ Alexandro iustis, comitia indicta sunt ad sufficiendum Magnum Ducem. Non semel Lituani spoponderant, atque eam sponsionem, etiam Alexandro auctore, nouo fœdere instaurauerant, non facturos se deinceps, vt absentibus Polonis, legendo Magno Duci Ordinum comitia celebrent: sed præsentibus periculis extorqueri visum; ne protractâ Reipublicæ orbitate; ambitiosorum ciuium machinationes, vires sumerent. Incredibili itaque concordiâ omnium, Sigismundus Magnus Lituaniæ Dux est renunciatus atque XIII. Kal. Nou. solemnibus cærimonijs, ab Alberto Tabor, Vilnensi Antistite, inauguratus. Publicas curas à sistendo bello Moscouitico orditur. Scribit Basilio Mosco, se fratri suo successorem datum, optare plurimùm, & inducias ab eo nuper pactas in integro conseruare; & inchoatum pacis perpetuæ negotium fortunato exitu concludere, modò legatis suis de libero Moscouiæ aditu per literas caueret. Respondit Basilius se quoque pacis percupidum esse, atque literas, quas Sigismundus petierat, misit: eâdem occasione Helenam

Sigismundus M. L. Dux pacē cū Mosco inire conatur.

A. 1506. sororem studiosè est hortatus, ne pateretur sibi persuaderi, vt eiuratis Russis ritibus, ad Romana sacra transeat. Intereà Sigismundus Miednikos conuocauit Ordines, de Republica, ac pacis cum Mosco rationibus, acturos. Venerunt ad eum conuentum Polonorum legati ex Petricouiensibus comitijs missi, qui Sigismundum VI. Id. Decemb. omnium consensu Regem Poloniæ dictum nunciabant, inuitabantque Cracouiam, sumendi publicè diadematis causâ. Priusquam ex Lituania abiret, veritus ne per suam absentiam aliquid damni Respublica à Mosco acciperet, Ioannem Nicolai Radiuilum, Petrum Alexandri Moniuidum, & Theodatum Sapieha Moscuam expediuit, vt pacem stabilirent his dumtaxat legibus: si Basilius captiuos omnes, atque arces Lituaniæ detractas restitueret & de iniurijs, quas Dorohobetzense præsidium Smolenscensibus agris intulerat, satisfaceret. Arrogans nimiùm Basilij responsum fuit; nihil à se possideri, quod non legitimi patrimonij iure, superorumque voluntate, à Parente Maioribusque suis sibi relictum haberet: imò non earum tantùm Prouinciarum, quas imperio obtineret; sed vniuersæ omnino Russiæ, vnicum se Dominum ac hæredem esse. Contigerintné aliquæ iniuriæ inducijs cum Alexandro pactis aduersæ, sibi omnino incognitum esse: cæterùm cum Sigismundo nulla intercessisse fœdera, de quorum violatione expostularent legati. Pacem nihilominus colere, omnino se velle; si Sigismundus, pro iniurijs quas Smolensciâ & Miscislauiâ, Mosconiæ fines

Rex Poloniæ renũtiatur.

fines accepissent, satis fieri iuberet; neque permitteret, Reginam Helenam ad mutandam religionem solicitari.

A.1507. Sigismundus Cracouiæ coronatur.

Cum hæc per legatos, Moscuæ disceptantur; Sigismundus splendido procerum Lituaniæ comitatu cinctus, Cracouiam est ingressus, atque IX. Kal. Feb. ab Archiepiscopo Gnesnensi Roza, Rex Poloniæ inauguratus. Ne quid ad publicæ lætitiæ complementum deesset, Ladislaus Rex Hungariæ, Sigismundi senior frater, misso legato Osualdo Karlatz acta Polonorũ comprobauit: & prætensionibus, quarum materiam partim ætatis præiudicium, partim aliquorum suffragia, copiosam suppeditabant, Sigismundo cessit.

Glinscius proditionis arguitur.

In Lituania tandem dissidia Procerum adoleuerunt, atque ingenti publicæ rei damno, in apertum erumpere cœperunt. Mortuo Alberto Tabor Antistite viro forti, ac imperterrito, patriæque studiosissimo, tamquam præcipuo obstaculo remoto, Michaël Glinscius accinxit se, ad destinata pridem consilia, vrgentiùs promouenda. Erat homo à natura ad agendas res formatus, sagacitate simul & audaciâ incredibili. Magnum militiâ nomen apud exteros collegerat, duodecim annorum stipendijs in Frisia sub Alberto Saxone, & in Italia sub Maximiliano Cæsare: Domi quoque summis Alexandri Regis fauoribus, ac inprimis prodiga patrimonij ampli profusione, plurimas clientelas comparauerat. Denique nuperâ victoriâ immodicè elatus, quam spem occupandi Principatûs longè ante conceperat fo-

uerat que,

A.1507. ueratque, procul dubio à morte Alexandri inuolâsset, nisi spe maturior Sigismundi Vilnam aduentus, interuenisset. Proditionis tentatæ arguebatur, non obscuris sermonibus, Ioannis Zabrzezinski: quem priuatæ iniuriæ sub Alexandro acceptæ memoria, ad publicam rem excitatiùs pertractandam, exacuebat. Neque ea res aut latebat, aut extra suspicionem erat, apud Sigismundum: dissimulabatur tamen; ne præcipiti consilio malum irritaretur, quod persanari vix poterat. Tandem à Ioanne Sapieha deprehensis proditionis indicijs, haud vulgaribus, atque Regi manifestatis, offensa Sigismundi in Glinscium, quantumuis tegeretur, erumpere in publicum cœpit. Hinc tanta circa Glinscium subsecuta est clientum ac familiarium solitudo, vt nullis eos largitionibus ad se pellicere potuerit. Metuebat quisque in gratiam Glinscij, Regis odium incurrere. Glinscius minimè dubius, æmulorum delatione se apud Regem laborare cœpisse; ignarus autem, an ab ijs aliquid certi haberetur, vnde criminis obiecti reus teneri posset; Zabrzezinio diem de illata calumnia, ad regium tribunal dicit. Rex in causâ, in qua vt facilè erat veritatem deprehendere, ita plenum ingenti periculo sententiam exequi: iudicium, quod deuitabat, de die in diem, vario prætextu procrastinabat. Sperabat enim fore, tum, vt considentibus primis perturbationibus, ipsum tempus faciliores redderet ad concordiam æmulos: tum, vt Glinscij machinatio intereà aut euanesceret, aut in publicum protraheretur. Glinscius hactenus vniuersæ au-

Æmulis diē dicit.

læ

læ plausui innutritus, vbi se plerisque inuisum esse sensit, A. 1507.
non sufficit animo, ad ferendum tam insolens tormentum. Periclitanti fortunæ primam opem apud Ladislaum Regem, in Hungariâ quæsiuit: at neque ibi omnia ad votum expertus est. Impetrauit tamen, vt Ladislaus apud Sigismundum per literas ageret, ne diuturna sententiæ dilatio, aut nomini, aut fortunis Glinscij, nocumento esset. Internuncium Ladislai secutus ipse Glinscius, Regi supplicat, vt causam publicè cognoscat, regiaque sententia pro alterutro quamprimùm decernat. Rex longè quàm ante, aduersæ parti fauentior, obfirmato animo in procrastinatione perstabat. Eâ re accensus Glinscius, irâque in Regem simul, ac æmulos, vix sui compos, plenam desperationis vocem effutijt: tentandum itaque sibi esse aliquid, quod & sibi, & Regi, diu dolori esset futurum. Rex animo præcipiens, quò res inclinarent, cauere in primis studuit, ne fortè suis turbis Glinscius Moscum immisceret. instauratâ igitur, per eos qui nuper eâ prouinciâ functi erant, legatione, Basilium ad pacem inuitat. Eandem suadet, tum fratri ipsi Helena Regina, per Andream Dziersko; tum proceribus Moscis, Senatus Lituaniæ, per Ioannem Skinder. At Basilio, certo nihil de occupatis cedere, nulla pax probabatur cum ijs, qui ablata restitui poscebant: neque permisit, vt de Gregorio Ostikone, cæterisque captiuis liberandis, priùs ageretur, quàm pace constituta. Legatis re infecta digressis, Glinscius tyrannum pridem reliquæ Russiæ, atque adeò toti Lituaniæ

Proditionem maturat.

A. 1507. inhiantem, nullo negotio in ſuas partes pertraxit. Significauerat per hominem fidum, ſe non ſolùm cum auitis poſſeſſionibus, ſed etiam cum arcibus regijs, ſibi commiſſis, Moſcouiæ acceſſurum, modò Baſilius iureiurando ac literis ſponderet, eius ſe cauſam non deſerturum. Promiſit omnia prolixè Baſilius; verſatili hominis ingenio, miraque dexteritate, per otium vſurus, ad Ruſſiam proditionibus occupandam. Ne res, verbis atque oblatæ occaſionis initijs deeſſet, properè cogit exercitum, tranſgreſſuſque fines, per triginta leucas in penitiora Lituaniæ graſſatur. Sigiſmundus, quem militem in futuros euentus parauerat, contra Baſilium duxit: at is Parentis Ioannis, ac fratris Demetrij, exemplis inſiſtens, eam belli gerendi ſibi rationem delegerat, vt aperto prælio numquàm aleam crederet; ſed per abſentiam Lituani exercitûs, quà Ruſſorum proditione, quà inopinatâ vi, dominium proferret. Itaque ad famam aduentantis Sigiſmundi, maturè ſe in tutum recepit. Miles Sigiſmundi feſtinatione nimiâ, atque inſolito per eos dies æſtu, in via confectus, cùm neque hoſtis, rei in campo gerendæ occaſionem; neque ſumma annonæ in euaſtatis agris difficultas, ſubſiſtendi rationem, permitteret: in Lituaniam deductus eſt. Hoc vnico eius expeditionis fructu, quòd hoſtis famâ perculſus exceſſerit, & Gizikouia arx ſit recepta. Dimiſſis deinde ad hyberna copijs, Rex Vilnam priùs, poſtea Cracouiam abijt. Per idem tempus Conſtantinus Dux Oſtrogius, ante octennium in prælio ad Wiedruſam captus, clàm

Moſci Lituaniam inuadunt & fugiũt.

A.1507.

clàm ex Moſcouia elapſus in patriam redijt; magno bonorum omnium gaudio. Incredibilibus tormentis adactus, obſequium ſuum Moſco addixerat: bello contra Scythas Præfectus, multis prælijs feliciter eos profligauerat. Quamquam verò ex eâ causâ, ampliſſimas in Moſcouia poſſeſſiones accepiſſet, patriæ deſiderium numquam exuit: poſtquam ſatis fidei apud hoſtem collegit, vt velut oblito patriæ, omnes fiderent, ſpecie militis legendi, ad confinia profectus, in Lituaniam euaſit. A ſuperis ipſis planè redditus bono publico vir, qui Glinſcio apertum in patriam bellum molienti obuiàm iret Glinſcius enim, Rege in Poloniam digreſſo, magno ſilentio Lyskouiæ ſeptingentis equitibus collectis, Nemenum traiecit, ad Ioannem Zabrzezinski Mareſchalcum Lituaniæ opprimendum. Tacito agmine Grodnenſi viâ profectus, haud procul Grodnâ in familiarem Ioannis fœminam incidit; ex qua, quo loco & quàm ſecurè ille ageret, tormentis elicuit. Eâdem nocte ſuburbanam villam, armatis cingit, effractis foribus Satellites in cubiculum immittit, detractum è lecto, per Turcam percuſſorem, obtruncat. Amputatum caput, haſtilique infixum, ad quatuor leucas præferri ſibi iubet: ac demùm in obuio ſtagno mergi. Furore ſenſim reſidente, cùm facinus mente recognoſcit, aduertit facilè, eouſque ſe progreſſum, vbi nulla ſpes reconciliandi Regis, ob aduerſæ partis potentiam, affulgeret. Turbas igitur turbis augere, Regemque ipſum, ac patriam vniuerſam, impijs armis perſequi decernit. Atque

Dux Oſtrogius ex Moſcouitica captiuitate profugit.

Glinſcius Zabrzezinſcium trucidat.

A. 1507. velut immanis beſtia à fuſo cruore efferaſcit: ita ille à perpetrata cæde, omnis humani diuiniq́ue iuris oblitus, aucto Satellitum numero, cum duobus millibus prædatorum, per vniuerſum Nouogrodenſem Palatinatum, in fortunas ac vitam eorum nobilium, quos ſuis rebus contrarios exiſtimabat, incredibili ſæuitiâ debachatur.

A. 1508. Cracouiæ tum Rex agebat partim inſtaurandæ arci intentus, partim redimendis reditibus regijs, quos ſuperiorum Regum profuſio immodica, cùm alieno ære ſuperuacanea impendia curarentur, priuatis perſonis addixerat. Multa aureorum nummûm millia ex Lituaniæ ærario in eam rem numerata, eſſe memoratur: quâ pecuniâ Scepuſium à Iordano de Zakliczyn, Salisfodinæ à Paulo Nigro, Proſzeuicæ à Georgio Lang, Niſſa à Staniſlao Koſcielecki, Siradia, Goſtininum, Radomia ab alijs, ſunt vindicatæ. Glinſcianam perduellionem non adeo curabat ab initio, ſpe pacis cum Moſco ſtabiliendæ, quæ pro vnico propè remedio, rebus Lituaniæ deploratis, habebatur. Regij apud Baſilium Legati, Staniſlaus Hlebowicz & Ioannes Sapieha, gnauiter laborabant, etſi grauioribus conditionibus, maturare fœdera. Quidquid, ante illatum Alexandro bellum, Lituaniæ deceſſerat, Moſcis relinquebatur: ſola Lubecia, Czernihouia, Dorohobuſium, Toropecia, repetebatur. At ne id quidem concedente Baſilio, ægrè in has leges conuenerunt partes. Captiui, vtrimq́ue, ex fide reſtituerentur: quidquid vetuſtis Smolenſciæ finibus continebatur

Pacem cũ moſco ſtabilitam, Glinſciana proditio turbat.

batur, Moſcus Lituano redderet: pax deinceps inter Lituaniam & Moſcouiam perpetua eſſet. Conſtitutis, quæ pacis cauſam concernebant, legati redibant domum, cùm Smolenſci à Rege literas accipiunt. Michaëlem Glinſcium inchoatâ apertâ perduellione, ita omnino apud ſe ſtatuiſſe: vt ſi fortè pax inter Sigiſmundum & Baſilium coaleſceret, ipſe cum ſuis Moſco non accederet, ſed inter confinia, ex vtriuſque põpuli damnis, latrocinio vires & fortunam promoueret. Conſtare iſta indicio non dubio aliquorum captiuorum, qui non perduellionis modò ſocij, ſed & conſiliorum conſcij, fuiſſent. Allaborandum itaque eſſe legatis apud Baſilium, ne contra inita fœdera moueri aliquid ſuſpicaretur, ſi militem Regium, in propinquo hærere nunciaretur: opus illo eſſe, ad arcendas Glinſcij incurſiones, qui ſi in Moſcouiam pacatè tranſire voluerit, Regias copias nihil omnino negotij facturas. Cùm hæc Baſilius à legatis accepiſſet, Regi Sigiſmundo ſcripſit: non fore iſthic opus vllo exercitu; ſcire ſe Glinſcium cum fratribus ſuis tranſitum in Moſcouiam adornare; ſed nihil ab eo hoſtile timeri debere. Addidit, & ad Glinſcium epiſtolam, quem Mozyri agere audierat, quâ monuit vt in Moſcouiam feſtinaret. *A. 1508.*

At Glinſcius alia longè conſilia animo verſare: amicitiâ Moſci in ſuam rem vti. Ruſſorum Procerum plurimos in ſuas partes pertrahit, ſpe Ruſſi imperij inſtaurandi, atque Principatûs ex Lituania, Kiiouiam transferendi. Frater imprimis Michaëlis, Baſilius, germani *Glinſcius bellum Lituaniæ infert.*

A. 1508. factionem apertè fouit, atque castella, quorum à Rege præfecturas obtinebat, Michaëli dedidit. Mox iunctis viribus, vterque Minscum obsidione cingit: verùm præsidij ac nobilitatis virtus, vim atque artes omnes, facilè reiecit. Veriti itaque Glinscij, ne infelici successu oppugnationis, moraque ipsâ, suorum animi, vti in mala causa euenire solet, deferuescentes, proditionis inchoatæ sensu ac horrore percelli inciperent, Minsco copias Kleckum mouerunt: partiti isthîc militem, Michaël Sluckum, Basilius Kiiouiam petijt. Et quidem Basilius, quamquam Zytomiro & Ourucio arcibus frustra tentatis, nullo momenti alicuius loco potitus esset; non leuiter Michaëlis partes firmauit, nobilitatis accessione. Plurimi Russorum ad spem Kiiouiensis Monarchiæ per totam Russiam instaurandæ erecti, suâ sponte nomina Glinscianæ factioni adscripserunt; castraq; viris ac armis, non modicè auxerunt. Michaël verò nullo omnino successu egit ad Sluckum, contra Anastasiam viduam, filiumque eius Georgium impuberem. Sperabat ille rem haud difficilem fore, vt fœmina armorum terrore perculsa, pertraheretur, non solùm ad arcem dedendam, sed etiam ad coniugium acceptandum: hinc deinde, militem, pecuniam, atque ante omnia prætextum, quo Kiiouiæ dominium inuaderet, sibi pollicebatur. Quod enim Georgius puer, à Volodimiro Kiiouiæ Duce Iagelonis fratre, genus duceret, optimo se iure Michaël vindicaturum Kiiouiam videri volebat, si acceptâ coniuge Anastasia, tutorio iure, pupilli

pilli cauſam, in ſpeciem tueretur. At firmior Anaſtaſiæ *A.1508.*
conſtantia fuit, quàm vt promiſſis aut minis de propo-
ſito dimoueretur: quin imò conatum Michaëlem, arci
ignem ſubijcere, magnâ eius ſtrage repulit. Irâ atque
ignominiâ plenus Michaël, barbarâ crudelitate in Slu-
cenſem, ac Kopylenſem oram, latiſſimè debachatus
eſt. Vaſtatis ijs agris, caſtra Turouiam mouit: expu-
gnatâ arce, vicinam nobilitatem, & reſiſtendo inuali-
dam, & Ruſſorum partibus obnoxiam, facilè ad iuran-
dum in ſua verba perpulit. Mox Mozyro admotis ſig-
nis, partim vi, partim proditione captam ciuitatem,
ſuo præſidio firmauit. Acceſsêre intereà Moſcorum au-
xilia ductore Euſtachio Daskowicz, cum quibus, Du-
ces Druccios, & Miſciſlauienſem Michaëlem Linguie-
nium, ſibi ſubiecit: Homelum, Kryczouiam, Or-
ſam, ac propinqua loca cepit, Moſcouiticoque milite
muniuit. Magnâ Albæ Ruſſiæ, Seueriæ, ac Polesiæ par-
te occupatâ, Sluckum rursùs duxit; ratus Anaſtaſiam,
terroris diuturnitate, famâque ſucceſſuum Glinſciano-
rum, expugnatam, animo concidiſſe. At è propinquo
contraria ſpei expertus, Vaſtatoribus Vilnam vſque
miſſis, ipſe Nouogrodecum caſtra mouit. Vlteriores
progreſſus ſtitit, nuncius aduentantis cum Rege exer-
citûs. Præmiſſo in Moſcouiam Baſilio fratre, cum clien- *In Moſco-*
tibus, eorumque coniugibus ac liberis, omnique pre- *uiã tran-*
tioſâ ſupellectili, ipſe quoque in arcium muniendarum *ſit.*
curâ aliquantùm moratus, citò ſuos ſubſecutus eſt. At-
que hæc ferè, decurrente hyeme magnâ celeritate con-
fecit.

A. 1508. fecit. In Moſcouia incredibili lætitiæ ſignificatione, ab infimis æquè, ac ſummis, ipſoque Moſcorum Magno Duce acceptus, in publico gentis conſilio perſuaſit, vt maturo Vere, omnes vires ad Smolenſci expugnationem conuerterentur: quòd eo loco capto, reliqua per Lituaniam aut nullo, aut perexiguo negotio, ſubigi poſſent. Neque vana erat, aut Glinſcij promiſſio, aut ſpes Moſcorum: plurima ſiquidem eius oræ nobilitas; non diſſimulanter præſeferebat, in Glinſcianas partes ſe inclinari. Verùm hæc conſilia, maturatis à Rege in Lituaniam auxilijs, auerſa ſunt. Primo vere Nicolaus Firley cum Polono exercitu Lituaniam attigit: ſecutus eum Rex Breſtiam, ad initium Maij peruenit: iſthîc contrahendo militi Lituano, nobilitatiq́ue ſub ſigna cogendæ, aliquid moræ datum. Magno intereà conatu Glinſcius, ſuis ac Moſcorum copijs Minſcum oppugnabat: irritus tamen erat omnis impetus, nobilitate pro liberis ac coniugibus, cum quibus ſe intra mœnia receperat, rem ſtrenuè gerente. Eo nuncio accepto Rex millia quinque ſtipendiariorum, cum procerum manipulis, ac prætorijs cohortibus, Minſcum præmiſit: mox ipſe ordinarijs è nobilitate copijs, Scytharumq́ue domeſticorum ſignis contractis, præmiſſum exercitum impigrè magnis itineribus ſequitur. Glinſcius relictâ Minſci oppugnatione, ſiue ex conſcientiæ ſtimulis, Regiæq́ue reuerentiâ fortunæ, timidior; ſiue impari numero ſucceſſum tentare non auſus, primum Boryſouiam, mox Orſzam versùs ſuos ſe recepit. Neque ſegnius

Rex Sigiſmundus contra Glinſciũ & Moſcos mouet.

niùs Rex instabat abeunti. Non procul à Borysthene cedendi Glinscio, sexaginta Moscorum millia occurrerunt: tantis viribus animosior Glinscius, aperto campo de summa rei decernere volebat: at Mosci, quòd fugientem eum obuium habuissent, mala omnia sibi ominantes, pertinaciter pugnam detrectabant. Vicit tandem in militari consilio Moscorum sententia: vitandam esse omnino prælij aleam, cedendum seruatis ordinibus; maturè transportandas per Borysthenem copias; fluuij ripas validis præsidijs obtinendas, ne quà regijs transitus pateret. Superato itaque Borysthene, vix ad vnam leucam progressi, castris locum sub sylua communiunt; parte copiarum non contemnendâ relictâ, ad arcendos transitu fluuij regios. Secutus hostem Rex, castra aperto campo ad fluuium metatur: vadum diuersis locis tentari silentio iubet, atque equestrium copiarum partem traduci. Ignaro quid ageretur hoste, aliquot millium eques, feliciter fluuium transgressus, sub meridiem, cùm more gentis Mosci liberiùs curandis corporibus indulgent, inopinato impetu ipsa castra inuadit: atque editâ aliquâ cæde, priusquàm subitâ perculsi re hostes, animos colligerent; cursu ad fluuium fertur, præsidium ripæ impositum à tergo adoritur, profligat, viamque suis aperit. Expectabat Rex euentum in armis: conspectisque suorum in aduerso littore signis, incredibili audaciâ fluuium eques ingressus, quà vado, quà nando prior ipse per aquas eluctatus, vniuersas equestres copias, nullo damno traduxit.

Æ. 1508.

Sigismundus Rex Moscos profligat.

A.1508. Peditatui ratibus transportando vix dies suffecit, sole in occasum valdè inclinato. Ne eodem impetu in castra hostium miles duceretur, nox imminens obstitit. Nam præterquam, quòd castra aggere fossisque cincta, ac tanto bellatorum numero valida, oppugnantibus etiam clarâ die non parùm negotij factura videbantur; insuper timebantur nocturnæ tenebræ, quarum beneficio, hostis fraudibus assuetus, ad insidias potuisset vti. Glinscius iam semel desperata consilia amplexus; quia optabat vehementer, vno iactu de summa rei, quocumque successu cum fortuna transigere; noctem insomnem egit: Moscorum tribunos ac Duces prensando, animando, victoriam veluti gnarus virium militis regij, & certam & facilem, pollicendo. Negabant Mosci permissam sibi à Magno Duce decernendi aperto prælio potestatem: sub mediam noctem sine Duce atque imperio, mero tumultu desertis castris atque impedimentis in fugam per siluas & paludes effunduntur. Glinscius ab eo euentu, non apud suos tantùm, sed etiam apud se minor; quibus fidebat copias, seruatis ordinibus Starodubum recepit. Postquam dies hostilem fugam aperuit, castra quidem à milite sunt direpta; procerum autem suasu, ab insequendo hoste Rex abstinuit. Quamquam enim tumultuaria eius fuga, non difficilem victoriam sponderet; æstimantibus tamen itinera prorsus ignota ac impedita, insidijs inter syluas ac paludes apta, plus periculi, quàm spei, visum: si fessus tantis viarum interuallis miles, hostem sequeretur. Orszam itaque signa mota

mota sunt: recuperatâ haud multo labore arce, Smolenscum vniuersæ copiæ progressæ sunt. Destinatum à militari consilio fuerat, vt Rege cum grauioribus copijs circa Smolenscum subsistente, Firleius cum Polonis, Ostrogius cum Lituanis, in Moscouiam penetrarent, obuia vastarent, palantes ex nupera fuga interciperent. Verùm Magnatum dissidijs, ac præsertim quòd aliqui eam prouinciam Ostrogio inuiderent, id consilium primùm prorogari cœptum, tandem euentu caruit. Hostis intereà per otium, non modò incolumis ex fuga euasit, sed etiam exusto Dorohobusio, succisisque per siluas arboribus viam regijs planè præclusit. Nihilominus Ostrogius cum paucis è leuiore equitatu per inuia penetrauit, atque latissimè prædas egit. Stanislaus quoque Kiszka, ægrè perpurgatâ viâ, magnâ celeritate Viazmensem Prouinciam, vicinosque ei agros, peruagatus, omnia cædibus ac flammis inuoluit. Elicuit tanta strages hostilem è latebris exercitum. Kiszka de eo certior factus, à Rege auxilia postulat. Datum fuerat negotium Firleio, vt cum stipendiarijs Polonis, magnis itineribus laborati Kiszka se iungat: nihil omnino fuit ab eo neglectum, sed viarum difficultas inuitum est morata, ne tempori adesset. Kiszka quamquam non ignoraret properare Polonos; verebatur tamen, ne antequam illi peruenirent ad castra, hostis totis viribus in se vnum incumberet: quare constituit priùs legiones aggredi, quæ corpori exercitûs præmissæ non procul constiterant. Fauerunt Superi consilio: semel iterumque funduntur

A. 1508.

Moscouia vastatur ductoribus Ostrogio, & Kiszka.

A. 1508. Moſci; delati fuga ad ſuos, ſiue vt eius fœditatem excuſarent, ſiue quòd metu perculſis ita viſum eſſet; caſtra vniuerſa rumore implent: Regem, cum omni Lituaniæ robore, in proximo eſſe. Vulgato inter plebem terrore, gregarij primùm, mox ductores ordinum, plebis impetu in fugam pertrahuntur; caſtra, impedimentaque deſerunt; Moſcuam vſque fugiunt. Kiſzka plenus rei geſtæ gloriâ, ac diuite prædâ, hoſte partim cæſo, partim fugato; ne quod ad Wiedruſam Oſtrogio acciderat, paucitatem ſuorum, in aperta progreſſus, hoſti fugienti detegeret; incolumes ad Regem reduxit. Baſilius Moſcorum Dux, adeo infortunato ſucceſſu, atque imprimis Viazmenſium, Mozayſcenſium, Bielenſium, Rezanenſium, Rezouienſium agrorum latiſſimâ populatione perculſus, tandem veteres ſpiritus remiſit. Celeri internuncio Regi proponit, quantùm optaret, cum eo pacem, atque eius causâ deſtinâſſe iam Legatos maiores, modò Rex intereà ſanguinis Chriſtiani effuſionem inhiberet. Relatis in Senatu Moſci poſtulatis, facilè proceres non abhorrentem à pace Regis animum, ſuis ſententijs inflexerunt, vt aſſentiretur. Neque deerant momenta, quæ ad id conſilium non modicè inclinabant. Vrgentia Poloniæ negotia, quæ Regem ex Lituania euocabant: propinqua hyems bello gerendo, (in eâ præſertim regione, perquam rigidâ) inepta, militem ad hyberna cogebat: hoſtis deſerto prorsùs campo intra mænia deliteſcens, nihil ſpei ad rem gerendam oſtendebat: plerique exiſtimabant, ſi in caſtris

Baſilius Moſcouiæ Dux pacē petit.

ſtris

ſtris hyemandum eſſet non bellum fore ſed venationis *A.1508.*
cuiuſdam ſpeciem, quâ magnis impenſis, maioribus
periculis, nullo aut exiguo commodo, conficiendus eſ-
ſet exercitus, veſtigando per inuia hoſtem. Itaque Ioan- *Pax cum*
ni Sapieha, Vitepſciæ pro Rege gubernatori commiſ- *Moſcis.*
ſum eſt, vt cum legatis Baſilij Ducis, de pacis legibus
ſtatueret. Conuenerunt in eiuſmodi conditiones. Ca-
ptiui vtrimque, nullo dempto, ac præſertim ad Wie-
druſam accepti, liberi dimitterentur: arcium reſtituen-
darum ratio ea ſeruaretur, quæ proximo fœdere ſcripta
fuerat: quidquid Michaël Glinski, ſiue patrimonij iure,
ſiue Magnorum Lituaniæ Ducum beneficio, ſiue vi oc-
cupatum, per ditiones regias ſuis præſidijs obtineret,
abſque mora Regi redderetur: ipſe Glinſcius in Moſco-
uia, ſpe omni reditûs præcisâ, exularet: cognati eius at-
que clientes, perduellionis rei, qui in Moſcouiam tran-
ſierant, ibidem manerent; qui in Lituania ſupereſſent,
ſi vellent, excederent. Promulgatâ pace eiuſque legi-
bus, multi magno cum dolore extremam earum ac-
ceperunt. Sperauerant enim ex noui fœderis formula,
reditum à Moſcouitica ſeruitute, ad patriam liberta-
tem. Sed Sapieha, collato cum Rege conſilio, lubens
in eam conſenſit legem, non tam vt Moſcorum poſtu-
latis ſatisfaceret, quàm vt Lituaniam exoneraret per-
duellibus: qui, eo malo ſemel vitiati, non difficulter
Glinſcij artibus, ad reſumendam proditionem conci-
tari poterant, ſi intra viſcera manſiſſent, Cuius enim a-
nimum virus id peruâſit, nunquam ferè ita perſanatur,

A. 1508. vt occaſione occurrente morbus non recrudeſcat. Ita apud eiuſmodi homines obſequij conſtantia; ſicut in cicure fera, manſuetudo: neque diuturna, neque certa. Aliqui tamen, clàm ad caſtra Lituanorum transfugerunt: atque in ijs veteranus Kozakorum ductor, Scythicis victorijs percelebris Euſtachius Daskowicz. Rex confecto bello Moſcouitico, parte Stipendiariorum exauctoratâ, cum reliquis copijs, Conſtantinum Oſtrogium in Volyniam expediuit. Scythæ enim Tauricani, milite ac militiæ Magiſtris, Moſcouitico bello diſtractis, exercitu ſuo trifariam diuiſo, miſerè vlteriorem Volyniam populabantur. Fuſi ſunt ab Oſtrogio feliciſſimè vaſtatores, atque Vniuersâ prorsùs Volynia, exacti, pars eorum in Poleſiam penetrauerat, magno Slucenſium agrorum & terrore, & vaſtitate: obuius fortuito caſu his vaſtatoribus Lucas Morawiec, cum ducentis peditibus ad Sluczam amnem factus, cùm fugam deſperat, à neceſſitate animum ſumit, atque firmatis ad ripam caſtris hoſtem inuadit, profligatque: auxit victoriam ac ſtragem, ſubmiſſus ab Anaſtaſia Principe eques, qui in fugientibus continuauit cædem. Regem vix ex Moſcouia regreſſum, Valachici belli cura excepit. Abſente eo Bogdanus Ruſſiam non leuiter vexauerat; Leopoli atque Haliciâ irrito conatu oppugnatis, ignobilioribus aliquot oppidis ac pluribus templis, exuſtis, prædam omnem impunè eduxerat. Rex bello iniuriam perſequi conſtituerat: ſed Ladiſlai Hungariæ Regis auctoritate, cum Bogdanus ablata

Scythæ in Volynia profligantur.

Valachicũ bellũ ſupprimitur.

ablata restituturum se ex fide sponderet, belli eius tempestas discussa est.

Vilnam deinde Ordinibus Lituaniæ comitia indicta sunt. Adfuerunt à Moscis legati circa medium Ianuarium, pacis firmandæ causa: conclusis fœderibus captiui omnes liberi dimissi. A Moscorum abitu, in Glinscianam factionem iudicium institui cœpit: pleriq́ue illius rei, ex publico Ordinum consilio, equitum fidei sunt commissi; præcipui cum supræmis ærarij ac Stabuli præfectis, in carceres Trocenses coniecti. Michaël Gastoldus Stabuli M. D. L. Magister, magnarum per Lituaniam & Russiam opum, habebat in coniugio Glinscij filiam: tam arctæ affinitatis præiudicio creditũ est, haud immunem eum, cum germano suo Quæstore Supremo, ab ea lue mansisse, quæ etiam extraneos inuoluisset. Nihilominus non multò post probatâ innocentiâ, vterque frater, Regiâ sententiâ absolutus est. Bona Glinscij, Regio fisco addicta: quæ deinde Rex, eorumdem comitiorum auctoritate, varijs attribuit, atque imprimis Raigrodum, & Goniudzium Nicolao Radiuilo Lituanię Mareschalco. Pax Moscouitica, quàm infida futura esset, argumento fuerunt legationes mutuæ, quibus nihil sincerè à Moscis agebatur. Commissum fuerat à Rege legatis, Nicolao Radiuilo, Alberto Kloczko, Mareschalcis, & Bohusio Bohouitino Notario Lituaniæ, vt repeterent, apud Basilium captiuos Lituanos, quorum nomina Stanislaus Dowgird, diligentiâ incredibili per vniuersam Moscouiam conquisierat;

A. 1509. Iudicium Glinscianæ factionis.

Moscouiticæ legationes, pacem dubiam reddunt.

A. 1509. fierat; tum postularent, ne qua nouis turbis occasio daretur, si agrestium iniuriæ (sine quibus confinia incolere, vix humanæ conditionis esset) negligerentur, impunitæ. Vrgentibus ista legatis, regis ipsius exemplo, qui & neminem captiuorum detinuisset & vitaret studiosè cuncta, quæ constitutis fœderibus fraudi esse possent: Basilius longè alia respondit. Nimirum Michaëlem Glinscium, fratresque illius atque affines, prodere se non posse: quòd ante fœdera, spontè in Moscouiam, transiuissent. Affirmantibus disertè legatis, neque se, neque Regem suum, id vllo modo vrgere; subiecit. A se quoque mandatum esse, vt omnes Lituani captiui abire permittantur: solum Nicolaum Hlebowicz retineri, quòd constaret aliquos Moscorum ex Lituania non dimitti. Diu per varios nuncios ea de re certatum est: cùm Rex Nicolaum Hlebowicz, Theodatum Glinski, Andream Kromski repetit; Basilius verò fœminas transfugarum, nempe Druciorum matrem, & Ozierecciј Ducis, ac Iacobi Iuaszencowicz, coniuges. Rex de Nicolai, sociorumque eius fortunæ, libertate solicitus, verebatur; ne impetuosiùs pro illis agendo, publicam rem pace ruptâ pessundaret. Quare missis Moscuam Alberto Narbut Preualscensi Præfecto, & Gregorio Hromyk limitum per Vilnensem Palatinatum, Supremo Cognitore, prolixè Basilio suum explicuit studium, in ijs, quæ initi fœderis integritas exigebat. Matronas, quarum Basilius mentionem fecerat, neque prohiberi à se ne transeant, si transire ipsæ velint, in

Mosco-

Moſcouiam; neque inuitas poſſe cogi, vt tranſeant: A. 1509.
quòd, vt primum, fœderibus non pridem ictis debe-
ret; ita alterum, gentis, in quâ imperaret, libertati. Per-
fecturum nihilominus vt Polociam deportatæ, liberè
agant, cum internuncijs Moſcorum; & ſi eos ſequi in a-
nimum induxerint, pacatè in Moſcouiam relegentur.
Quare, cùm ab ſua parte nihil aut morarum, aut impe-
dimenti hactenus iniectum ſit, quin fœderis legibus ex
fide ſatisfieret; neceſſarium omnino eſſe, vt Baſilius quo-
que captiuorum reliquos, liberè in patriam redire per-
mitteret. Nihil tamen ea legatione obtineri potuit: quin
immò in annalibus Lituanarum rerum reperio, eo anno
Pleſcouiam Lituanæ ditioni detractam, atque Moſco-
uiæ, à Baſilio adiectam eiuſmodi fraude: in Liuoniam
cum exercitu tendens, non procul ciuitate, Principis
fœderati ſpecie, caſtra metatus eſt. Gubernatorem
Prouinciæ, cum ciuili magiſtratu, amice ad ſe inuita-
tos, tamdiu omnibus hoſpitalitatis officijs in caſtris
detinuit, donec Ruſſi ſacrificuli, *Popos* vulgus vocat,
prout cum Baſilio conuenerant, negotium ex voto con-
ficerent. Illi per abſentiam magiſtratuum liberiùs cum
plebe agere; Lituani Principis dominium, & religionis
diuerſitate ingratum, & ob diſtantiam locorum, ciui-
tatis commodis pernicioſum, criminari; Magnum Mo-
ſconiæ Ducem, eiuſque imperium extollere: neque
priùs à ſeditione ciendâ abſtinuerunt, quàm inconſide-
ratam plebeculam, maximè communis cum Moſco
religionis prætextu, ad apertam rebellionem concitâſ-
ſent.

Pleſconiā Moſcus occupat.

A.1509. ſent. Tumultu plebis admiſſus intra mænia Baſilius, vniuerſam Prouinciam ſuo milite occupauit: quam, ſi fraude viam non reperiſſet, non facilè armis domuiſſet. Inde digreſſus quatuordecim regios, quinque equeſtres pagos, à Polocenſi Palatinatu auulſit: Ozieryſcenſe latifundium vniuerſum, Vielizenſium, & Vſuiatenſium agrorum portionem mediam inuaſit. Queſtus eſt de iniuria regio nomine Staniſlaus Dougird: ſed nihil amplius reſponſi tulit, niſi propediem aduenturos Magni Ducis legatos, qui Regi ſatisfacerent.

A.1510. *Legationibus tēpus teritur.* Sequente nonniſi anno Vilnam adfuerunt legati, quorum Principi, Tretiaco nomen erat: non tam ſtabiliendæ in publicum pacis causâ; quàm ad ſerendas occultè bello occaſiones. Legationis enim publica mandata nihil continebant aliud, præter querelas de non remiſſis, quas iam memoraui fœminis; & aliquibus mercatoribus interceptis. Priuatim verò ſtudioſè inquirebatur, num aliquid iniuriæ aut moleſtiæ Helena, à Rege aut proceribus pateretur? tum de rationibus ſecretis conſilia inibantur, quibus mutuæ inter Helenam ac Baſilium epiſtolæ, clàm Lituanis, commeare poſſent. Quid cum Regina ſit perfectum non conſtat. A Rege per Lituaniæ Cancellarium Ioannem Sapieha reſponſum reperio. Non Regi ipſi modò, ſed vniuerſis planum eſſe, præſentis, ac ſuperiorum legationum argumento, friuolas tergiuerſationes à Baſilio quæri, ne conſtitutâ iam pace, populi ſecurè frui poſſint: ipſum itaque illum, cauſam vnicam eſſe eorum, quæ inter po-

pulos,

pulos, necdum perfecto fœdere coniunctos, etiam inuitis Principibus, hostiliter attentari in confinijs contingeret. Ne quis, Regiam curam perficiendo negotio defuisse, criminetur; legatos ad maturandum quamprimùm opus, Moscuæ primo tempore affuturos. Functi sunt eâ legatione Stanislaus Hlebowicz Polocensis Palatinus, Albertus Kloczko Mareschalcus, Gregorius Hromyk Notarius Lituaniæ. De iniurijs conuentum est, vt litibus finiendis iudices vtrinque designarentur, Hlebouicius legatis restitutus, multisque honoris argumentis cultus. Theodatus Glinski cum Andrea Kromski detenti, quòd eos suâ sponte Moscouiam elegisse, testibus comprobaretur. De affinibus, cognatisque, transfugarum fœminis, post diuturnam ac pertinacem dimicationem nihil obtinuerunt Mosci, negantibus constantissimè Legatis posse in Moscouiam inuitas mitti. Denique cùm id ipsum negotium acriter à Basilio nouâ legatione vrgeretur, respondit Rex. Mitteret Basilius duos, quibus maximè fideret. Experirentur illi voluntatem matronarum, & consentientes in abitum, secum abducerent. At vt abire nolentibus vis inferatur, id nullo modo concedi posse. A. 1510.

Constitutis in Lituania Moscouiticis rebus, Sigismundus in Poloniam properauit vbi variorum Europæorum Principum Legatis Senatum dedit. Iulius imprimis Summus Pontifex postulabat, vt permitteret Rex, per suas ditiones vulgari, quosdam cælestes fauores, *Indulgentias* vocamus, eorum profuturos animis,

Rex in Polonia legatis exterorũ Principum respondet.

A. 1510. qui in belli Turcici vſus, aliquid contuliſſent: hortabatur deinde ad ſocietatem fœderis aduerſùs Turcam. Indulgentiarum quidem promulgatio, nihil à quoquam obſtaculi habuit, melioreque ſucceſſu per Poloniam peracta eſt, quàm per Germaniam: vbi Martinus Luterus quædam, quæ hominum aut imperitorum aut lucri cupidorum vitio in eius rei vſum, irrepſerant non laudanda, impugnando; dum ardore pertinaciâque agendi, fas excedit; ſemina nouis in religione ſectis, ac innumeris per Romanum imperium turbis iecit. De bello Turcico reſponſum. Turcam Kilia, ac Bialogrodo, ereptâ Valachis grauem fore vniuerſo Septentrioni, nemini dubium eſſe: ſed quòd in re tanti momenti, nihil certi inconſultis Ordinibus ſtatui poſſet, comitia neceſſariò expectanda eſſe. Vitus de Furſt, ab Imperatore Romano, Equitum Crucigerorum nomine, Pomeraniam Pruſſiamque à Republicâ repetebat. Offendit non mediocriter intempeſtiuâ quæſtione Senatum: grauiter itaque Cancellarius monuit, ne Teutonici equites velut defuncti periculo Turcico, pertæſique domeſticæ pacis, bella tantis ſuperiorum Principum laboribus planè extincta, intempeſtiuis poſtulationibus, reuocarent ab inferis, ea conando ſibi vendicare, in quæ nihil iuris omnino aut Cæſari, aut equitum Magiſtro, competeret. Danorum legati ſororem Regiam Elizabetham, in matrimonium ſuo Regi non impetrârunt, quòd Virgo ipſa nubere abnueret. Bogdano Valachiæ Principi, pro ſuperiore irruptione in Ruſſiam ſatisfacienti,

cienti, pax data; auxilia contra Scythas negata: Legatis eius, libera per ditiones Regias potestas commeandi, concessa. Hungaris in societatem belli Turcici Polonos pertrahere nitentibus, nulla spes facta. Imbraimes Turca, Imperatoris sui Baiazetis nomine, Sigismundo paterni fraternique regni successionem gratulatus, petijt vt pacem, quæ hactenus floruisset, Rex suâ sponsione firmaret. Præstitit postulata Sigismundus eò libentius, quò exactius perspiciebat Reipublicæ pericula. Nam & Moscorum quies lubrica erat; & Cæsaris Crucigerorumque amicitia incerta videbatur, quòd eam repetitio Prussiæ ac Pomeraniæ suspectam faceret: cum Scythis verò, prope continua bella. Eo ipso anno Tauricani ductore Bitigereio, euastatâ Russiâ, Lituaniam peruagati sunt, Vilnam ferè vulgatâ populatione. Nemine arma opponere audente, ingentem prædæ omnis, ac præsertim captiuorum, impunè eduxerunt. In Valachia ad ripas Tyræ à Valachis sunt profligati; multi vorticibus præcipitis fluuij hausti, reliqui partim in prælio, partim in fuga cæsi. Nihilo tamen ab ea clade pacatiores Tauricani, initio sequentis anni rursus sed longè alio successu inuaserunt agros Kiiouienses. Dux etenim Slucensis Georgius, propè puer, iuncto suo milite cum Andreæ Niemirowicz Palatini Kiiouiensis copijs, ad pagum Rutki assecutus prædatores, magnâ eos strage profligauit, octo millibus in campo cæsis.

A. 1510.

Scythæ vastant Lituaniã.

A. 1511.

Rex adulto vere Brestiam venit, comitijs Lituano-

A. 1511. rum adfuturus. Tribunal id, iudicij suppliciorumque, *Regis acta Brestiæ.* aduersus Glinscianæ proditionis reos, designatum fuerat. Verùm procerum interuentu Rex mitigatus, vniuersos carceribus cæterisque pœnis absoluit; quin & dignitati pristinæ nedum libertati, singulari Regiæ clementiæ exemplo restituit. In ijsdem comitijs, agentibus Mendligereij legatis, fœdus inter Scythas & Lituaniam his legibus ictum est. Tauricanus Regulus deinceps, Regi Polonorum, Magnoque Lituanorum Duci, subesset: triginta millium equitatum ad quæuis bella auxiliorum nomine mitteret; obsidem fidei filium suum daret. Rex verò quindecim nummûm aureorum millia in singulos annos stipendij vice numeraret. Nemo erat qui improbaret fœdus, quo tam potens multitudine, ac pugnandi peritiâ populus, Reipublicæ non tantùm amicus, sed etiam obnoxius reddebatur. Verùm barbaris, fœderum aut armorum necessitatem sola prædæ spe solitis metiri, non tam est constans fides, quàm splendida promissa. Acceptâ enim pecuniâ Mendligereius, etiamsi ab infestatione Russiæ, ne apertè recens fœdus violaret, temperârit; Valachiâ tamen, Regni Poloniæ Prouinciâ, semel iterumque vastatâ argumentum reliquit, qualis in sequentes annos pax sperari deberet ab ijs, qui rapto viuere assueuissent. Rege cum *Helena conatur in Moscouiam fugere.* proceribus comitijs intento, Helena Regina, quæ consilia fugiendi in Moscouiam diu versauerat, exequi est conata, per absentiam procerum. Haud procul confinijs Moscouiæ Braslauiensem præfecturam cum amplis

plis latifundijs in alimentorum impensas obtinebat à Republica: eò iam præmiserat vario prætextu, familiam Moscouiticæ gentis cum pretiosiore supellectili, ipsa propediem secutura. Agebatur quidem ea res satis secretò, vti nuper cum legatis Basilij fuerat condictum: non potuêre tamen vniuersa, ita occultari, vt non aliquid suboleret Alberto Kloczko, Reginalis aulæ supremo Magistro. Celerrimis itaque nuncijs Nicolaus Radiuilus Vilnensis, & Gregorius Osticus Trocensis, Palatini, Vilnam euocantur: collatis sententijs, consilia Reginæ euulgantur; certisque indicijs probantur: ipsam Helenam adeunt, monent; protestantur Proceres non permissuros se, vt pedem Vilnâ moueat. Helena ab aduerso dolorem, ex consilijs, in publicum protractis euersisque, conceptum, dissimulare: vnicum queri, Personæ suæ dignitatem, libertatemque violari: verùm, quia nihil vi tentare poterat muliebrem animi impotentiam, intra verborum furorem, cohibere, coacta est. Instaurauit deinde apud Germanum suum, Moscouiæ Ducem, eiusq; legatos, de iniuria querelas. Venerant enim paulò post Vilnam, cum internuncio regio Bogdano Dowgird, aliqui Moscorum Primores, sui Principis nomine acturi, de iniurijs, quæ vtrimque in finibus committebantur, coërcendis. Verùm Basilius, nihil omnino mouit, ne quâ ratione proderet, auctorem se eius consilij, sorori fuisse. A. 1511.

Sigismundus Rex peractis Brestensibus comitijs, cæterisque in Lituania negotijs compositis, in Poloniam A. 1512.

redijt,

A. 1512. Rex ducit coniugem Barbaram Transiluaniæ Principẽ.

rediit, connubialia fœdera Cracouiæ cum Transiluaniæ Principe Barbara, Ioannis (qui deinde Rex Hungariæ fuit) filia, heroide magnis virtutibus, ac præsertim pietate in miseros, laudatissimâ, celebraturus. Actum est id festum, magnâ exterorum frequentiâ, magnificentiâ verò Polonorum ac Lituanorum Procerum incredibili. Cùm vndique ad augendam festi maiestatem concurritur; diesque ipsi, qui apud Catholicos solemnes quadraginta ieiunij ferias antecedebant, populum in luxum effusiùs, securiusque soluit: Mendligereius vacuam propè nobilitate Russiam, viginti quinque millium exercitu aggressus est. Perlato eius irruptionis Cracouiam nuncio, miles, qui Regi ac proceribus ad manum erat, properè contra hostem missus: stipendiarij quoque celerrimè ex hybernis euocati: campestri exercitûs Poloni Duci Lanckoronski negotium commissum, vt prouideret, ne quid detrimenti Respublica pateretur. Is magnis itineribus, aduentûs sui nuncium præuenit; atque inopinatò partem hostium per agros prædam agentium nactus, septingentos cecidit. Lituani quoque Proceres, Michaël Dux Wisniewiecki, cum filijs Ioanne & Alexandro, Andreas Dux Zbaraski, Georgius Radiuilus, alijque, cum tribus bellatorum millibus ductore Constantino Ostrogio, in tempore adfuerunt. Omnes copiæ sex millium numerum non excedebant: nihilominus, cùm ab exploratoribus intellectum esset, hostem in propinquo castra metatum, securè noctem agere, atque adeò ante pugnam corpo-

Scythæ in Russia profligantur.

ra

ra ſomno reficere, vacuum omni metu : in comitio militari, omnes vnâ voce decreuerunt, eumdum eſſe, non cunctanter, contra hoſtem. Dum ſigna promouentur, lis inter Duces, de prælij ordine exorta, moræ aliquid militi magnâ alacritate feſtinanti, iniecit. Lanckoronski contendebat, prælio auſpicium dari debere à Polono milite : quòd is & validior armis eſſet,& maiore parte per bella Hungarica, Germanica, Gallica, ſingulari ſuæ fortitudinis commendatione exercitatus. Oſtrogius verò, multis Scytharum victorijs percelebris, ſibi, Lituaniſque, primas in congreſſu partes depoſcebat; quòd ex frequentibus cum ea gente bellis, vſu didiciſſet, militares aliarum nationum artes, non multùm contra Scythas prodeſſe, ob diuerſiſſimum pugnæ genus, cui aſſuetæ Lituanorum copiæ, faciliùs hoſtilem impetum eluſuræ eſſent. Generoſam litem non ſententiarum conſenſus, ſed pugnandi neceſſitas, præcidit : iam enim nunciabatur, hoſtem inſtructâ acie imminere. Conſtantinus itaque dextrum cornu, cum ſuis, occupat; ſiniſtrum Nicolaus Kamieniecki : frons aciei ſtipendiario milite firmatur : in ſubſidia, variorum qui ſponte ad arcendum periculum concurrerant, manipuli, deſignantur : ſumma rei, penes Lanckoronski relinquitur. Sic magis cuiuſque alacritate, quàm conſilio, ordinatis copijs, vniuerſi diem præliumque expectabant, ignari vnde hoſtis impetum ordiri deſtinâſſet. Conſtantinus Lituanorum, Voliniorumque equitatum, aliquantùm à reliqua acie auulſerat, ea mente, vt Scytham in

A.1512.

A. 1512. Polonos pugnantem, adoriretur à latere. Sed euentus aliter tulit. IV. Kal. Maij sub ipsum solis ortum, incredibili tumultu, clamoreque, excitatis, aliquot phalanges in conspectum, repentè prorumpunt, atque velut æstro concitatæ summo cursu parique impetu in Constantini alam ruunt. Æquabant pugnam multitudo Scytharum, virtusque Lituanorum ac Volyniorum: atquia eiusmodi prælia, perrarò temeritate, virtutisque periculo carent; veritus Constantinus, ne fessi sub multitudine vacillare inciperent, à Lanskoronski, aliquot Polonorum cohortes poscit, easque in latus hostile ducit. Accenso ab ea parte prælio, ipse rursùs ad suos reuertitur, ac propè respectantes fugam, voce exemploque animat: tantus inde ardor instaurantium prælium fuit, vt mille ferè barbari vno impetu conciderint. Hinc Scythis animus ad prælium deficere: primùm ijs, qui manus conseruerant; mox alijs, qui extra pugnam, in auxilia parati, constiterant. Vbi sensit Constantinus ab hoste iam lentiùs prælium cieri, totâ acie cœpit obequitare; clamare, hostem iam in fugam inclinari; hortari, ne prope partam è manu dilabi permittant victoriam, ad quam nihil ampliùs desideraretur, præter modicum, omnium simul, in hostem impetum. Noua redit ab oratione Ducis militi alacritas: tantis animis tertiò in hostem itur, vt magnâ parte Scytharum protritâ, reliqui in apertam fugam abirent. Conspicatus suorum discrimen Mendligereius, vniuersum robur, paucis ad captiuorum custodiam relictis, in prælium mouet: atque

euitatâ Polonorum acie, in dextram Conſtantini alam A. 1512.
magno impetu ruit. Credebat, faciliorem inde ad victoriam paſſum fore; atque adeò, diuturnâ pugnâ feſſos, haud dubiè recentibus cedendo, reliquos ſecum in fugam tracturos. Suſtinuit eum impetum fortiter Lituanus, ſed non diu totius belli ferendæ moli ſuffecturus. Itaque Lanckoronski, quatuor haſtatorum equitum ſigna, in hoſtem ire iubet: directis in obuios haſtis, ruptâ mediâ acie, reliquus Polonorum equitatus, ſenſim priùs loco progreſſus, mox collectis ad curſum viribus, totâ vi hoſtem adoritur. Scythæ eo Polonorum impetu turbati, ac loco moti, prælio ſe curſu eripiunt, atque inter ſolitos gyros, inſtauratis ordinibus, ad pugnam maiore ardore redeunt, atrocioremq́ue dimicationem ordiuntur. Pugnatur vtrimq́ue pertinaciter vniuerſis copijs, fortunâ in neutram partem inclinante. In tam dubiâ ſpe prælij, cohors vna gladijs viam ad caſtra Scythica ſibi aperuit, cæſoq́ue præſidio, captiuos ſoluit: his tumultuariè, prout caſus telum miniſtrauerat, armatis; auerſam hoſtium aciem inuadit. Iam propè in orbem barbaris pugnandum erat: itaque deſperatâ victoriâ in pugnam effunduntur. Neque fuga felicior prælio fuit: victor miles, plurimos in fugâ, ferro abſumpſit: plures perierunt ab agreſtibus, qui vias fluuijs aut paludibus impeditas, comparati ad pugnam, inſidijs occupauerant. Ex victoribus pauci deſiderati: ex victis, potior numero, atque capitum æſtimatione, pars exercitûs. Captiuorum ſedecim millia recepta: e-

A. 1512. quorum decem millia, atque omnis præda, quæ, & varia fuit, & valdè opulenta. Ante alia celebrem victoriam fecerunt, tres Mendligereij filij, & gener, in campo cæsi. Qui cladis ignari diutiùs per Russiam prædando vagabantur, duodecim locis à milite Polono cæsi sunt. Fractus tantâ clade Mendligereius, supplici legatione pacem petijt, atque superioris anni conditionibus obtinuit. Quòd verò filios, eo prælio amisisset; nepotem natu maximum Diabaldinum, obsidem Vilnam misit.

Moscouitici motus. Pax Scythica, bello Moscouitico, non causam, sed prætextum ad vulgus dedit. Basilius enim pridem in occasiones innouandi belli intentus, vulgari per Moscouiam curauit, à Sigismundo Rege Mendligereium concitari ad inuadendas Moscouiæ Prouincias: argumento esse, & nuperam Scytharum in Moscouiæ fines irruptionem, & recenter instauratum cum Sigismundo fœdus: vt verò hæc deessent, certis tamen indicijs constare Magno Duci, secreto consilio, inter Sigismundum & Mendligereium constitutum esse, vt proximo anno iunctis viribus Moscouiam inuadant. Hæ, atque his pares, fabulæ, primùm populi sermonibus iactatæ, deinde in Senatu ab ipso Basilio confirmatæ, facilè persuaserunt, tum germanis Basilij, tum alijs Proceribus, vt magno consensu decernerent, præueniendum esse bello Sigismundum. Datur itaque Glinscio negotium, vt lecto properè exercitu, infestis signis adoriatur Lituaniæ fines. Vbi nunciatum est Glinscium impigrè

mandata executum esse; tum primùm Basilius per literas bellum (quod iam re ipsâ intulerat) indicit Sigismundo; velut fœderum primo violatori. Prætendebat bello, quasdam tum iniurias sibi, tum contumelias sorori Helenæ, illatas: damna etiam finitimis facta, ac maximè Scytharum contra Moscos concitationem, inter causas rescissæ pacis numerabat. At hæc, si non omnino conficta erant; certè ad mendacium vsque exagerata. Cæterùm, vti eius ætatis scriptores prodiderunt, fama publica, belli incentorem maximè ac prope vnicum Imperatorem Maximilianum designabat. Offensus ille, quòd repetenti nuper Prussiam per legatos, duriùs responderi Sigismundus mandâsset; & nepte eius, Philippi I. Hispaniæ Regis filiâ spretâ, Transiluanam coniugem duxisset; vndique inimicitias consciscebat. Nam etiam Alberto Marchioni Brandeburgico, Sigismundi ex sorore nepoti, auctor fuerat, vt Equitum Prussicorum Magister renunciatus, obsequium erga Regem, regnumque Poloniæ, excuteret: atque si fortè ad iusiurandum præstandum, de more vrgeretur, armis resisteret. Eâ de causa, ad Iulium II. Pontificem Romanum, ac Lateranense Concilium legati à Rege, atque Republica, missi sunt; qui in illo orbis Christiani tribunali supremo, de Maximiliani atque Alberti machinationibus questi, remedium rebus turbatis poscerent. Rex ipse tempestatem à Germania metuens, Cracouiensem arcem restaurari, ac operosiùs muniri curauit: quia verò non placatis Superis, omnis mortalium solicitudo vana est; ad

A. 1512.

Prussici belli noua occasio.

A.1512. eos demerendos, templum arcis, magnifico opere, ac D. Stanislai sepulchrum, argenteâ eius statuâ, exornauit. Præter imminentia à vicinis arma, terrebat multùm domestica per Poloniam morum vicissitudo, eo anno vulgata. Capillitium longius in breue; vestes curtæ, longis permutatæ: nemo sine armis progredi; licet numquàm aliàs minores ad arma animi: omnes in augendam rem familiarem studia intendere; famæ curam penitus negligere: castris, gymnasia literaria substituere: vires ætatemque conuiuijs atque crapulâ prodigere: nihil auitum in moribus, aut habitu retinere. Hæc illâ ætate, præter morem vulgari cæpta, plerisque infausti portenti speciem ingerebant.

Morum in Polonia mutatio.

A.1513. Intereà nepote Mendligereij Diabaldino Vilnæ ex febri vitâ functo; aui fides, fœderumque firmitas, haud modicè nutare cœpit: iam ante satis lubrica. Nam adhuc in viuis illo manente (inuitoné an conscio Mendligereio? non constat) Polonæ Lituanæque ditiones, leuioribus Scytharum infestationibus sunt diuexatæ. Dux quoque Moscouiæ, iam nouo bello & causam & initium dederat; immisso nuper in Lituaniam Glinscio. Spes tamen aliqua manserat pacis per legationes retinendæ: verùm, ea quoque omnis, cum vitâ Helenæ, penitus intercidit. Mortua est Vilnæ excurrente Ianuario: tumulata regio apparatu, in Russorum templo, Deiparæ sacro. Basilius mortis eius nuncio accepto, velut cum sororis vita omni amicitiæ iure, fœderumque religione liber, bellum studiosiùs contra Sigismundum apparare

Scythicum fœdus incertum.

Helena Regina moritur.

cœpit. Maximilianum Cæſarem per legatos monet promiſſis: vt, cùm audiuerit Moſcorum, Liuonumque copias, Lituaniam inuaſiſſe; ipſe Germano ac Pruſſo milite Poloniam aggrediatur: ruptæ verò à ſe cum Sigiſmundo amicitiæ, quamprimum mittat præmium, titulos ac diadema Ruſſiæ vniuerſæ, Moſcouiæque Regis. Glinſcio ingentem pecuniæ vim tradit, vt militem bello exercitatum ex Germania in Moſcouiam liberalibus ſtipendijs euocet: qua in re egregiam operam nauauit Eques Germanus Schleinick, collectamque non modicam manum in Germania, ad Baſilium per Liuonum agros deduxit. Neque defuerunt in ipſa Polonia, Glinſcij muneribus corrupti, qui militem per confinia Sileſiæ ac Morauiæ lectum, Moſco ſuppeditarent: è quorum numero Lata, gente Bohemus, ciuis Cracouienſis, cum centuria pedeſtri in Moſcouiam penetrare conatus, in ipſis finibus interceptus, pœnas proditionis luit. Addidit Baſilius veteribus iniurijs, nouam: ne fortè Rex adhuc dubitaret, nihil à ſe pacati expectandum. Internuncium enim regium, qui vrgebat vt ſecundùm fœdera militem ſuum Moſcus ex Lituaniæ finibus euocaret, in vincula coniecit. Rex itaque ad initium huius anni, vniuerſam nobilitatem publicis edictis commonuit, vt in bellum ſeſe compararet. Mox, celebratis Heduigis primogenitæ Baptiſmi ſolennibus, atque in conuentu Radomienſi, ordinatis Poloniæ negotijs, in Lituaniam mouit. Mielnici primùm in Podlachia, deinde Vilnæ, cum Ordinibus de Republica conſultanti, principes

A. 1513. Ducis Moſcouiæ machinationes, aduerſus Sigiſmundū.

Sigiſmundus ad bellum ſe comparat; pacem tamē vrget.

A.1513. principes Senatûs persuaserunt: vt, velut in curandis corporibus, non priùs ad sectionem acceditur, quàm alia remedia, irrito conatu fuerint consumpta; ita in Reipublicæ integritate conseruanda, bellum ad extrema remedia seponeretur. Ex Senatûs sententia, missus est Moscuam nuncius, qui legatis de pace acturis, liberam veniendi potestatem impetraret. At Basilius Cæsaris, Crucigerorumque promissis, atque occupandæ Lituaniæ spe, plenus; nihil pacati in animum admittebat. Sigismundus desperatâ pace, vt hostem intra eius domum distineret, promissa nupero fœdere Scythis stipendia maturè misit. Scythæ acceptâ pecuniâ, Moscouiam ingentibus copijs aggrediuntur, & latissimè populantur. Ita Basilius sua tueri coactus, eo anno à Lituania abstinuit. Cæterùm quia, vt ferè vehemens, sed non diuturna à Scythis solet esse tempestas, Mendligereius raptâ contentus prædâ, citò ad suos sedes exercitum reuocauit: Moscus eâ curâ perfunctus, vires omnes, quas aduersùs Scytham comparauerat, in Sigismundum conuertit.

Moscouiã Scythæ inuadunt.

A.1514. Primo Vere fines Lituaniæ ingentibus copijs ingressus, XVI. Kal. Apr. obsidione Smolenscum cinxit. Posteaquam aliquot suorum millia, tentatâ aliquoties vi, amisit: signa, in omnes partes, furiæ instar, raptauit; obuia ferro & igne per Lituanam ditionem vastando, Post exsaturatum barbarâ populatione furorem, rursùs ad oppugnationem Smolensci reuersus est: neque mænia tantùm bellicis machinis, sed etiam animos, constan-

Dux Moscouiæ Smolenscũ obsidet, & proditione capit.

constantiamque obsessorum, varijs artibus, deijcere conatus: Solohubi, arci præsidioque Præfecti vniuersa insigni industriâ superante, omnem operam perdebat. Iam Sigismundus Rex cum vniuersis copijs mouerat; famaque vulgabat iam eum Minscum attigisse. Basilio post consumptum irrito euentu omnem laborem, amissamque exercitûs non modicam partem, nihil restabat, quàm turpis in Moscouiâ, desperatâ arcis expugnatione, receptus. Versanti in omnes partes animum, succurrit fortè, posse Glinscium suo ingenio aliquid, apud populares efficere, vbi nihil ipse profecisset. Amplissimis ergo promissis eum aggreditur: Prouinciam omnem, cùm arce, eius se patrimonio adiecturum sacrosanctè spondet; modò rationem reperiret, quâ arcem in Moscorum potestatem redigeret. Glinscius cupiditate tantæ Prouinciæ permotus, suscipit negotium; ingeniumque bellicis operibus substituit: per occultissimos nuncios, præsidiariorum inprimis, tum nobilium, fidem, largitione atque promissis sollicitat; ac demùm expugnat. Paucorum primò sermone inter stipendiarios agitari, mox ad alios vulgari, vt solet, cœpit. Arcem diu defendi non posse: auxilia, aut nulla, aut admodum tarda, sperari: ab hoste extrema omnia ferenda; si is per vim arce potiatur: deditionem, sine labe militari, posse fieri: non Mosco, sed Glinscio. His audaciores concitati, palàm apud Præfectum instare, vt arx Glinscio, æquis conditionibus, dedatur. Obnitebatur quantùm poterat ratione, atque auctoritate Solohubus. Obtestabatur,

A. 1514.

A. 1514. tur, per omnia ſacra, ne defenſæ per annos duodecim arcis gloriam, præcoci deditione obterant: Regem enim propediem affore cum auxilijs, atque adeo iam Minſcum attigiſſe, non famâ, ſed certis nuncijs conſtare. Nihil profuerunt ſana verba, inſano tumultu abreptis; proditionem potiùs quàm deditionem vrgentibus: ne, vnum aliquem, facti inuidia oneraret; omnes turmatim vociferari, vt arx Glinſcio quamprimùm dedatur, niſi malit ipſe præfectus ſuorum ferro perire. Expugnatus eorum rebellione Solohubus XII. Kalend. Maij Glinſcio dedidit Smolenſcum: quæ Prouincia, debellatis à Vitoldo eius Principibus, integro ſæculo, in Magni Lituaniæ Ducis ditione permanſerat. Baſilius voti compos, magnâ pompâ mænia ingreſſus, ſacriſque Ruſſo ritu operatus, priuata publicaque ædificia omnibus ornamentis contra datam fidem ſpoliauit: querulari tamen eſt auditus, quòd in eius expugnatione tantùm perdidiſſet, quantum duabus nobiliſſimis arcibus excitandis, abundè ſuffeciſſet. Impoſito præſidio, reliquum militem in Moſcouiam reduxit, & quiete neceſſariâ recreandum, & delectibus nouis augendum, eâdem æſtate bellum maiore apparatu reſumpturus. Quòd enim, quam arcem Pater ſuus Iuanus, bellator inter Moſcorum Principes tantus, quantus nemo alius, multoties irritâ operâ oppugnauerat, cepiſſet: ab eo ſucceſſu ominabatur; nihil eſſe, quod ſuis viribus non cederet. Propè vniuerſis Boiaris, ad arma ferenda validis, ſub ſigna euocatis, præſidijs per arces detractis, externo milite non

Bellum in Lituaniā adornat, & proſequitur ſuperbè.

non pauco ſtipendijs auctorato, centum millium exercitum, contra Sigiſmundum duxit. Ipſe quidem caſtris ad Smolenſcum loco capto, cum viginti millibus ſubſtitit: octuaginta millia in Lituaniam expediuit, cum hiſcé mandatis, vt Orſzâ, & Odrucko occupatis, Lituaniæ caput Vilnam, recto itinere petant. Progredientes copias, fama Sigiſmundi Regis, cum triginta delectorum millibus, circa Boryſſouiam ſtatiua habentis, ſtitit. *A. 1514.*

Michaëlis Glinſcij Tragicus exitus.

Intereà Glinſcio lacerabat interna conſilia, Smolenſcum in præmium nauatæ operæ à Baſilio verbo promiſſum, re negatum. Ex memoriâ præteritæ fortunæ, tædium præſentis (in qua nihil fidi, omnia barbara) conditionis; mox pœnitentia facti, animum premebat: hinc deſiderium patriæ in dies accendi, atque Clementiæ regiæ ſpes maior affulgere. Per fidiſſimum itaque familiarem datis ad Regem literis, implorat clementiam, pollicitus ſanctè, malè actorum memoriam exageratis erga patriam obſequijs, ſe obliteraturum. Rex, iam ante Regis Ladiſlai importunis precibus, æquior Glinſcio redditus, aliquibus Procerum rem ſecretò communicat: atque, quòd ſperaret, conſilijs Glinſcianis Moſco ſubtractis, multùm ei de ſpiritibus deceſſurum; literas ſcribi mandat, quibus à Rege ſpondebatur, non præteritorum modò obliuio, ſed etiam omnis in futurum tempus apud Regem fauor. Proceres veriti, ne Glinſcius redditus patriæ, atque in Regis amicitiam admiſſus, rurſus publico malo veterem telam retexeret; occultis nuncijs Baſilio Duci Moſcouiæ, quidnam Glin-

A. 1514. ſcius moliretur, indicant. Baſilius diſſimulatâ re, accuratioribus excubijs, vias omnes obſeruari iubet; & commeantium veſtes, ac ſarcinas, diligenter excuti. Fortè Summi Pontificis Legatus Piſo, Româ ad conciliandam inter Sigiſmundum & Baſilium pacem miſſus, Vilnæ ſubſtiterat, atque in dies, in Moſcouia expectabatur. Eius ſe internuncium, nobilis Polonus Trepka, Italici Hungaricique idiomatis peritus, ſimulat: vt regia mandata, ſecuriùs ad Glinſcium deferat. Captus hic, atque mirum in modum barbarè excarnificatus, nihil omnino prolocutus eſt, quod, commiſſum ſibi à Rege ſecretum, violaret. Incredibilia eius fuerunt tormenta: nam veru alligatus ignem lentum; & cranium vnguiumque terebris perforationem, pertulit. Tam admirando conſtantiæ exemplo, vicit omnem tyranni ſuſpicionem; vt tandem crederetur, eum reuerà eſſe, quem ſe ſimulabat. Diligentiſſimè itaque curatus, receptiſque priſtinis viribus, ad Piſonem cum ampliſſimis muneribus eſt remiſſus. Apud alterum tabellarium incautiùs agentem, regiæ ad Glinſcium literæ interceptæ, plana omnia fecerunt: ſubitò Baſilij iuſſu Glinſcius in vincula coniectus, ex caſtris ablegatur. Viazmam deportato, Supremus Militiæ Magiſter, pro tribunali, proiectis ante eius pedes ferreis compedibus maniciſque: Michaël, inquit, tibi meliùs conſtat, quantùm in te beneficiorum à Magno Duce collatum ſit, quamdiu te ei fidum præbuiſti: nunc, quoniam perduellione fortunam tuam altiùs euehere molitus es; habes hoc par tuis meritis, ab eodem,

Celebre conſtantiæ exemplũ.

eodem, præmium. Mox Satellites collum, manus, pedesq; ferro onerârunt, atque è tribunali raptum, in profundiora Moſcouiæ auexerunt. Vulgato per Europam tantæ viciſſitudinis nuncio, multi Principum eius cauſam apud Baſilium agendam ſuſceperunt, atque ante alios Maximilianus Cæſar. Interceſſionibus Principũ, non parùm roboris addebat, neptis Michaëlis, coniunx Baſilij, continuis blanditijs. Neque Baſilius ipſe deſperabat fore, vt clementiâ eius auctoratus ad maiorem fidem Glinſcius, plus deinde emolumenti adferret Moſcouitico imperio, quàm nocumenti intuliſſet in Lituaniam clàm euadendo. Reſtitutus itaque Glinſcius & libertati, & dignitati priſtinæ, magnis deinde floruit Principis fauoribus: vt ob miram in rebus, bello ac pace, tractandis induſtriam, tutor filio impuberi à Baſilio deſignatus fuerit. In eo fortunæ gradu, cùm fortè reſciſſet, viduam Baſilij neptem ſuam, cum Owczynâ, collegâ ſui Magiſtratûs, probroſè viuere; fœminam pro ea, quâ ſanguinis ac tutelæ iure, auctoritate pollebat, ſecretò monuit: vt honeſti, ac famæ maiorem curam haberet. Recta monenti indignata impudens mulier, ſcelus ſcelere auxit, parricidio adiecto: nam ipſum Owczynam ad tollendum ſuæ conſuetudinis importunum caſtigatorem induxit. Inſimulatur Glinſcius tentatæ iteratò in Lituaniam fugæ: capitur, atque Ouczynæ (qui imperij atque Principis gubernandi collega erat) ſententiâ, capitis damnatur: erutis oculis, addicitur carceribus, in quibus vitam, ac fortunæ ſecum ludentis A.1514.

A. 1514. viciſſitudines, miſerâ morte concluſit.

Atque huius quidem tragœdiæ, quam totam hîc ſimul memorare placuit, poſt aliquot deinde annos, extremi euentus ſubſecuti ſunt: bellum autem, aduersùs Sigiſmundum à Baſilio ſuſceptum, eiuſmodi exitum, hoc anno, ſortitum eſt. Baſilius remiſſo in Moſcouiam Glinſcio, celerrimis nuncijs Celadino ſcripſit, vt contractis à vaſtatione Lituaniæ copijs, rectà Boryſſouiam contra Regem ducat, atque vel inuitum ad prælium eliciat. Quod ſi pugnæ copiam non faceret, vniuerſum exercitum coronâ cinctum, vnà cum Rege, pecudum more in Moſcouiam pelleret. Tanta erat huic homini, pluſquam barbara virium ſuarum ac ſucceſſuum æſtimatio: vt ne nomen quidem, vitio proprium, reperiam. Neque puduit eum, ante tentata fortunæ bellicæ auſpicia, ſententiã Maximiliani Cæſaris per literas exquirere, quid ſibi eſſet faciendum cum capto Sigiſmundo Rege, quem propediem in vinculis adducendum, minimè dubitaret. Rex retentis ad Boryſſouiam quatuor millibus, reliquas omnes copias, ſub Conſtantini Oſtrogij imperio, obuiam Celadino miſit. Priuſquam conferrentur caſtra, inter præcurſores, prout caſus hoſtem obtulit, magno ſucceſſu, leuiores pugnæ Regijs ceſſerunt; vnde animi plurimùm aucti, vt aperto prælio ſumma rei audaciùs committeretur. VI. Kal. Septemb. Oſtrogio, bis cum hoſte confligendum fuit, atque vtroque conflictu Victor manſit. Ioannes Sapieha, cum vnica duntaxat cohorte, ad ſiſtendas hoſtiles excurſiones

Moſcouitici belli euentus.

nes progreſſus, tres Moſcorum legiones circa Drouum *A.1514.*
inuaſit: atque captis aliquot illuſtribus viris, cæſis aliquot centurijs, reliquos in effuſam fugam impulit. Eodem tempore, excubiæ vtriuſque exercitûs circa Bobrum, ſibi inſperatò occurrerunt, atque commiſſo prælio Moſci loco depulſi ſunt, ac plerique capti. Ab his euentibus Celadinus minor animo, vereri cœpit, ne à tergo Boryſthene clauſus, cogeretur iniquiore loco pugnare: atque ideo vniuerſis copijs trans fluuium receptis, Orſzam inter ac Dubrownam, ad ripas Kropiwnæ amnis conſedit. Oſtrogius impigrè eum ſecutus, Orſzam primò contendit, vt iſthic Boryſthenem traijceret: cùm naues, rateſque conquiruntur, ponti ad peditatum cum machinis tranſportandum, inſtruendo; equitatus Lituanorum ſedecim millium, moræ impatiens, vadum tentat; eoque non reperto, ſatis feliciter, vno ſcilicet è ſuis deſiderato, in aduerſum littus nando euadit. Horum exemplum, accendit reliquos: cùm nemo dubitare auderet, à ſe fieri poſſe, quod ab alijs factum videbat. Pari itaque auſu, primùm ſtipendiarius Polonorum eques, ductore Ioanne Swiercewski: mox Proceres Tnczynski, Pilecki, Kmita, Szyſzkowski, alijque, cum cohortibus, ſuperant fluuium. Celadinus, ab excubitoribus monitus; Regios inſtare, poſſeque eam partem, quæ fluuio ſuperato ab exercitûs robore auulſa, ſuppetias non eſſet habitura, facilè opprimi delerique: reſpondit. Nequaquam ſibi videri, vt miles Magni Ducis, multiplici prælio fatigaretur: expectandum potiùs tantiſper

A.1514. tiſper quietè; donec hoſtes Boryſthenem tranſeant, quo à tergo comprehenſi, omnes ſimul vno confl ctu internecione deleantur. Ita animum eius, ſpes arrogantis præſumptionis plena, ad ſaniora conſilia, excæcauerat. VI. Id. Sept. (qui dies natæ Deiparæ Virgini ſacer eſt) traductis omnibus copijs, tertiâ ab ortu ſolis horâ, Oſtrogius ſuos in aciem produxit. Celadinus quoque eum aduentantem, ita octuaginta millibus inſtructis, expectabat; vt lateribus quàm maximè diductis, Conſtantinum, ab omni parte, ancipiti prælio inuolueret. Dato à Moſcis conflictûs ſigno, magno impetu legiones aliquot in Conſtantini alam irruerunt: exceperunt fortiter vim primam Lituani, & connixi mouerunt aliquantùm loco hoſtem: pugnabant tamen adhuc Moſci, quamquam nullâ vincendi ſpe; donec à latere aliquot Polonorum cohortes inuectæ, in fugam eos, à pugnâ auerterunt. Poſtquam hæ legiones, quæ prælium orſæ fuerant, ſub ipſum exercitûs robur, ſe receperunt: noua equeſtris phalanx è media acie in pugnam prorupit. Ad eius conſpectum, equitatus Lituanus conſtitit; mox peditatu, qui inſtantem hoſti equitem iam aſſecutus fuerat, intra ſuos ordines recepto, effuſâ in venientes globorum tempeſtate, ardorem eorum ita reſtinxit, vt cunctanter valdè, atque languidè, inueherentur. Oſtrogius animaduerſâ hoſtium cunctatione, priuſquàm reſumerent illi animos, ſuum equitatum, totis ſimul ſignis in hoſtem ire iubet, præitque exemplo. Secuta præeuntem magno impetu vniuerſa ſigna, ac præſertim Polono-

Polonorum procerum Ioannis Zborowski, & Lauren- A.1514.
tij Szyſzkowski, haſtati equites, viam in media acie aperuerunt, pugnamque ad gladios & manum, collato cum Moſcis pede, deduxerunt. Oſtrogius intereà mandat Lituanorum cohortibus, campo aliquantùm cedere, vt fugæ ſpecie, hoſtilem equitatum à pugnantium acie abſtraheret. Succeſſit ars ex voto. Moſci rati Lituanos deſerere arenam, liberiùs in eos effunduntur. Conſtantinus ſuis ad læuam flexis, hoſtilem equitatum, eorum veſtigijs inſiſtentem, tormentis bellicis, ac peditatui obiecit; ſimulque repentè equitum infeſta ſigna, in hoſtem redire iuſſit. Moſci inopinato euentu, ac ſtrage ſuorum, conſternati, magno tumultu in fugam abeunt. Fit cædes ingens in campo: neque pauciores pereunt circa Kropiunam, locis paludoſis, ipſoque amne, hauſti. Stabat adhuc Celadinus immotus, cum fronte, ipſoque robore, aciei: in eum itaque, Swierczeuius Dux Poloni exercitûs, ſtipendiarias haſtatorum cohortes; & Georgius Radiuilus leuiorem equitatum ducunt. Non diu hoſtis reſtitit, iam in ijs victus, quorum cladem fugamque videbat: exiguâ dimicatione fuſus, locum latibulis, per denſiores ſyluas, fugâ quæſiuit. Toto ferè die pugnatum eſt. Fugientibus pleriquè ad mediam noctem inſtitêre: aliqui vix à perſequendo hoſte, ſequente luce ſunt reuerſi. Quadraginta cæſorum millia, fuiſſe, narratur: hiſtoriæ fidem, ingentes ac frequentes, ex congeſtis cadaueribus tumuli, etiamnum confirmant. Ex Victoribus quadringenti, atque in ijs

A.1514. quatuor illustriores, desiderati. Castra opulentis spolijs plena, militi cesserunt: mediâ prædæ parte Ductorum sorti addictâ. Dux belli Celadinus, cum decem præcipuis Proceribus, multis Senatoribus, bis mille nobilibus, captus. Post peractas in castris, Summo Victoriarum Arbitro, militari cæremoniâ gratias, Ostrogius recognito captiuorum numero, trecentos octuaginta ex præcipuis lectos, cum laureatarum literarum nuncio, ad Regem misit. Dux Basilius acceptâ cladis notitiâ, deserto ad Smolenscum suo exercitu altero, trepidè Moscuam vsque fugit. Post tam insignem victoriam, facilè recipi poterant, quæ hostis nuper proditione occupauerat. Sola victoribus celeritas defuit: vix enim intra mensem Smolenscum attigerunt, impedimentis immodicis, per difficiles vias, onusti. Intereà hostis, tot dierum otio in rem suam vsus, arcem commeatu, ac cæteris, ad sustinendam obsidionem necessarijs, properè instruxit. Obsidio itaque, & tarda, & lenta fuit, absque maioribus machinis; ac ob eam causam irrita: ingruente autem grauiore, cum hyemalibus diebus, aurâ, necessariò deserenda, ab exercitu ad hyberna properante. Mendligereius Scytha, solitis stipendijs ad idem bellum à Rege euocatus, quamquam non procul à regijs castris constitisset, quia à Mosco quoque non contemnendam pecuniæ vim acceperat, nihil contra Moscos mouit, Ostrogio ad inuadendos Moscouiæ fines, studiosè vrgente. Non deerat barbari hominis vaferrimo capiti ingenium ad prætexendas tergiuersandi causas; certo,

non

non nisi eos aggredi, qui prælio primi succumberent. *A. 1514.*
Victoriâ Constantini, in regias partes plane inclinatus, in Moscouiam duxit: quam latissimâ populatione peruagatus, centum millia captiuorum eduxit. Ostrogius Vilnam reuersus, in monumentum grati erga Superos animi, amplum sub Trinitatis indiuiso nomine, Deo erexit monasterium, atque Monachis, Russis ritibus in Romani Pontificis obsequio viuentibus, attribuit. Rex cum Regina, solemni apparatu pro victoria gratijs Deo Vilnæ persolutis, captiuorum Moscorum, è præcipuis lectorum, quatuordecim, dono Romano Pontifici misit: quos Maximilianus Cæsar circa Halam à regijs Legatis per vim abstractos, in Moscouiam honorificè reduci curauit. Pristinæ nimirum cum Basilio amicitiæ suæ, id officij impendit. Cæterùm, cùm eodem anno in Hungaria ad Telezwarum Reginæ pater Ioannes, perduellem Georgium Ceklam insigni clade cecidisset, vereri cœpit, ne Sigismundus viribus cum socero iunctis, vtrumque victorem exercitum, in belli auctorem verteret: consilia, ad nouas amicitias quærendas, inflexit. Fratrem inprimis Sigismundi, Ladislaum Hungariæ Regem, filiumque Ladislai Ludouicum, Bohemiæ Regem captare cœpit, professus illorum se arbitrio perpetua cum Sigismundo fœdera stabiliturum, modò apud eum efficerent, vt secum alicubi congrederetur, amicè de pacis rationibus acturus.

Maximilianus Cæsar à Moscouitico fœdere recedit.

Sigismundus cognatorum Regum solicitatione permotus, III. Non. Martij Cracouiâ cum splendido Procerum

A. 1515. Conuētus Cæsaris cū Regibus,

A. 1515. Possony, & Viena.

cerum comitatu, ad Ladislaum fratrem, Possonium abijt. Multi Illustrium virorum Regem ex Lituania sunt secuti: opulentiâ, atque apparatûs splendore, ante alios, eminuerunt Nicolaus Radiuilus & Stanislaus Gastoldus; qui præter cæteros aulæ suæ comites, centum varij generis Musicos, ad Moscorum Scytharumque imitationem pretiosè vestitos, secum duxit. Possonio digressi Reges ad XVI. Kal. Maij conuenerunt cum Cæsare, haud procul Viennâ. Diuersa fuere oppida ad singulorum diuersorium designata: medio campo inter ea oppida, frondosa arbor, congressuris, stationem & vmbram præbuit. Conuenerunt, Cæsar, Ladislaus Rex, & Anna eius filia curribus vecti: Sigismundus & Ludouicus equites. Priusquam hospitales iungerentur dexteræ, Ludouicus Maximilianum vti Patrem ac Dominum, quòd Bohemiæ regnum pars Imperij Romani esset, salutauit. Annæ Virginis præ modestiâ; Ladislai senis præ lacrymis; sermo ab adstantibus audiri non potuit. Sigismundus graui, plenaque humanitatis oratione Cæsarem allocutus est. Cæsare, præ gaudij vehementiâ illud solum prolocuto. *Hæc dies, quam fecit Dominus*: subiecit Sigismundus. Hic ipse Deus faciat, hunc conuentum nostrum, Dominijs nostris, atque Reipublicæ Christianæ vniuersæ, faustum, fortunatumque. Iunctis mox amicè dexteris, negotia reliqua in aliud tempus reiecerunt; vt ad stationes suas digressi, Illustribus viris, salutationis causâ accessuris, dexteras, aurésque commodarent. Comitatus ex varijs Europæ gentibus conflatus,

ſtatus, multiformi habitu, ac incredibili magnificentiâ, conſpicuus; & tantorum Principum præſens Maieſtas, par Romanis triumphis miraculum, ſpectatoribus exhibuerunt. Apud Cæſarem, Ladiſlaum, & Ludouicum, Germani, Bohemique armorum ac veſtium elegantiâ; Itali ac Hiſpani, vultûs habitûſque dignitate; Hungari, diſcoloribus haſtarum lacinijs, equorum generoſitate: apud Sigiſmundum, Polonorum, Lituanorum, Ruſſorum, turmæ; Turcico, Perſico, Moſcouitico, Scythico habitu, phaleris equorum gemmis auroque fulgentibus; pharetrarum, vaginarum, galearum ornatu pretioſis lapillis accenſo: ſpectantium oculos rapiebant animoſque. Maximilianus plurimùm deſiderabat in Vienneſi regia, Reges hoſpitali menſâ accipere: verùm Hungaris aliquid infidi nequidquam metuentibus, Ladiſlaus vehementer obſtabat. Siſmundus Cæſaris Oratori, Cardinali Strigonienſi diſertè reſpondit. Se ex ſuo regno, eò vſque progreſſum eſſe, eâ maximè causâ, vt Cæſaris conſpectu, ac conſuetudine frui poſſet: quâ in re, cum necdum ſibi ſatisfactum exiſtimaret, iturum lubenter, quò Cæſar vellet. Sperare enim ſe, vt non alium Cæſaris animum experiretur, quàm quo ipſe erga eum eſſet. Quare Ladiſlao quoque perſuaſit, vt Viennam inuiſeret. Quinque millium equeſtres copiæ fuerunt, quæ ad vrbem Reges deduxerunt, præter eas, quæ circa tentoria ſubſtiterunt, atque peditatum. Non libet minutatim perſequi, quæ inter ipſos Principes, in eo conuentu conſtituta ſunt. Fœdus in rem Lituanam

A. 1515.

A. 1515. eâ maximè lege percuſſum eſt; vt Cæſar, aut reſcinderet Moſcorum, Pruſſorumque amicitiam, aut vtroſque ſuâ auctoritate ad petendam ineundamque pacem induceret. Acceſſit fœderi noua inter Auſtriacam, & Iageloniam domum affinitas. Ludouico Bohemiæ Regi, promiſſa eſt Maria Caroli V. & Ferdinandi I. ſoror: Ferdinando verò Cæſaris nepoti, Philippi Hiſpaniarum Regis filio, propè puero, Anna Hungariæ Princeps, XI. Kal. Aug. poſt oblatum ritè ſacrificium, refectoſque diuino epulo Principes, conſidentibus in medio Cæſare, vtrimque Regibus, per Cardinalem Strigonienſem deſponſata. VIII. Id. Aug. Sigiſmundus Viennâ digreſſus, ad domeſticum luctum rediјt: Regina enim Barbara, ſecundo partu filiam enixa, ipſa obijt. Elocatâ deinde Legnicenſi Principi, ſorore Elizabethâ, Lituaniam in Octobri inuiſit: egitque aliquantùm Breſtiæ, vt è propinquo Lituanis rebus proſpiceret.

Affinitas inter Auſtriacos & Iagelonios.

Nam neque eo anno Moſci quieuerunt. Actis per Polocenſes agros prædis, ciuitati caſtra admouerant; vnde totam viciniam infeſtam reddebant: eò ſecuriùs quod Lituano militi, Duna fluuius præceps, atque altus, tranſitum negaturus crederetur. Petrus Gaſtoldus Polocenſis Palatinus ei oræ tutandæ deſtinatus paucas ad manum cohortes habebat; itaque Ioannem Boratynski virum rebus bellicis clariſſimum, haud procul in ſtatiuis hærentem, celeri nuncio, ad iungendas vires, vocat: vtriuſque miles, ægrè duo millia bellatorum explebat: intrepidè tamen contra hoſtem ductus eſt. Vadum

Moſci ductu Sancti Caſimiri funduntur.

dum inquirentibus, ac prope amiſſâ omni ſpe, fluminis tacito agmine ſuperandi, cùm nemo eſſet agreſtium, qui ducere vellet; repentè eques iuuenis, armis fulgentibus, equo atque veſte candidis conſpicuus, ante ſigna conſtitit; atque breuiter milites, vt ſe auderent ſequi, exhortatus, incognito hactenus vado, in oppoſitam ripam præiuit. Superato flumine iuuenis quidem ille, repentè diſparuit, ex certis indicijs D. Caſimirus Poloniæ ac Lituaniæ Princeps, creditus: miles verò ſecuros in caſtris hoſtes adortus, internecione inopinatâ, omnes propè deleuit. *A. 1515.*

Venit intereà Cæſaris legatus Sigiſmundus Herbeiſteinius, ex nupero Viennenſi fœdere pacem inter Sigiſmundum Regem, & Baſilium Ducem procuraturus. Huic negotio de propinquo Rex intendere volens, in Lituaniam venit, gentiſque comitia Vilnæ habuit: in quibus ex Ordinum conſenſu Drohicenſem in Podlachia terram, Polonis perpetuo iure attribuit. Legatus autem Cæſaris, Moſcuam delatus, diligenter ſui nomine Principis, ſtuduit, Baſilio perſuadere; vt tandem cruento inter Chriſtianos populos bello finem, æquâ pace imponeret: atque ideò, ſuos Proceres ad limites Moſcouiæ mitteret, qui cum Regijs de ſincera conſtantique fœderum ratione agerent, ſtatuerentque. Baſilius, prolixè de Cæſare queſtus, quòd nupero bello quieſcendo, atque noua cum Rege Poloniæ fœdera paciſcendo, non ex fœderis ſecum initi fide feciſſet; reſpondit. Se pacis causâ nullos vnquam Oratores, ad aliquem vicinum

A. 1516.

Sigiſmundus Regno Drohicenſem prouinciam donat.

De pace, cũ Moſcis agitur, arbitro Cæſaris Legato, irrito conatu.

A. 1516. vicinum Principem, nedum ad Regem Poloniæ, missurum: permittere tamen, vt si Rex pacem cuperet, Legati eius Moscuam securè veniant. Monitus de ea re ab Herbeinsteinio, Rex, non leuiter arrogantiâ responsi offensus est, constitueratque neglectis legationibus, armis tam tumidos spiritus premere. Verùm, cùm inde Cæsareis literis vrgeretur, vt barbari capitis tumorem contemneret; inde suorum consilijs, vt Lituaniæ diuturnis bellis extremè exhaustæ, respirium daret: passus est se de sententia dimoueri. Iuêre itaque Moscuam Legati regij, Ioannes Szczyt Mareschalcus, & Bogussius Bohouitinus, Notarius Lituaniæ, Legati Cæsarei arbitrio, stabiliendæ pacis negotium tractaturi. Præfati animosè, Sigismundum Regem non necessitate aliquâ compulsum, aut dignitatis reuerentiâ, priorem suos Legatos ad Basilium misisse; verùm tum suo ingenio à Christiano sanguine abhorrenti, tum Cæsaris vehementer vrgentis gratiæ id dedisse: postulârunt, vt designarentur, qui secum absque ambagibus, præsente Cæsareo Oratore, de pace agerent. Destinato ad congressum die, diu coram Herbeinsteinio certatum est, vtrinque mordicus deuitantibus, ne primi essent, qui pacis futuræ leges proponerent. Tandem deiecti de pertinacia Mosci, has protulerunt. Helenæ Reginæ iam vitâ functæ, satisfieret de iniurijs; pœnis pro meritò, in capite virorum Principum, exsolutis: quidquid eidem connubij iure ab Alexandro Rege in Lituania possessionum attributum fuerat; Basilio cederet: Kiiouia, Volynia,

ſynia, Vitepſcia, Polocia, & quidquid olim Ruſſiæ imperio, Prouinciarum, Vrbium, Arcium, agrorum cenſebatur, Magno Moſcouiæ Duci, vti vniuerſæ Ruſſiæ Domino, reſtitueretur. Legati tam immodicà Moſcorum poſtulata exploſuri; vix minora propoſuerunt: atque inprimis, vt omnibus Prouincijs, quæ olim Lituaniæ Principi vectigales fuiſſent, Baſilius excederet; nimirum Nouogardiâ, Pleſcouiâ, Tueriâ, Viazmâ, Dorohobuzio, Smolenſco, Putiuolo, ac vniuersâ Seueriâ. Aduertit Herbeinſteinius, ex extremis vtriuſque partis poſtulatis, magnâ nimiùm contentione, nihil prorsùs, agi: auctor itaque fuit, vt ſi de pace ſeriò agere propoſuiſſent, ea poſtularent, quæ non omnino impoſſibilia factu eſſent. Poſt multam verborum dimicationem, Regij apertè ſunt profeſſi: ſibi alijs conditionibus paciſci, quàm quibus inter Alexandrum & Iuanum pax ſteterat, integrum non eſſe; quòd nihil plus in mandatis à Rege ac Republica haberent. Negotio vniuerſo ad ipſum Baſilium deuoluto, ſtrenuè Herbeiſteinius inſtitit, vt ſaltem Smolenſcum Regi reſtitueret; Michaëlem verò Glinſcium nunquam in Lituaniam rediturum, Cæſari donaret; qui illi ſedem in Germania figere pollicebatur. At, apud negantem omnia, ſoliſque verbis, cupidum ſe pacis, modò Rex cum diuerſis mandatis Legatos iteratò mitteret, oſtentantem; nihil obtinere potuit. *A.1516.*

Rex, Oſtrogio in finibus circa Opoczkam excubanti mandauerat; ne Legatis Moſcuæ agentibus de pace, quidquam hoſtile tentaret: at vbi nihil æqui à Moſcis, *Moſci à Lituanis repelluntur, à Scythis cæduntur.*

A. 1516. quod ſpem aliquam pacatæ rei faceret, proponi intellexit; curas ad proſequendum bellum vertit. Tauricanis, qui per Podoliam prædas egerant Rege in Lituania occupato, violati fœderis ſacrilegium, per internuncium exprobrat: ſimulque miſſis ſtipendijs, Mendligereium monet, vt ſuos in ſequentem annum expeditos haberet. Mendligereius, vt populationem Podoliæ, ſe omnino inſcio inuitoque, à iuuentute, quam compeſcere non poſſet, factam fuiſſe, Regi comprobaret: non expectato altero anno, octuaginta millia in Moſcouiam mouit, apertamque eam planè ac patentem populationi deprehendit. Baſilius enim milite propè vniuerſo, tum contra Oſtrogium, tum ad vaſtandum Lituaniam expedito, ſuis ſe viribus nudauerat: ita, & Lituaniæ modicè nocuit; & Moſcouiam propè perdidit. Prædatores Moſci, pluribus locis, ab arcium præſidiarijs ſunt reiecti, ac cæſi: cùm inſuper concurſu nobilitatis iuſtus exercitus confectus, aperto ſe campo illis intrepidè obieciſſet, Moſci ſiue præteritæ cladis fortunam timentes, ſiue quòd iniuſſu Magni ſui Ducis, confligere non auderent; prælium detrectârunt. Intereà vrgentibus Baſilij nuncijs, reuocatur in Moſcouiam, Scythicâ vaſtatione flagrantem. Magnis itaque itineribus redeunt. Iuſſi propè curſu veſtigijs Scytharum prædâ variâ onuſtorum, inſiſtere; ægrè eos Cherſoneſſum repetentes, conſequuntur; atque auerſum exercitûs agmen inuadunt. Scythæ ad primum tumultum, impedimenta omnia in frontem congerunt, ſigna cum bellatoribus

bus retro vertunt, atque fessos viâ Moscos aggrediuntur. Post modicam pugnam, campo pellunt: cæsis in acie ac fuga, viginti millibus, victores geminata spolia domum reportârunt. *A. 1516.*

Albertus Magister Prussiæ à Samogitia reijcitur.

Lituaniâ bello Moscouitico occupatâ, Albertus Brandeburgicus, Magister Prussiæ, quam rebellionem pridem animo coxerat, siue suâ sponte, siue vrgente Mosco, in apertum effudit. Dissuadebat pro virili Maxilianus Cæsar, quæ ante persuaserat: sed non erat tam facile, vulgatam flammam opprimere; quàm promptum fuerat, excitare. Collecto tacitè exercitu Albertus, destinauerat, insperatâ tempestate Samogitiam occupare: præiuerant aliquot turmæ, vt dum reliquæ copiæ succedunt, Samogitas inopinâ vastatione consternatos, prohiberent arma & consilia conferre. Verùm Ioannes Radiuilus Samogitiæ Supremus Præfectus, vt nobilitas parata esset in casum, quem præsenserat, tempestiuè suis literis præmonuerat: ipseque expeditas ad manum habebat cohortes. Vt primùm nunciatum est, comparuisse Prussorum signa circa limites Samogitiæ, iussis intereà ad castra nobilibus confluere, ipse hosti cum stipendiarijs occurrit, cæsisque circa Ragnetam, ducentis, reliquos in fugam compulit. Brandeburgicus spe suâ delusus, nihil ampliùs contra comparatos ad bellum tentauit: reuocauitque suos omnes (qui iam Regiomontum attigerant) in profundiorem Prussiam.

Scythæ & Mosci Podoliam vastant.

Extremi eius anni menses, Scythicis infestationibus inquieti fuêre: nam Tauricani, Basilij muneribus concitati,

A.1516. tati, Moſciſque, vti in eorum annalibus reperi, permixti, Podoliam copijs quadrifariam diuiſis, miſerè afflixerunt. Quamquam verò deinde fuſi cæſique ſint: ingenti tamen iacturâ ea victoria conſtitit. Romanus enim Oſtrogius Conſtantini filius, magnæ ſpei iuuenis, cùm inconſultiùs fugientibus inſtat, equo in curſu collapſo, ab hoſtibus circumuentus, occubuit. Afflictus frequentibus barbarorum infeſtationibus ſtatus Podoliæ, etiam Summum Pontificem Leonem ad commiſerationem permouit. Quare, cùm fortè per Poloniam, in bellum Turcicum ſuâ ſponte aliquid conferentibus, Eccleſiæ more, quaſdam relaxationes pœnarum, indulſiſſet: quartam collectæ pecuniæ partem, Podoliæ finibus contra Scythas permuniendis, & arci Camenecenſi reſtaurandæ, deſtinauit. Verùm nihil ferè commodi Podolia inde percepit: iam enim ex vicinarum gentium prauis exemplis, illata in Poloniam eiuſmodi rerum modica, aut nulla, æſtimatio non parùm reſtinxerat mortalium ſtudia, in conferendis, ad ſacrum contra Mahumetanos bellum, nummis.

A.1517. Oſtrogius Moſcos à Lituania reijcit Moſcouiã vaſtat.

Damnum tamen Podoliæ, egregiè Moſcis, in alterum annum repoſuit Oſtrogius, grauiore longè Moſcouiæ vaſtatione. Occupare voluerat Lituanos Baſilius, atque ideo ductore Szuiski ingentes copias in Lituaniam expediuerat. Verùm Oſtrogius ſuos, vnà cum Ioanne Swierczewski, qui mercenarium ex Polonia, Bohemia, ac Morauia, militem ducebat, Szuiſcio aduentanti oppoſuit. Moſci aperto campo diffiſi, verſus

Moſcouiam

Moſcouiam caſtra receperunt. Secutus impigrè Oſtrogius, vltima agmina cædit, obuia ferro ac igne vaſtat: neque tamen aut Szuiſcium, aut alium Ducem ad iuſtam pugnam elicere potuit. Itaque latiſſimè Meridionalem ac Orientalem Seueriam populabundo milite peruagatus, ad Septentrionem ſigna conuertit. Boryſthene ſuperato, ad Dunam duxit: viciniâ, in omnes partes euaſtatâ, eum quoque fluuium traiecit: inde ferro, ac igne Opoczkam vſque penetrauit. Lignea erat munitio, loco egregiè à naturâ inſtructo, ſita. Contempsêre Bohemi Morauique, inſuetum ſuis regionibus, arcis genus; neque permisêre, vt priùs bellicis machinis via oppugnaturis aperiretur, rati ſe paruo labore ſcalis in mænia euaſuros. At præſidiarij tranſuerſis trabibus magnaque lapidum vi, à pinnis in ſubeuntes demiſsâ; & ſcalas, & milites, protriuerunt. Clades peditatûs, reliquos abſterruit; ne inſultus iteraretur Caſtris itaque eo loco fixis, ad vaſtandos in omnia latera agros, eques dimiſſus, ferro & igne incredibilem vaſtitatem Moſcouiæ intulit; neque priùs ab eo populatione redijt, quàm adulta hyems, graues ſpolijs copias, ad hyberna reuocaſſet.

Fractus tantis cladibus Dux Moſcouiæ, tandem dolere cœpit; quòd inchoatum pacis negotium, ſua pertinaciâ abrupiſſet. Ne quid tamen, videretur in publicum, de ſolita arrogantia remiſiſſe; mærorem ex re infortunatè geſta, apud adminiſtros conſiliorum diſſimulare: pietatem prætendere, abhorrentem à Chriſtiano *A.1518. Dux Moſcouiæ pacē quærit.*

 cruore;

A. 1518. cruore; quem necesse esset fundi, bello inter se, ac Sigismundum, durante: hortari suos proceres, vt Lituano Senatui scribant; ne permittat tantis cladibus Christianorum, bellum trahi, sed nauet diligentem apud Sigismundum Regem operam, conciliandæ paci. Nihil tamen eo anno inter ipsos Principes actum est, armis velut ex condicto, sponte suâ silentibus: cùm, & Mosci post tot strages, quiete egerent; & Lituani Moscis quiescentibus, nihil mouerent. Rex pace publicâ ad confirmandam Regiam domum, visus est. Maximiliani Cæsaris suasu, atque cura, Bonam Sforciam Ioannis Galeatij Ducis Mediolani ac Barij filiam, Ferdinandi Neapolitani Regis neptem, coniugem duxit. Connubialia festa magno Principum confluxu, neque minore apparatu Cracouiæ sunt acta. Inde Rex comitiorum causâ in Decembri in Lituaniam venit. Celebrata sunt Brestiæ: in ijs permissu Ordinum Nicolao II. Radiuilo est indultum, vt titulis à Maximiliano Cæsare domui eius collatis, liberè frueretur. Maximilianus enim, vti Russiæ ac Mazouiæ Ducum, suorum fratrum, auunculum; Sacri Romani Imperij Principem, Ducemque in Goniundz, solitis ritibus, eum dixerat: sed Nicolaus, Rege ac Republicâ inuitis, nollebat vti ea peregrini honoris prærogatiuâ.

Rex cõiugem Bonã Sforciam ducit.

Ducis titulus Radiuilis cõceditur.

A. 1519. Sequens annus fuit, à Moscis quietus, à Prussis turbulentus, à Scythis planè funestus. Accessit mors Alberti Radiuili Antistitis Vilnensis, viri totâ Republicâ celebratissimi, tum omni alio pietatis genere, tum maximè

Albertus Radiuilus Eleemosynarius moritur.

ximè in egenos: vnde & Eleemoſynarij agnomen, populari conſenſu, meritus eſt. Scythæ Tauricani vaſtatis aliquot prouincijs, Sokalum vſque progreſſi, exuſtâ ciuitate, cum ſtrage formidandâ, reliquis locis imminebant. Circa Socalum primò occurrerunt regiæ copiæ, ex Polonis, Lituanis, Ruſſis, properè, vt in ſubito tumultu, lectæ. Aderat Conſtantinus Oſtrogius, nitebaturque perſuadere Polonis Ducibus, vt prælium in æquiorem locum differrent: Nam, & Ventum eo die miles aduerſum habebat, & acies, inter rudera exuſtæ ciuitatis, conſtiterat; vbi foueis, fornicibus, tumulis, murorum collapſorum congerie, equitatus impeditus, ferè nulli vſui futurus erat. Nequidquam monente Conſtantino, aliqui viribus exercitûs fidentes, Scythicis prælijs penitùs non aſſueti, præcipitauerunt prælium. Victi itaque, ac profligati à Scythis, luctum publicum auxerunt. Scythis, vix cum præda digreſſis, Magiſter Pruſſiæ fines Poloniæ & Samogitiæ infeſtare cœpit: eo maximè conſilio, vt Rege in Pruſſiam elicito, honeſtâ aperti belli occaſione, rebellionem velaret. Rex demandatis contra Scythas ordinario è nobilitate militi excubijs, ipſe cum ſtipendiarijs, in Pruſiam mouit: ſecutus eſt, ex Lituania, cum auxiliaribus copijs Georgius Radiuilus Grodnenſis Præfectus. Fuſi ſunt eâ expeditione aliquot locis Pruſſi: Melzacum, Orneta, Lubauia, Holandia, Siekierka, & alia ignobiliora caſtella, vniuerſim decem, Magiſtro erepta.

A. 1519.

Regius exercitus à Scythis profligatur.

Magiſter Pruſſiæ armis domatur.

Intereà Moſci, occaſionem eiuſmodi de pace tractanda

Moſci ad pacem in-

A. 1519. ctanda obtulerunt. Gregorius Theodori, Princeps Senatûs per Boryſum Kamienski interpellauit primus, Nicolaum Radiuilum Palatinum Vilnenſem; vt ſi fortè Rex à pace alieno non eſſet animo, non grauaretur eius causâ, legatos ſuos Moſcuam ad Baſilium mittere: quòd iam is, Procerum ſuorum precibus, inclinatum ſe ad pacata conſilia, non modicè ferret. Radiuilus, ex Regis ſententia, per Nicolaum Stawski reſpondit: iniquum quidem eſſe, vt priores regij legati Moſcuam pergerent; nihilominus Sigiſmundum, vti Chriſtianum Principem, non tanti eam honoris iacturam æſtimare; vt eius vitandæ causâ, cruenti belli ſiſtendi ſpem, aut negligeret, aut differret. Miſſurum, itaque procul dubio Legatos, modò illis Baſilius viæ ſecuritatem, per ſuas literas tempeſtiuè prouideret. Fungendi eo munere, Prouincia obuenit Ioanni Leluſzewicz, Palatino Podlachiæ, & ærarij Lituani ſupremo Præfecto. Sed cùm neque Rex quidquam de præteritis conditionibus immutâſſet; neque Moſcus aliquid concederet; deſperatâ in præſens tempus pacis concludendæ ratione; agi cœptum eſt; vt in quadriennium fœdus ſanciretur, atque intereà collatis Legatorum conſilijs, pacis perpetuæ modus iniretur, qui vtrique Principi non diſpliceret. Baſilius, ne in has quidem inducias conſenſit: illud duntaxat probauit, vt ſaltem tamdiu ab armis ceſſaretur, quamdiu per alios Legatos de pace ageretur; aduentui verò legatorum circumſcriptum eſt tempus ijs ferijs, quæ vernum Chriſtianorum quadraginta dierum ieiunium, proximè præcedunt.

Secundam inuitant.

Tardè

Tardè nimis legatis ex Moſcouia reuerſis, non potuerunt alij, ad condictum adeſſe tempus. Quare Sigiſmundus per Nicolaum Szoſtak, aulæ ſuæ familiarem, monuit Baſilium, vt diem legationi prorogaret. Comitatus eſt Nicolaum, Ioannes Hayko, à Nicolao Radiuilo cum priuatis mandatis ad Gregorium Theodori miſſus, qui tum eum, tum cæteros Primores hortaretur, ne conciliandorum Principum curam, remitterent. Nihil tamen certi, eo anno, conſtitutum eſt: quòd Baſilius, vti deinde per Boguſſium Woytyk, internuncium regium expoſtulatum eſt, literis inſolito more expeditis, iter legatorum impediuerit. Miſit enim inuolutas, ac ſigillo clauſas: ita, vt neque legati ſcire poſſent, quid eis contineretur, ſigno non reſciſſo; & violato ſigillo, Moſcos fidem literis daturos non ſperaretur. Cùm pacis negotium in Moſcouia, ſiue fortuitò, ſiue quod vero propius, deſtinato Baſilij conſilio, differtur: in Pruſſia bellum calebat. Magiſter Pruſſiæ, collectis per Germaniam liberali ſtipendio decem millibus, ductore Volfango Schonemberg Campeſtri militiæ Magiſtro, regiæ ditionis Pruſſiam inuaſit. Sed Volfangus, cùm primorum ſucceſſuum impetu abreptus, maiora viribus audet, exercitum perdidit. Teſzczouiâ, & Ornetâ, per deditionem potitus, ſigna Gedanum mouit, inſigni ſuo damno. Non machinis modò bellicis ex muro, ſed etiam frequenti excurſione, ita vexatus eſt, vt quatuor millia ſuorum deſideraret. Auxit cladem incredibilis fames quæ ſuperſtites reliquos ita exhauſit,

A. 1520. Pacis cum Moſco negotium differtur.

Magiſter Crucigerorũ in Pruſſia profligatur.

A. 1520. vt ne armis quidem ferendis, pares essent: atque Hi ipsi, à Regijs copijs properè ex Poloniâ ac Lituaniâ euocatis, internecione perierunt. Teszczouiâ recuperatâ, Choyniciâ, & Starogardiâ vi captis; reliquæ arces spontè sub imperium Regis concesserunt. Regi è propinquo (Torunij agebat) successibus Prussicis intendenti, geminauit eius diei lætitiam, allatus nuncius simul, & hostis profligati, & filij Kalendis Augusti Cracouiæ nati: cui in sacro fonte Sigismundi Augusti nomen est inditum. Magister Prusiæ Albertus, amisso exercitu, & magnâ ditionis parte, post accisas vires, alieni imperij patientior redditus, ad petendam ab auunculo per amicos pacem, consilia flexit. Concessæ sunt quadriennales induciæ, vt id tempus esset legibus perpetuæ pacis quietè condendis. Iam enim Luteri sectâ ex Germania in Prusiam inuectâ, Equitum Crucigerorum ordo, rebus contra idolorum cultores gestis celeberrimus, ita luxu dissolutus fuerat, vt summi æquè ac infimi, nullo discrimine, proculcatis votis, quæ Deo nuncupauerant, desertâque auitâ Romanâ religione, ad sacrilegas nuptias apertè conuolarent. Inde veteres titulos Magistrorum, Mareschalcorum, Commendatorum, extremè nauseare cœperant, atque mutationem suæ Reipublicæ haud dubiè moliri.

Sigismundus Augustus nascitur.

A. 1521.

Status Crucigerorum in Prusia.

Pacata Prusia Rex, cum Basilio per Stanislaum Dowgird egit, vt inchoata pacis tractatio resumeretur. Basilius verò institit, vt regij potiùs Legati Moscuam venirent, quòd ipse præsens, faciliùs suorum intempesti-

De pace cũ Moscis tractatur.

uas

uas concertationes moderari posset. Commissum itaque est à Rege hoc negotium, Petro Kiszka Palatino Trocensi, Bogusio Bohouitino Ærarij Lituani Supremo Præsidi, & Ioanni Hornostaio Notariorum Magistro. Vrserunt illi diu, vt si Basilio Duci, sincerè pax cordi esset, pacisceretur, aut ijs conditionibus quibus olim inter Basilium eius auum, & Casimirum Regem; aut quibus inter Alexandrum Regem & Iuanum Basilidem, parentem Basilij, conuenerat. Verùm obstinatè Proceribus Moscis, spem nullam concordiæ ea lege, facientibus; de alia pacis forma agi cœptum est. Imminebat ei quoque labori, non dispar à superioribus legationibus euentus: cùm enim Mosci, non solùm Smolensciam, sed etiam nihil omnino agrorum Lituanæ ditioni detractorum restituere vellent; restabat, vt legati post diuturnam concertationem, absque pace, Moscuâ abirent. Fortuitò tamen sermone illato, num nequirent ad decennium induciæ fieri, quibus annis pacatè vtrimque possideretur, qnidquid agrorum, iure seu iniuriâ, ad initium induciarum, Lituani, Mosciué obtinerent? in quinquennale fœdus vtrique consenserunt; limitesque Smolenscensibus agris designârunt. *A.1521.*

Sequens annus ab armis quietus, comitijs Grodnæ peragendis spatium dedit: verùm ea, quantùm ab hoste fuerunt secura, tantùm ex domesticâ causâ turbulenta. Commoti fuerant haud leuiter Ordines, quòd Rex Constantino Ostrogio Trocensem Palatinatum contulisset: non quidem, quòd tantorum meritorum *A.1522. Turbæ in Lituania occasione Shismatis Græci.*

A. 1522. viro, eum honoris gradum inuiderent; ſed quòd prauo exemplo, via infringendis legibus antiquis, aperta eſſet. Conſtantinus enim, vt erat Ruſſæ religioni addictus, Antiſtibus Ruſſis, Græcorum Schiſma, per eos annos, ſecutis, ad eorum factionem tranſierat, atque obſequium erga Romanum Pontificem detrectabat. At verò vetus Iagelonia lex, ab omnibus Magnis Ducibus Lituaniæ, non tantùm ſanctè obſeruata, verùm etiam firmata, arcebat Senatu, cæteriſque dignitatibus omnes, qui Pontifici Romano ſubeſſe nollent. Neque prius quieuerunt Ordines, quàm extortâ à Rege ſponſione, publicis munimentis ſignatâ, quâ ſuam, ac ſucceſſorum fidem obligabat, non facturos vnquam, vt homines à Romana religione alieni in Senatum cooptarentur. Impoſito ijs comitijs fine, Rex Cracouiam abijt. Secuti ſunt Legati Moſcouiæ, qui induciarum firmandarum causâ miſſi, Regem in Lituania non deprehenderunt. Cùm eſſent Cracouiæ, poſt peractam Legationem, Regalem menſam declinârunt, ne cum legatis Papæ, Cæſaris, ac Regis Hungariæ, de Principe loco concurrerent. Barbaris etiam pectoribus ſuus honoris guſtus inerat; ſed nimius: nam officij virtutis ignari, etiam indebita, vſurpabant. Iocine causâ, an ex vero ſcriptum, non diſcepto: reperio tamen, ſapidiorem illis fuiſſe, regijs epulis, allij ceparumque vſum, quibus tantâ eos copiâ veſci ſolitos, perhibetur, vt tandem Cracouiæ vtriuſque huius oleris defecerit genus.

Legati Moſcorum Craconiæ.

Baſilius pacis à Lituania ſecurus, arma contra Caſanenſes

nenſes Scythas vertit: fixaque in inferiore Nouogardiâ ſede, ei expeditioni inuigilabat præſens. Eò vſque proficiſci debuit internuncius Regius Staniſlaus Dowgird, cum expoſtulatione de nouis iniurijs: at reſponſi locum, mutuæ querelæ occupârunt. Itaque duo proximi anni, inter minutas priuatorum circa fines iniurias, ac Principum per internuncios querelas, exacti; plus ad nouas diſcordias, quàm ad perpetuæ pacis ſpem, contulerunt. Ac ferè vtrimque, & querelæ ſimillimæ erant, & reſponſa paria. Cùm enim ſemel, iterumque, ac tertiò explicuiſſet Sigiſmundus Rex, per eundem Dougirdem, quòd à Vielicolucenſi Præfecto, Vſiuiatenſes; à Starodubenſi, Lubecenſes; ab alijs Kriceuienſes, Ciecierſcienſeſque agri, ac coloni, paterentur: Baſilius proteſtatus inſcio ſe, ac inuito, hæc facta; promittebat curaturum ſe: vt pro præteritis omnino ſatisfieret; deinceps verò nulla daretur, querelis anſa. Similia Sigiſmundus, ad querelas Baſilij reponebat. Tandem Baſilius, per Bouſalum Dimitrowicz regium nuncium, ita ſcripſit; vt more Moſcis perpetuo, omnem cauſam à ſuis amotam, in regios deuolueret. Aiebat, poſt inſpectam rem ſedulò, probè ſibi & præfectis ac miniſtris, cognitum eſſe, iniurias nullas omnino à Moſcis inferri, plurimas autem perferri: ius læſis, à ſuis præfectis adminiſtrari; a regijs, prorſus negligi. Orabat, vt ad eradicandam infelicem continuarum litium ſegetem, Legatos mitteret, qui pace conſtitutâ, vtriuſque populi gentes, certis limitibus, de communi conſenſu diuiderent.

A. 1522. Mutuæ iniuriæ & querelæ, inter Sigiſmundum & Baſilium. A. 1523. A. 1424.

A. 1525. Pax noua cum Crucigeris Prussiæ, conclusa.

Verùm Sigiſmundus Pruſſicis rebus componendis intereà intentus, coactus eſt Legationem Moſcouiticam differre. Miſſo tamen Nicolao Iwaſzencouiticio, legatorum aduentum promiſit: adiunxit, & querelas de recentibus iniurijs. Porrò cum Alberto Pruſſiæ Magiſtro, ac integro Crucigerorum Ordine, ita conuenit. Ordo Crucigerorum in ea regione penitùs extingueretur. Albertus Pruſſiæ portionem, quam nunc Ducalem vulgò vocamus, titulo Ducis obtineret: ſed regio imperio, ſimul cum Prouinciâ, ſubeſſet; eoſdem cum Polonia hoſtes, amicoſque, deinceps habiturus. Pruſſiæ nobilitati, atque oppidanis, iniuriam paſſis, ius ac poteſtas libera eſſet, à ſententia Magiſtratûs, atque ipſius Ducis, ad regium tribunal prouocandi. Præmiſsis itaque legibus, iureiurando firmatis, Albertus ſolemni pompâ, à Sigiſmundo Rege, VI. Id. Mart. inauguratus, primus Pruſsiæ Dux appellatus eſt.

Cũ Moſcis de ineũda pace perpetua agitur.

His confectis ad Moſcouiticam pacem maturandam verſæ curæ: præſertim, quia & induciarum vltimi dies haud multùm aberant; & exteri Principes opus vrgebant per legatos & literas, metu Turcæ imminentis: reprimendis enim eius ſucceſsibus, perneceſſaria erat Chriſtianorum concordia. Collatis cum Rege conſilijs, Legati Papæ, Cæſaris, ac Romanorum Regis, præiuerunt in Moſcouiam, ſecuturos mox Regios: in limitibus hæſerunt tamdiu, donec Regijs poteſtatem liberam, penetrandi Moſcuam, receperunt. Neque priùs Mozaiſcum mouerunt, quàm veniſſet nuncius, Regios iam

iam Smolenſcum attigiſſe. Nihil tamen, ante eius anni finem, de pace tractatum reperio. Annales Moſcorum Clementis Papæ Legatum Ioannem Frentiuſcam, Caroli V. Cæſaris Leonardum Comit, Ferdinandi Regis Sigiſmundum Herbeiſteinium, memorant. A Sigiſmundo Rege, ijs, qui ante quadriennium, eo munere functi fuerant, commiſſum eſt negotium. A. 1525.

In primo legatorum congreſſu, Procerum Moſcouiæ Præſes Szuiſcius, præfatus eſt. Magnum Dominum ac Ducem Baſilium, promptum paratumq; eſſe, Summi Pontificis, ac Imperatoris gratiâ, præſtare vniuerſa, quæ ad pacem cum Poloniæ Rege perpetuò duraturis fœderibus ſtabiliendam, neceſſaria futura eſſent. Verùm poſt tam liberale proloquium, vbi ad enucleandas pacis leges deductum fuit negotium, is ipſe pertinaciſſimè pernegabat, cum collegis ſuis, aliquid poſſe à Duce reſtitui: quantumuis Lituani deploratâ aliarum prouinciarum fœderis interuentu recuperatione, Smolenſciæ ſolius, eiuſque non integræ, reſtitutionem poſtularent. Rem arbitrorum iudicio, æquam vrgebant: quare vt obtinerent, multùm, ab ipſis arbitris, allaboratum eſt. Sed omnem eorum contentionem ſuperabat, obſtinata in veſtigio pertinacia Moſcorum, ad omnia nihil aliud opponentium, quàm Magno ſuo Duci vniuerſam Ruſsiam deberi, hæreditatis iure; quod nullum omnino eſſe, Legati minimè ignorabant. Ægrè tandem in ſexennales inducias, vtrique conſenſerunt; eâ lege: vt Baſilius retento Smolenſco, Ducis Smolenſciæ titu- A. 1526.

lo

A.1526. lo abstineret: Regij verò ordinarijs Magni Moscouiæ
Magni Russiæ Domini titulus Mosco cōceditur. Ducis titulis, adijcerent vocabulum Magni Domini vniuersæ Russiæ. Fœdere hoc per Legatos Basilij, in præsentia Regis ac Senatûs, confirmato, ad præscindendam iurgiorum in confinijs materiam, constitutum est, vt vtrimque designati extra ordinem iudices, finitimis ius dicerent. Impetrârunt ijdem Legati, vt per vniuersam
Ludouicus Hungariæ Rex perit. Lituaniam, captiui Mosci conquisiti, Vilnam deducerentur, atque liberaliùs haberentur. Commodæ Regi, eæ induciæ acciderunt, ex domestico luctu, mærenti. Ludouicus enim nepos Hungariæ ac Bohemiæ Rex, prælio ad Moharam à Solimano Turca victus, cùm amisso exercitu, fugâ periculo se efferre conaretur, collapso in palude equo, ab eodem oppressus, VI. Kal. Sept.
Lutherani turbas Gedani cient. miserè interierat. In Prussia quoque Gedanum illata Luterana secta, vehementer ciuitatis statu concusso, nouis turbis causam dederat. Nam concitato tumultu, omnis propè templorum opulentia, sceleratorum hominum rapinis cessit. Publicè verò, vi lex perlata est: vt qui nouam illam sectam sequi detrectarent; magistratu abscederent. Regi itaque, necessariò festinandum fuit, ad occurrendum priùs malo, quàm radices altiùs egisset. Gedanum delatus Rex auctores tumultûs, partim capitis damnauit, partim eos qui maturâ fugâ capita gladio subduxerant, proscripsit; atque ita pacem, ciuitati ac religioni, paucorum pœnâ, restituit.

A.1527. In Lituania silente Moscouitico bello, contra Tauri-
Lituani proceres canorum irruptiones, quibus non Podolia tantùm &

Podguria, ſed etiam Poleſia, frequenter infeſtabatur, Proceres Lituani, auctore Conſtantino Oſtrogio, priuato fœdere conſpirarunt. Augebant Tauricanis animos & audaciam, Turcica auxilia, Imbraimo duce: qui Scythicis excurſionibus, viam Turcico imperio, muniebat. Oſtrogius accepto nuncio, triginta quatuor millium exercitu, Scythas, Turcaſque, more ſuo in Podoliam ac Podguriam ducere, monet properè fœderatos de periculo. Neque illi morantur: magnâ celeritate cum milite, quem ſuis ſtipendijs in eam occaſionem auctoratum habebant, ad Oſtrogium confluunt. Georgius Dux Slucenſis, Theodorus Dux Sanguſzko, Georgius Radiuilus, Ioannes & Alexander Korybuti, Duces Wiſniewiecij, Alexander Dux Czartoriſci, Andreas Niemirowicz Palatinus Kiiouię, Euſtachius Daskowicz Præfectus Cirkaſſorum, alijque non pauci. Cum his Oſtrogius magnis itineribus profectus, quadraginta leucas vltra Kiiouiam, progreſſus, hoſtem cum præda redeuntem aſſequitur: commiſſoque prælio feliciter profligat. Victoriam celebrem fecerunt viginti quatuor millia hoſtium cæſa, cum Duce Turcarum Imbraime: octuaginta millia captiuorum in libertatem vindicata: præda omnis erepta. Rex tantæ victoriæ famâ, ad conficienda reliqua, quæ pacto nuper cum Moſcis fœderi deerant, vſus eſt. Ioannem Ieſman nobilem è regia aula equitem, ad Baſilium miſit, cum eiuſmodi mandatis. Captiuorum numerum, ac ſingulorum conditionem, inueſtigaret: poſtularet; vt quandoquidem Rex

A. 1527. priuatis opibus Scythas profligāt.

Cū Moſco agitur de implendis induciarū conditionibus.

A.1527. Moscis id præstitisset, Basilius quoque curaret maiorem rationem haberi Polonorum Lituanorumque, in Moscouia detentorum: quereretur denique, quòd, cùm Rex magnæ æquitatis viros iuri dicendo in finibus præfecisset, vti nuper cum Legatis Basilij constituerat, Basilius non solùm suos iudices non misisset, sed etiam regios fraude interceptos, in vincula abduci mandâsset. Respondit, præter morem, modestè Basilius. Captiuos sedulò conquisitos per Moscouiæ Prouincias, compedibus atque carcere liberos, Moscuæ per contubernia agere: solis illis custodiam adhibitam, qui vadem habere non possent; reliquos omnes liberè, absque custode, versari. Recuperatores regios se omnino inscio captos, iussu suo cum magna honoris testificatione dimissos esse: ac propediem suos affuturos ad condictum locum. Captiuorum aliquos, solutos vinculis, clàm ex Moscouia abijsse: æquum proinde videri; vt eos Rex remitti iuberet. Denique petijt, vt quos, occasione Regiorum iudicum interceptorum, Moscos aut mercatores, aut tabellarios, detineri contigisset; illis liber in Moscouiam reditus permitteretur.

A.1528. *De Augusto puero Lituaniæ Duce creãdo agitur.*

Reuersus ex Moscouia Iesmanus, Regem cum Regina, Vilnæ reperit. Verebatur Rex, ne si fortè, vti iam grandis natu erat, morte festinâ præoccuparetur; Augustus filius adhuc puer, regendæ Reipublicæ per ætatem inhabilis, à Polonis præteritus, ex noui inter Polonos ac Lituanos fœderis formâ, Lituani quoque Principatûs successione excluderetur. Augebat metum ac suf-

picíones Regina: non tam Filij; quàm suâ causâ. Ipsa enim sibi timebat, ne mortuo Rege in ordinem redacta, priuatam vitam agere cogeretur; quæ hactenus, diuisum propè, aut idem, cum Rege imperium, satis impotenter administrabat. In Lituaniam itaque vterque venit. Cum Proceribus, Senatu, ac Equestri Ordine agendum erat; vt, primo quoque tempore, Sigismundus Augustus, Magnus Lituaniæ Dux, renunciaretur. Secretis consilijs ista tractabantur; captabanturque homines occultè, ne res euulgata ad Polonos, in irritum abiret. Hàc molitione, Rege Vilnæ occupato, Legatus Mosci Ducis, cum lepidâ Legationis materiâ venit. Offenderat nempe Basilium, quòd Ioannes Iesman generis nobilitate, ac singulari industriâ clarus iuuenis, superiore anno Moscuam missus, iunior ætate visus fuisset: barbaræ suæ Maiestatis, eum contemptum interpretatus, vrgebat per Legatum, vt maturiori annis viro, captiuorum per Moscouiam conquirendorum negotium, committeretur. Petebat etiam, vt de iniurijs per Seuerinum Noruedum illatis, satisfieret: ac Valachorum Legatis ex Moscouia redeuntibus, potestas transeundi liberè per regias ditiones, fieret. Responsum, Regis nomine, per Notarium Lituaniæ Ioannem Hornostaium. Valachis libera itinera patere: Seuerinum latrocinijs viciniam vtramque, infestantem, non parere Regi, vti hominem exterum: de reliquo, satisfacturos Basilio Legatos, propediem Moscuam venturos. Fuêre legati Matthias Kloczko Mareschalcus, Basilius Bogda-

A. 1528.

Moscouiæ Dux offēditur iuuentute legati.

Legatio in Moscouiam.

A. 1528. nowicz Czyz, Comes ſtabuli, & Andreas Mackiewicz à Secretis Regijs. Legationis verò ſumma. Captiui omnes Moſcuam deducti, legatis ſiſterentur: recuperatores ad confinia quamprimùm mitterentur; qui collatâ cum Mackieuicio ſententiâ, lites terminarent: ſi de pace perpetua agi placeret Baſilio, Legatos ad Regem mitteret. Baſilius pacem ſe optare profeſſus, negauit ſe eius causâ Legatos miſſurum. Captiuis omnibus circa Natales Chriſti ferias liberum abitum pollicitus eſt. Iudicijs inſtituendis, feſtum, quod Ruſſis ſub Protectionis B. Virginis nomine celebre eſt, deſignauit; permiſitque, vt ijs Mackieuicius intereſſet. Iam in reditu Legati regij erant: cùm nuncius Moſcuam venit, Valachorum Legatis Vilnam deductis, comitem ijs à Baſilio Moſcum additum, Moſcuam reuerti iuſſum. Perturbatus eo nuncio Baſilius, Legatos regios Mozaiſci detineri mandat. Legati ignari prorſus quid ageretur, properè Turczeninum, virum è regia aula nobilem, in Lituaniam expedierunt, vt certi exploratique, aliquid referret. Sed Boryſſus, comes Valachorum, maturè vanos timores diſcuſſit, celerrimo nuncio ad Ducem miſſo. Valachos eâ ſola de causâ ad Regem coactos ire; quòd eorum Princeps ſolitas de more literas liberi tranſitûs, à Rege petere neglexiſſet. Cæterùm, vbi primùm deducti ad Regem poſtulârunt, vt ijs ad Principem ſuũ, per regias ditiones liceret redire; abſque vlla aut noxâ, aut morâ, eſſe dimiſſos. Properè itaque Mozaiſcum miſſa Baſilij mandata, ne ampliùs Legati regij detinerentur: rarâ felicitate

licitate domum redierunt, non violati ab ea gente, cui minimis occaſionibus, ad proculcanda quæuis gentium iura abuti, nulla eſt religio.

Intereà totus hic annus, maiorque pars proximi, Regi abijt, varijs artibus Lituanorum animos tractando, ſententiaſque inclinando, ad Auguſtum Principem, ſibi ſubſtituendum, ac Magnum Lituaniæ Ducem renunciandum. Paratis ferè præcipuorum ſuffragijs, comitia Ordinibus, Vilnam, ad medium Octobrem, ſunt indicta. Initio Comitiorum, aguntur in ſpeciem, alia diuerſa negotia: priuatim verò, illi, quibus necdum ſecretum ſuboleuerat, amicorum colloquijs ſubiguntur. Cùm tandem vix vllus repulſæ metus ſupereſſet, Rex, quod pridem deſtinatum habebat, apertè in Senatu promit. Primorum conſenſum, ſequuntur alij, magis veneratione auctoritatis, quàm propriâ ſententiâ. Renunciatur Sigiſmundus Auguſtus, comitiorum concordiâ, Magnus Lituaniæ Dux: atque XV. Kal. Nou. regali apparatu, in templo D. Staniſlai, ſolitis cæremonijs inauguratur, annorum nouem puer. Peractis comitijs, Rex, Baſilium Moſcouiæ Ducem, per Ioannem Bohouitinum, monuit: filium ſuum Sigiſmundum Auguſtum, ſe volente, ac ſpontè abdicante, Ordinum omnium conſenſu, Magnum Lituaniæ Ducem renunciatum, rerum in Lituaniâ potiri, ſolo labore ac publicæ rei curâ, parenti relictis. Quare quamquam non ignorem, conſilio ac imperio Parentis, per plures annos adminiſtrata eſſe, quæ deinceps in Lituania contigerunt.

A. 1529. Sigiſmundus Auguſtus puer, renunciatur Magnus Lituaniæ Dux.

A. 1529. runt: quia tamen ea, Parens ipſe, noui Principis auſpicijs, ſua ſententiâ addixit; mihi quoque ſub eiuſdem nomine, pertexere, viſum eſt.

LIBER VIII.

DE REBVS LITVANORVM

Sub Sigiſmundo III. Auguſto, Principe.

Iudiciorũ in finibus Moſcouiæ ſucceſſus.



Væ ad concordiam in finibus Moſcouiæ tuendam, conſtituta nuper, atque à Baſilio Duce promiſſa fuerant, vix cum fine anni exitum habuerunt, Moſcis procraſtinantibus. Andreas Nackieuicius dicendo iuri à Rege deſignatus, maturè ſatis Polociam venerat, atque elapſo tempore quod condictum fuerat, ſatis diu Moſcorum aduentum irritâ ſpe, præſtolatus eſt. Baſilius tamen, ſuos omni culpâ abſoluebat, tarditatis causâ in itinerum difficultates reiectâ: quin, & contra Andream querebatur; quòd paucorum (vt ipſe aiebat) dierum moræ pertæſus, licet reſciuiſſet Moſcos propediem affuturos, tantillum temporis expectationi ſuperaddere abnuiſſet. Quare cùm Baſilius diem iudiciorum ad Paſchales ferias prorogat; Rex verò tempus id, ob exundantes vernis menſibus aquas, itineri perquam incommodum, non acceptat: negotium, propè ad hyemem, protractum eſt.

 Rex

Rex ex Lituania in Poloniam reuersus, eodem successu, quo in Lituania causam Augusti Filij perfecit. Nam, consensu Ordinum, successor Parenti: designatus est, atque IX. Kal. Mart. sumpto Cracouiæ diademate, Rex Poloniæ salutatus. Eo ipso tempore, Vilna ex grauissimo incendio, magnam stragem accepit: vastatis flammâ profanis sacrisque ædificijs, vix tertia vrbis pars, eaque tectis deiectis multùm lacera, ægrè seruata est. Neque reliqua Lituania, meliore vsa est fortunâ. Pestifera contagio per æstiuos menses, vrbes plerasque ac oppida, pagosque funeribus impleuit. Ab hoste etiam accessit non leue damnum. Scythæ Tauricani, inopinatò patentibus campis infusi, priusquam ad arma Lituania concurreret, latè prædas egerunt. Nobilitas tamen & militiæ Ducis edicto, & suo periculo euocata, ductore Ioanne Dubrowicki, abeuntem cum spolijs hostem ad locum Pulozorze dictum assecuta, prælio vicit, prædamque omnem recepit. Remittente externâ calamitate, ciuilis res sub noui Principis auspicijs meliorem ordinem accepit, vniuersis legibus, in volumen vnum, *Lituaniæ Statutum*, vocamus, relatis, quas magno consensu Ordines 3. Kal. Oct. acceptârunt.

A. 1530. Sigismundus Augustus Rex Poloniæ coronatur.

Scythæ profligantur.

Statutum Lituaniæ conditur.

Sequens annus Lituaniæ, quietus; Poloniæ triumphalis fuit. Ob celeberrimam victoriam Ioannis Comitis de Tarnow. Hic sex millium exercitu Polono, quinquaginta millia Valachorum aggressus, felicissimè profligauit, ac quinquaginta bellicas machinas cepit. Hinc aliquibus spes aliqua visa, Moscum proniorem fore, ad æquiores

A. 1531.

De pace cũ Moscis agitur.

Æ. 1531. æquiores conditiones pacis: quare eius stabiliendæ curam, iterùm Rex resumpsit. Præmissus est Alexander Bokiewicz, illustris iuuenis, qui de aduentu Legatorum Basilio nunciaret. Acceptus quidem est satis amicè: sed, quòd nondum ei barba auctoritatem fecisset, more gentis ab osculo Ducis dextræ, exclusus: nullus nimirum isthîc ingenij iudicijque maturitati honor est, barbâ destitutæ. Secuti sunt Alexandrum Legati Ioannes Sapieha Palatinus Podlachiæ, Matthias Kloczko Mareschalcus, Paulus Naruszewicz consilij Secreti Regij Minister. Mandatorum caput erat. Non exiguam discordiarum materiam ab ipso Basilio nuper esse porrectam, cùm datis ad Regem literis eum Prussiæ, Russiæque Ducem appellare neglexisset: neque difficilem fuisse Regi iniuriæ illatæ vindictam, post debellatum grauissimâ cæde Valachum, laureato exercitu in Moscouiam translato. Verùm Sigismundum Regem, belli victoriarumque saturum, ob studium pacis, noluisse præcipiti consilio ad arma prorumpere, quin maluisse hâc legatione priùs experiri, quo animo esset Basilius? Ille culpâ omni erroris, in scriptores deuolutâ, sibi quoque pacem vnicè cordi esse, inde comprobauit; quod nullam bello causam sumpsisset, licet Regiorum codicillorum ministri, Magni Russiæ Domini titulum sibi subtraxissent. Tum hortari cœpit Legatos, vt ita tandem cum suis Proceribus de pace agerent, ne superiorum annorum exemplo, omnis opera in vanum recideret. Inchoatâ eâ actione, nihilo languidiùs veteres concertationes sunt

ſunt reſumptæ. Regij vrgebant pacem, aut eam quæ Caſimiro vel Alexandro regibus fuiſſet; aut ſaltem eam, quam Sigiſmundus inito regno, ante captum Smolenſcum, repererat. Moſci verò nihil æqui concedebant. Negabant reſumi poſſe leges illorum fœderum, quæ bellorum interuentu pridem eſſent antiquata: irrito voto, ea reuocari clamabant, quæ tranſiſſent; vano ſtudio repeti à Duce, quæ belli iure poſſideret; præſertim, cùm nulla reſtituendi neceſſitas inſtaret. Lituanos magis indigere, quàm Moſcos, pace: eos itaque potiùs redimere debere, reliquæ Ruſſiæ ceſſione. Amiſsâ ſpe perpetuæ pacis, de breuibus inducijs agi cœptum eſt, eâ conditione vt Moſci Czernihouiam, Homelum, & alia quædam propinquiora loca reſtituerent. Nihil tamen Regij legati euicerunt. Illud vnicum à Baſilio expreſſit deſiderium eliberandorum captiuorum, qui magni nominis in Lituaniâ tenebantur: vt captiuis vtrimque liberè dimiſſis, aliquibus agris Lituaniæ reſtitutis, induciæ in annum prorogarentur. Atque ita proximus annus ob induciarum prorogationem; alter ei ſuccedens ob ſecutam Baſilij ipſius mortem, nihil belli in finibus Moſcouiæ habuit. Circa eadem tempora Dux Oſtrogius Conſtantinus, Caſtellanus Vilnenſis, vitâ functus, in ſuprema militari Præfectura, ſucceſſorem habuit Georgium Radiuilum. In Moſcouia verò à morte Baſilij Iuanidæ, filius Iuanus paternum imperium occupauit. Interceſſerunt ab initio eius Principatûs mutua inter Principes literarum officia, quibus pacis concor-

A.1531.

Dux Moſcouiæ Baſilius moritur.

A.1532.

A.1533.

diæq́ue ſtudium promoueri potuiſſet.

A. 1534. Moſci Lituaniam vaſtant.

Atque Sigiſmundus quidem, haud dubiè pronior erat in pacem, ſi ea æquis conditionibus ſtabiliretur: at Moſcouia, quàm alieno ab ea animo eſſet, nihilq́ue ei vltra verba daret; argumento fuit, auſpicium noui Principatûs, ab armis Lituaniæ illatis, ſumptũ. Quamquam id bellum ſuſceptum fuerit, non voluntate aut imperio Principis, qui necdum nouennis, publicam rem ferè non attingebat; ſed factione crudeliſſimi hominis, Theodori Owczynæ. Hic ſublato, vti altiùs memoraui, Michaële Glinſcio, oppreſſiſq́ue Proceribus alijs, ſub Tutoris nomine, ius omne inuaſerat, penes ſuperſtites Glinſcio collegas, Coluczouum & Szuiſcium, vanâ tutorum appellatione relictâ. Quia verò res ſuas pace domeſticâ firmare non poterat: bellum contra Lituaniam ſuis fraudibus conſciuit. Sexaginta millium copijs Lituaniam inopinatò aggreſſus, populationem per profundiora Lituaniæ, infami in ſexum & ætatem imbellem, crudelitate, exercuit. Quindecim dumtaxat leucis Vilnâ diſtabat, maximam cladem, quacumq́ue ibat, circumferens: cùm ad famam exercitûs Lituani cœpit retrocedere. Collegerat, quas in re ſubita poterat, copias Georgius Radiuilus: ſed & ipſe impares vires tanto hoſti apertè obijcere non audebat, & à Rege prohibitus fuerat, ante aduentum Poloni militis, confligere. Adfuerunt quidem ſatis feſtinatò Polona auxilia, ductoribus Ioanne Tarnouio & Andrea Gorka: ſed iam hoſtis, non minùs infeſto per obuia in reditu agmine, impunè

Regius exercitus Homelio, ac Starodubo recepto Moſcos profligat.

impunè prædam ac militem trans Borysthenem rece- *A. 1534.*
perat : atque contractis in vnum vniuersis copijs, ita castris locum sub vallo Starodubi ceperat; vt regijs aduersùs castra hostilia ituris, necessariò priùs oppidum expugnandum esset. Nihilominus iunctis viribus consilijsque, Poloni Lituanique ductores incredibili festinatione signa promouerunt, vt hostem alicubi nancisci possent. In via Homelium vi receptum est. Ad Starodubum oppugnatione bellicis machinis tentatâ, nihil profectum : cuniculis tandem sub mænia ductis, valloque tormentarijs pulueribus disturbato, ciuitas impetu militis capta est. Inde facilior victoribus in castra hostium decursus fuit : cædes maior, quàm pugna, in castris : profligatis, qui se opposuerant, plures capi mallebant, quàm pugnare. Cæsus in prelio Petrus Dux Romadanowski, capti tres Moscouiæ ac ipsius Principis, Administratores, cum Theophilo Duce Obolenski. Reliquorum captiuorum numerus longè regium militem excedebat : quare iubente Tarnouio, repetitâ cæde imminui debuit. Tormenta bellica duo supra septuaginta, cum ingenti bellico apparatu; atque incredibilis vis prædæ variæ, victoribus cessit. Neque enim solùm recepta est omnis Lituana præda; sed etiam opulenta Moscouitica supellex direpta; quam secum, barbaro fastu, velut ad pompam in castra Mosci conuexerant. Non minore clade Moscouiam exercebant, Potentiorum discordiæ, ac æmulorum in aduersæ factionis familias sæuitia : quam exosi Simon Dux Bielski, &

Proceres Mosci in Lituaniã trãseunt.

A. 1534. Iuanus Lacki cum filio, capiti atque fortunis perfugium apud Sigiſmundum Regem quæſiuerunt. Accepti ſunt perhumaniter Vilnæ à Rege, atque amplis ditâti poſſeſſionibus. Laccio ceſſit Zoludkum, & Altaaula: à quo nobiliſſima domus rebus pace ac bello geſtis, atque Magiſtratibus ampliſſimis clara, ortum in Lituania ducit. Bielſcij poſteros, abſque hærede deceſſiſſe, argumento eſt; quòd ditiones ei attributæ, Zezmori, Stokliſzki, Kormialouia, deſierint eſſe equeſtris iuris.

Præcipuæ Nobilitatis viri, atque adeo capita Procerum Moſcouiæ Lituanis carceribus incluſa, cùm nulla aliunde libertatis ſpes affulgeret, quàm ex pace conſtitutâ, primi ſuos ſolicitare cœperunt, vt Iuano Duci pacatorum conſiliorum auctores eſſe vellent. Theodorus Ouczyna, ex colloquio Georgij Radiuili, cognitâ re, quàm proni eſſent Lituaniæ Primores ad fœdera, Iuano Ouczynæ fratri ſtudiosè ſcripſit, vt apud iuuenem Principem captiuorum liberandorum curam, ac inprimis pacis ſtabiliendæ promoueret. Iuanus reſpondit iuſſu Principis: placere illi, vti de pace ageretur, at omnino opus eſſe, vt eius causâ Regij Legati Moſcuam mitterentur. Regijs contendentibus Sigiſmundum non difficulter in pacem conſenſurum, ſi captiuis petentibus, legati de pacis legibus tranſacturi venirent: negabant Moſci, è dignitate ſui Principis fore, ſi aut pax per captiuos poſtularetur, aut, quod nunquam contigiſſet hactenus, priores, Legati Moſcouiæ, Lituaniam adirent. Quare Georgius Radiuilus per nobilem virum Vladiſlaum

Captiui Moſci de pace agũt.

ladislaum Rogowski cum illis egit, ne vel eâ solâ causâ puderet eorum Ducem priùs suos legatos mittere, quòd puer adhuc missurus esset, ad Regem non tantùm vitæ actæ, sed etiam regni administrati, rerumque gestarum annis grandem: quòd si neque id honoris ætati concederet; ita rem disponi curaret, vt vtrimque destinati Proceres, cum plenis suorum Principum mandatis, ad condictum locum tempusq; simul conuenirent. Nihil tamen eo anno constitutum reperio. *A. 1534.*

Proximo primùm anno, Minores, vt vocant, Moscorum Legati Vilnam ad Sigismundum Regem venerunt. Multùm siquidem de priore arrogantia Iuanus cum suo Senatu remiserat, metu Ioannis Hlebowicz Polocensis Palatini, qui milite per Polocenses agros disposito, signum à Rege inuadendæ Moscouiæ præstolabatur. Accepti Legati liberalissimè, priuatim per Ioannem ac Onesimum Hornostaios, atque Theodorum Solomerecki: introducti in Senatum, sui Principis nomine postulârunt; vt Rex initâ pace, sisteret sanguinis Christiani miserabilem profusionem: neque abnueret, pacis causâ, prior Legatos mittere; quòd, per maiorum exempla, atque instituta integrum non esset suo Magno Duci facere. Similia complectebantur literæ, Iuani Ouczynæ, ad Georgium Radiuilum, qui insuper supplicabat vt Hlebouicij præceps in bellum genius, mandato regio tantisper intra fines pacatè contineretur. Respondit è Regis, Senatûsque sententia, Ioannes Hornostaius, ærario Lituaniæ Supremus Præfectus. Multas,

A. 1535. Legatorū Moscouiæ apud Regē postulata.

 magnasque

A.1535. magnaſque cauſas Regi eſſe, quæ ad proſequendum bellum non leuiter vrgerent: neque minores, quæ prohiberent, ne prior Legatos mitteret. Verùm tamen, & ſtudio pietatis ex Chriſtiani ſanguinis commiſeratione, & pacis ſincero deſiderio, facturum: vt, neque à Hlebouicio intereà infeſtaretur Moſcouia; neque legatos Iuani ad ſe expectaret, ſed ſuos Moſcuam expediret. Legationi tempus ad natales Chriſti ferias deſignatum fuerat: ſed varijs difficultatibus in alterum annum extracta eſt.

A.1536. Ioannes de Ducibus Lituaniæ Epiſcopus Poſnanienſis.

Eodem anno Rex Sigiſmundus, filium ante legitimum connubium vagis amoribus quæſitum, Ioannem dictum, ex Vilnenſi Pontificatu, ad Poſnanienſem tranſtulit, ſuffecto in Vilnenſem Paulo Algimunto Duce Holſzano. In Moſcouia Legati regij, Ioannes Hlebowicz Palat. Polocen, Matthias Kloczko Mareſchalcus, & Venceſlaus Mikolaiewicz Notarius Lituaniæ, cum Hlebo ac Luca Korſak regijs familiaribus, vbi de pacis legibus cœperunt agere, veterem Moſcorum pertinaciam, nequidem tot cladibus emollitam, repererunt.

Legatorũ regiorum irritus in Moſcouia circa pacẽ labor.

Repetentibus Nouogardiam maiorem, Pleſcouiamque iuſtis Vitoldi armis Lituaniæ adiectas Prouincias; contendebant Moſci ſuorum Magnorum Ducum id patrimonium eſſe: quamuis compertum in hiſtoria haberetur, priuſquam eæ vrbes à Vitoldo domarentur, nunquam Moſco paruiſſe. Quæ fœdera Lituaniæ Principibus, cum Baſilio Baſilide, Iuano Baſilide, & Baſilio Iuanide, interceſſerant, ea ne nominari quidem patiebantur:

bantur:prætendentes alium rerum ſtatum, aliâ de nouo A.1536.
fœdera poſtulare. Nimirum ius in Prouincias, non ex
belli æquitate, ſed ex euentuum ſucceſſu, æſtimantibus
diuerſum rerum ſtatum faciebant, quòd violatis fœde-
ribus, inopinatò illatis armis, ac proditione Ruſſorum,
pleraque loca fortunato ſacrilegij ſucceſſu, Lituaniæ
detraxiſſent, quæ ex veterum fœderum formâ reſtitue-
re opus eſſet. At neque Regij legati minùs conſtanter
pro æquitate decertârunt. Quare Moſci, velut remiſſâ
pertinaciâ, ſimulant ſe aliquantum, in ſpeciem cedere,
vt omnia retinerent: orant, ne irritum abire omnem la-
borem Regij permitterent; ſed ijs ſaltem legibus in pa-
cem perpetuam conſentirent, quibus ante decennium
ſexennales induciæ inter Sigiſmundum & Baſilium con-
ſtiterant. Hac arte, illi Smolenſcum, belli ad tempus
ſiſtendi causâ, à Sigiſmundo ſub Baſilij poteſtate in ſe-
xennium relictum, perpetuo iure vindicare Moſcouiæ
ſunt conati: quam quia ſolerter legati obſeruârunt, a-
criter ei poſtulato obſtiterunt. Tandem ita conuenêre
partes. Homelium Regi cederet; Siebiezium & Zauo-
lociam Dux retineret: de reliquis arcibus, atque agris,
nihil in præſens moueretur: induciæ in quinquennium
eſſent: ſilentibus armis de captiuorum liberatione, ac
pace perpetuâ, per Legatos ageretur. Ad confirmãdas
inducias venerunt Vilnam Moſci. Poſtulabant præter-
ea vt eius fœderis beneficio, Moſcis ad Cæſarem, Hun-
gariæ Regem, ac Valachiæ Principem, liberè commea- A.1537.
re per regias prouincias, permitteretur. Cæſaris atque

Hungariæ

A.1537. Hungariæ Regis, vti amicorum, ratio habita est: de Valacho apertè negatum. Bello enim inter Polonos ac Valachos feruente, quod ante annum inchoatum, in tertium vsque pertigit, contra Rempublicam videbatur fore, si eiusmodi commercia cum publico eius hoste concederentur: præsertim quòd Moscorum in colendis fœderibus, religio, quàm aut nulla esset, aut admo-
A.1538. dum suspecta, experimento compertum haberetur.

Petrilo Daciæ seu Valachiæ Princeps, profligatis nuper modicis Polonorum copijs, impotentiùs agebat. Sed admotis tandem ductore Tarnouio maioribus viribus, detumuerunt arrogantes spiritus. Obsessâ ad Tyram, Chocimo arce, pacem supplex petere est coactus. Occasione eius expeditionis, Nobilitas Polona sub Leopolim congregata, propè per seditionem militarem à Rege extorsit, vt filium Augustum, adhuc puerum, Regem dictum coronatumque, iam septendecim annos natum, tandem à sinu matris abstraheret: è medio muliebrium ministeriorum educeret; Reipublicæ, Curiæ, castris, redderet. In Lituaniâ, quieta omnia fuêre. In vicinâ ei Liuonia, noua, turbis ac exitio, suborta seges; Lutherana nimirum secta, ab aliquot iam annis priuatim gliscens, Derpati in apertum, auctore ignobili pellione quopiam erupit. Hic enim Norimbergâ aduectus, nouus religionum à crepida Magister & arbiter, publicè praua dogmata vulgare cœpit. Succrescebat malum (vt semper maiora malorum, quàm bonorum, incrementa sunt) fertiliùs, quod Hermanus Bey loci Pontifex,

Augustus ad Rempublicam admouetur.

Lutheranæ sectæ per Liuoniã initia.

ſex, quamquam præſens adeſſet, nullam morbo medicinam apponeret. Sequentes anni, nihil ad memoriam habent: præter connubium, Iſabellæ Principis, cum Ioanne Hungariæ Rege; & Alberti Gaſtoldi Palatini Vilnenſis funus.

A.1539.
A.1540.

Intereà Lituaniæ adminiſtrationem, iam in parte à Sigiſmundo Auguſto ſuſceptam fuiſſe, indicio ſunt fœdera cum Moſcis, ſub eius nomine hoc anno conſcripta Moſcuæ. Laborârunt circa id negotium, Ioannes Hlebowicz Palatinus, Nicodemus Ciechanowiecki Dapiferorum regiorum Præſes, & Nicolaus Andruſzewicz Notarius Lituaniæ; vt ſi non æquis, ſaltem non pudendis conditionibus pacem perpetuam conſtituerent: nimirum Smolenſco, & Seuerienſibus arcibus receptis. Verùm Moſci, vti verbis, pacem ſe vnicè cupere, profitebantur; ita eius causâ nihil facere volebant. Quinimmò etiam captiuos nullâ dignitatis numeríque ratione habitâ, commutari poſcebant: quamquam ipſi è Lituanis & paucos, & ferè non illuſtres, haberent. Impetrârunt tamen Moſci, vt induciæ ad ſeptennium prorogarentur: captiuorum negotio ad ipſum Regem reiecto. Venerunt deinde Moſci Vilnam, firmandarum induciarum prætextu: reuerà, vt de occupatis induciarum tempore agris, ac captiuorum libertate agendo, pertentarent: An breues induciæ, poſſent in perpetuum fœdus commutari? his dumtaxat adiectis conditionibus: ſi Homelium Moſco relinqueretur; & omiſsâ Smolenſci repetitione, aliquod aliud latifundium poſtularetur;

A.1541 Sigiſmundus Aug. Lituaniā adminiſtrare incipit.

Septennales cum Moſco induciæ.

A.1541. retur; captiui verò nullo diſcrimine, vtrimque liberta-
te donarentur. Nihil horum eſt conceſſum promiſſum tamen, affuturos propediem circa Siebiezium Regios recuperatores, qui cognitâ causâ ſatisfacturi eſſent paſſis iniuriam agrorum. Delecti ſunt ad id negotium, Staniſlaus Douoyna Palatinus Polocenſis, Nicodemus Ciechanowiecki Supremus Lituaniæ Dapifer, & Nicolaus Andruſzewicz Stabuli Principis, Magiſter: tempus iu-
A.1542. dicijs deſignatum ad IV. Non. Febr. comitatus ducentorum equitum turmâ circumſcriptus. Præceſſit iudices, Staniſlaus Pietruſzkowicz Aulicus regius, qui Iuanum Ducem de aduentu illorum præmoneret. Sed Iuanus, cauſatus eiuſmodi negotio ineptum fore tempus hybernum, quo contectis altâ niue agris, termini limitum dignoſci non poſſent, in æſtiuos menſes diem differri petijt. Rex pacatâ Lituania, priuſquam in Poloniam abiret, Trocenſem Palatinatum recenſuit, atque ad vetera territoria Vpitenſe adiecit. Magiſtratus quoque, qui quorumdam Procerum morte vacabant, diſtribuit. Georgius enim Radiuilus Caſtell. Vilnenſis, & exercituum Magni Ducatûs Imperator, ſuperiore anno; & hoc ipſo Ioannes Radiuilus Samogitiæ Gubernator, ac Georgius Olelko Dux Slucenſium, obierunt. Segetibus per æſtiuos menſes magna ſtrages incubuit: incredibilis locuſtarum vis, (malum his regionibus inſolens) circa Vilnam, Iwieniecium, Koydanouiam, latiſſimè depopulata eſt, agros omnes.

Vpitenſe territoriũ erigitur.

In Poloniam Rex reuerſus, ad nuptias Auguſti filij

 procu-

procurandas studium conuertit. Austriaca domus affinitati nouæ delecta: atque in ea, Ferdinandi Romanorum Regis filia, Elizabetha. Data est in matrimonium, magnâ tum parentis ipsius, tum patrui Caroli V. Cæsaris, propensione, vt fœdera, cum Ladislao ac Ludouico priore affinitate inchoata, firmiùs hoc connubio stabilirentur. XVII. Kal. Iun. festum nuptiale, solemni dignoque tantis sponsis apparatu Cracouiæ peractum est. In finibus Moscouiæ conuentus Iudicum, ad cognoscendos, designandosque Siebieziæ terminos hucusque dilatus, etiamnum in irritum abijt. Ioannes Komaiewski, & Hlebus Iesman, Regij familiares, maturè in Siebieziam delati, loco mille passibus, ab ipsa arce Siebiezio, dissito constiterant. Id verò indignè ferre Mosci, atque adeo negare, se ad negotium accessuros, priusquam Regij vel Wieczerkam, pagus erat quindecim leucis distans, se reciperent; vel Wiereiam, aliquantò propiorem. Regij rati, tempus ludi, neque è dignitate fore, si locum mutarent; rectà in Lituaniam iter arripiunt: quamquam verò, iteratis Moscorum nuncijs reuocarentur; nihilominus, vt hostibus reponerent eorum pertinaciam, in cœpto itinere perstiterunt. Questus est de ea re per literas Iuanus, atque vt alij iudices designarentur, postulauit: verùm, an aliquid eo aut sequente anno factum sit, notatum non reperio.

A. 1543. Sigismundus Augustus Elizabetham Austriacã ducit.

A. 1544.

Vastatis, ante annum & aliquot menses, locustarum procellâ agris, ingens annonæ angustia, Lituaniam vniuersam afflixit: maximè verò Vilnam; quò, quia plures

Fames in Lituania.

A.1544. egeni ex pagis concurrebant, plures morbis ac inediâ confecti sunt, ex multitudine mortalium, difficultate alimentorum crescente. Quare, cùm eo anno: Lituanorum comitia cogi necesse fuisset: Brestiam indicta sunt. Conuenerunt frequentes Ordines. Rex secum filium Augustum adduxit. Inter initia comitiorum, cùm magistratus distribui est necesse, Gregorius Chodkiewicz Supremus Cubiculi Principis Magister, vulgò Archicamerarius M. D. L. est renunciatus. Vbi de Republica agi cœptum est, Rex causatus ætatem annis ac laboribus fractam, de consensu Ordinum, vniuersam Magni Ducatûs Lituaniæ administrationem à se in filium Augustum, transtulit. Peractis comitijs, Rex Cracouiam se contulit. Augustus Vilnam cum coniuge.

Comitia Brestiæ.

A.1545. Breue admodum hoc eius coniugium fuit: Elizabethâ vxore intra viginti quinque menses à celebratis nuptijs XVII. Kal. Iulij extinctâ, nullâque prole ex eo matrimonio susceptâ. Post elatam Elizabetham, atque regia magnificentiâ in sacello, in quo Alexander Rex tumulatus fuerat, Vilnæ sepultam, non diu pertulit Augustus coniugis desiderium. Iuuenili leuitate, atque primæ educationis assuetudine, in conuiuia, saltus, cæteraque iuniorum cum fœminis oblectamenta pronior, frequentiùs inuisere cœpit, Barbaram Radiuiliam, Georgij Castellani Vilnensis filiam, Stanislai Gastoldi Trocensis Palatini Viduam. Quamquam verò, non procul ab arce & regiâ ædes Radiuilianæ essent, vt breuiore spatio in hortos earum, quoties liberet, commeare posset; palatium

Elizabetha Austriaca Augusti vxor moritur.

Augustus Barbaram Radiuiliã coniugem priuatim ducit.

palatium suum, hortis Barbaræ, per publicam viam, *A. 1545.*
amnemque Vilnam, ponte coniunxit. Vapulabant populi linguis, tum Barbara, tum Augustus: fortassis falsò, non tamen innoxiè. Etsi enim illa conuiuia, tantùm aliquid leuitatis, nihil autem inhonesti, habuerint: satis tamen Principi ad noxam erat, quòd ea non vitaret, quæ à populo carpi necesse erat. Post diuturnam ac frequentem familiaritatem, cùm neque Barbara de constantia pudicitiæ dimoueri, neque Augustus crescentes internos ignes diutiùs ferre, posset: Christiano ritu, præsentibus Barbaræ cognatis, Stanislao Kieizgaillone, & duobus Radiuilis, in connubiales leges mutuò
iurauerunt. Consobrinus Barbaræ Nicolaus Radiuilus, niger à capillo nigro agnominatus, vt amplioribus *A. 1546.*
domûs suæ ornamentis, nuptiarum Barbaræ cum Augusto imparitatem moderaretur; apud Carolum V. in Augustanis comitijs obtinuit, vt ipse cum suo Germano Ioanne, Dux in Olika & Niesuizio; Nicolaus verò Barbaræ germanus, Dux in Dubinki & Birze, renunciarentur; atque in Collegium Principum Romani Imperij, cooptarentur. Secretò ea agebantur, quæ ad nuptias Augusti pertinebant: tanquam non paucos, nec infimos, aduersarios habitura, cùm in publicum protraherentur. Polonorum itaque inprimis studia sibi conciliare Augustus maturauit, publicâ largitione. Indictis Vilnam comitijs, ita Lituanorum animòs versauit; vt cùm Bielscensis in Podlachia terra, à Lituaniæ
ditione recisa, auctoritate horum comitiorum, Polo- *A. 1547.*

A.1547. nis addiceretur, non solùm ei donationi Ordines non reclamârint, sed etiam magno numero, Procerum primi subscripserint.

Augusti cū Radiuilia matrimonium impugnatur.

Conciliatis Polonorum animis, securior Augustus; religionis quoque metu solutus, ex inito ritè matrimonio; familiariùs, quàm ante, agebat. Plerique ergo, secreti non conscij, liberiùs obloqui: vulgus, vt solet, omnia in peius interpretari. Augustus veritus, ne si ex aliorum sermonibus res intelligeretur grauioris offensæ Parentibus daret, ansam, Regem Sigismundum in Polonia conuenit: inter mutua colloquia sermone sensim deflexo, leuiter Parenti insinuat; ne grauaretur in eas nuptias consentire, quas filius sibi optaret. Pupugit vehementer Regem id dictum. Quæ de iuuenilibus Augusti studijs vulgò iactarentur, non dubitare, etiam vlteriùs progressa esse: furere igitur aduersùs filium: expostulare apud Matrem, materque iram Regis, muliebribus furoribus augere: Proceres Poloni ac Lituani impares Augusti amores odisse: licentiosa ingenia probrosis versiculis, inuisas nuptias audacter lacerare. Atque hæc fiebant ab ignaris, rem iam peractam esse: existimabatur vulgò, optari tantùm eas à Principe nuptias, à quibus, vt vagi ac in constantes iuuenibus affectus sunt, facilè posset auerti. Solus propè Ioannes Tarnowski ob negatam sibi Cracouiensem Præfecturam, Regi ac Reginæ offensior, probabat matrimonium: non quòd ita sentiret, aut Principi gratiam factam vellet; sed vt parentibus eius, aduersaretur. Sigismundus

mundus Rex, Augustum tot difficultatibus perculsum, A.1547.
dissimulantemque fateri quid iam egisset, apud se retinuit: existimabat enim ipsâ negotiorum varietate, intempestiuos iuuenis filij amores, sedari ac restingui posse. Petricouiam inprimis ad comitia Regni Poloniæ; secum duxit: in quibus regij per Mazouiam ac Prussiam reditus, consensu Ordinum Augusto Principi sunt donati. Tentatus isthîc morbo Rex, cùm Cracouiam in Nouembri rediret æger, Augustum filium grauibus oneratum monitis, abire in Lituaniam permisit. Augustus aduersa omnia in Polonia expertus, sperabat, Lituaniam magis sibi obnoxiam reperturum. At etiam ibi, plena querimonijs, ac proxima tumultui, inuenit. Vix aliquid desiderabatur ad apertam defectionem: ita Procerum animi, dolore, vti aiebant, vulgati sanguinis Regij, sed magis domûs Radiuilianæ inuidia, exulcerati erant: vt armis viderentur extorsuri, quod precibus monitisque, non persuaserant.

Sed eos motus, in tempore compescuit, nuncius A.1548.
mortis Sigismundi. Morbus in reditu Petricouiâ Cra- *Sigismũdi*
couiam, viæ incommodis auctus, ipso Paschatis festo, *I. Regis*
grauem ætate senem, plusquam octuagenarium, con- *mors &*
fecit: cum iam regnando quadragesimum secundum *elogium.*
annum, ad medium duxisset. Fuit huic Principi forma par imperio, sermo grauis tempestiuo lepore temperatus, incessus lenis, virium robur singulare, vt qui annis iunior, ferreas soleas nullo labore solitus fuerit confringere; ingenium ante alios fratres expeditius; memoria

A. 1548. firma; corpus tum natiuâ constitutione, tum assuetudine, patiens frigoris, sitis, cæterarumque incommoditatum. Ante Regnum, liber ambitione, Hungaricum, Sueticum, Bohemicum sceptrum oblatum generosè repulit: in regno, facilis aditu, iræ potens, æqui acerrimus cognitor, animo ad vtramque fortunam æquabili. Fœdera cum exteris coluit constanter: bella gessit inuitus; semper fortunatissimè. Suorum Procerum simultates, vt lethalem Reipublicæ morbum, studiosè restinguebat. Parcior plerisque habitus est, non suo vitio; sed ex comparatione antecessorum: qui perquam prodigi fuerant. Cæterùm suo exemplo, Poloniam ac Lituaniam, ad ciuilitatem ac magnificentiam expoliuit. Apud subditos, tantùm securitatis habuit, vt dictitaret, in sinu se cuiusque illorum, posse confidenter somnum capere: apud vicinos tantùm venerationis; vt Pater Principum suæ ætatis, vocaretur.

Augustus Barbaram coniugem, publicè ducit.

Augustus filius accepto nuncio de morte Patris, cum vniuerso suæ Regiæ comitatu, Vilnæ iusta funebria, magnâ doloris in publicum significatione, persoluit. Priusquam verò Cracouiam ad eum tumulo inferendum proficisceretur, solutus parentis metu matrimonium cum Barbara dissimulare desiit. Vix quatuordecim diebus, à nuncio mortis, elapsis, Senatum in curiam, XV. Kal. Maij, cogit: aliquot Proceribus secreti conscijs mandat, vt Barbaram è paternis ædibus, quàm magnificentissimè, in regiam deducant: senatusconsultum tamdiu trahit donec significaretur, jam eam

non

non procul à palatij limine abesse. Tum primùm ad Senatum conuersus. Quod hactenus, inquit, iustis maximisque de causis silentio pressi, hodie vobis aperio. Barbara Radiuilia vxor mea est, præsentibus eius cognatis, ritu Christiano, mihi in matrimonium tradita. Quidquid tandem vestro animo conceptum habeatis, omnes vestros conatus irritos fore, ne dubitaueritis. Non enim ignoratis, nullam in terris auctoritatem esse, quæ matrimonium inter Christianos legitimè initum, atque conuictu firmatum, possit rescindere. His dictis, obuiàm Barbaræ, ad atrium progressus, in penetralia regio apparatu instructa, vti coniugem, deduxit. Posteaquam factum Principis, vt vt reprehenderetur, corrigi iam ampliùs non poterat; proceres, desperato remedio, maluerunt, quod vtilius Reipublicæ futurum erat, silentio tolerare non probanda; quàm ex nihil profuturâ improbatione, dissidijs ac simultatibus publicam quietem concutere. Rex ipse experimentum sumpturus, an idem Polonis ac Reginæ matri animus maneret euulgato iam matrimonio; quem nuper ad solas suspiciones ostendissent: solus Cracouiam iuit, ne inuisam isthic coniugem, primis impetibus indignantium obijceret. V. Kal. Maij, elato Sigismundo Parente, cùm ad publicæ rei curas sese conuertisset, Senatus ac Equestris ordo, Reginâ Bonâ instigante, grauiter in publico consilio cœpit vrgere, vt matrimonium legibus, dignitati regiæ, publicisque commodis contrarium, rescinderet. Nihil tamen matris monita precesque, nurum dedignantis; nihil A.1548

A. 1548. hil consilia procerum, Reginam hanc recusantium, profuerunt: quin immò ne aures sibi diutiùs molestis querelis obtunderentur; abruptis publicis negotijs in Lituaniam se ex Polonia proripuit.

De pace cũ Moscis agitur, irrito labore: in quinquennales inducias cõuenitur.

Intereà cum induciarum decursu bellum Moscouiticũ imminebat, nisi aut de pace perpetua aliquid certi tempestiuè statueretur, aut inducijs tempus prolongaretur. Quare vt primùm Vilnam peruenit Augustus, missi sunt Moscuam Stanislaus Kiszka Palatinus Vitepscensis, Ioannes Komaiewski Mareschalcus, & Hlebus Iesman, Notarius Lituaniæ. Nihil spei pax ab initio habebat: Moscis, non modò nihil eius gratiâ facientibus; sed etiam talia vrgentibus, quæ nouo bello materiam ministrarent. Nam præterquam quod de ablatorum restitutione, ne mentionem admitterent; insuper reliquam Russiam repetebãt, ita vt Berezynæ ripis Moscouiæ termini circumscriberentur. Tam impudente siue arrogantiâ, siue vesaniâ offensi Regij Legati, ipsum Magnum Ducem conueniunt: frustra tempus, postulatis ad concordiam nihil collaturis, teri queruntur: quandoquidem eius Proceres, nullam spem pacis facerent, missionem vrgent. Tum primùm Mosci cœpêre aliquantùm remittere, neque tamen desierunt absque fronte postulare; quæ vt nullo iure petebantur, ita nullo modo concedi poterant: nempe Polociam & Homelium. Renuentibus demùm ampliùs de pace agere Legatis Regijs: de captiuorum liberatione, atque induciarum prorogatione sermo à Moscis institutus est. Czernikouiæ

uiæ restitutionem pro captiuis legati petebant: Mosci causati captiuorum numerum magnâ parte per mortem imminutum esse, negabant posse pro illis, tam nobilem Seueriæ vrbem, concedi. Tota denique actio ad solas inducias reducta: non difficulter vtrique conuenerunt, vt fœdus ijsdem quibus hactenus fuerat legibus, in quinquennium prorogaretur. At propè perfectam rem, noua à Moscis iniecta concertatio vix non præcipitauit. Seu debellatâ, seu attritâ victorijs nuper Casanensi Scythiâ Iuanus, vsurpare cœperat titulum Tzaris: quo Scytharum Reguli more eius gentis vti fuerant soliti. Sclauonica ea vox, non significat Cæsarem, aut Imperatorem (quemadmodum exterorum aliqui, ignoratione idiomatis mixtâ adulationi, lapsi, vocitare solent Magnum Moscouiæ Ducem) sed Regem. Legati tamen Regij, quòd homo arrogans insolentem titulum priuatâ auctoritate inuasisset, Rege suo inscio, recusabant constanter, eum fœderis tabulis præfigere. Infectis itaque rebus iter apparabant, præmissâ comitatûs impedimentorumque parte, iam iam in Lituaniam profecturi: cùm insperatò à Proceribus Moscis misso nuncio rogantur, ne ante abitum colloqui secum grauarentur. In eo congressu suasêre Legati, vt reiectâ ad Regem de innouatione titulorum, controuersiâ, induciæ secundum veterem formam scriberentur. Mosci verò vrgebant, vt Legati per literas sententiam Regis exquirerent, responsumque eius Moscuæ præstolarentur. Tandem vtrique in quinquennij inducias ita conuenerunt.

A. 1548.

Concertationes de Tzaris titulo, cum Moscis.

A. 1548. runt. Dux Moſcouiæ in ſuis literis Tzarem ſe ſcriberet; Legati verò nihil in vetere ſcribendi formâ immutarent.

A. 1549. *Scythæ Lituaniam infeſtant.* Lituania intereà Scythicis irruptionibus præter ſolitum afflicta, vix ſuffectura bello Moſcouitico, pleriſque videbatur: niſi ex eo fœdere reſpirâſſet. Inter alia priuata ac publica, à Scythis accepta damna; maximis, propinquum fuit, Dux Wiſniewiecki cum coniuge ac vniuerſa familia interceptus, atque in Scythiam abductus. *Moſcorum apud Auguſtũ poſtulata.* Legati Moſcouitici firmandarum induciarum causâ miſſi, hæc potiſſimum ab Auguſto poſtulârunt: Tzaris titulus, induciarum tabulis adderetur; captiui liberaliùs haberentur; transfugæ remitterentur; negotium de ineunda pace perpetuâ, ne negligeretur. Reſpondit Rex Auguſtus. Multùm ſibi placere, vt de pace ageretur: transfugas Moſcos in Lituania nullos reperiri: captiuorum eam conditionem eſſe, quæ apud Chriſtianum Principem aut ſoleret, aut deberet: tabulas fœderis ritè conſcriptas, nullà inſtauratione egere. Poſt abitum Legatorum, nobilem virum, è ſua aula, Staniſlaum Iendrzeiewski, Moſcuam miſit; vt dubiam Iuani amicitiam, literarum internunciorumque commercio retineret: quia verò alia ſcribendi materia defuit; de iniurijs finitimorum aliquantùm queſtus, mercatoribus Iudæis liberam è Lituania in Moſcouiam veniendi poteſtatem, poſtulauit. Negauit diſertè Iuanus poſtremum: ad reſarciendas iniurias, recuperatores ſpopondit; ita tamen, vt Rex iniuriarum indicem priùs ſibi mitteret.

mitteret. Adiecit expoſtulationem de iniurijs, viciſſim ſibi à Rege illatis, quarum prima frontem querelarum occupabat, quod Tzaris titulus negaretur. Ita enim eâ re offendebatur; vt viciſſim dato per Matthiam Giedroicium reſponſo, Regem, Auguſtum non vocârit; quamquam eæ literæ ad regias manus non peruenerint. Matthias enim ad fines Lituaniæ delatus, inuitis licet Moſcis eas reiecit, Iuano reportandas. Conſultatum eſt deinde in Senatu Lituaniæ, num impotentis hominis ambitioni obſecundandum eſſet? Pleriſque annuentibus; ne materia belli noua præberetur, negando id, quod nullo damno concedi poſſet: ſolus propè Mareſchalcus Oneſimus Hornoſtaius, vir antiqui moris, magnâ conſtantiâ obſtitit. Aiebat ille, non eſſe Moſcorum arrogantiam nouis ac iniuſtis titulis alendam. Si enim, quâ facilitate nuper Baſilio titulum Magni Domini totius Ruſſiæ, permiſerant; eâdem nunc Iuano conſentirent, vt ſe Tzarem Moſcouiæ ſcriberet: Moſcum procul dubio ſemper alios ſuper alios titulos, ſibi arrogaturum; quibus Regis Poloniæ Magnique Lituaniæ Ducis dignitas obtereretur; & falſæ, inuadendarum Lituaniæ Prouinciarum prætenſiones, ad poſterorum memoriam tranſmitterentur. Facto itaque Senatûs decreto, ne quid ea in re innouaretur, vniuerſus labor eò collatus eſt, ne aliunde violandæ paci, vlla occaſio, daretur præſertim quia valdè propinquæ erant militares contra Scythas excubiæ, Lituanorum circa Czernihouiam, Moſcorum circa Kanieuiam & Cirkaſſos. Succeſſit cura ex voto: non

A. 1549.

Concertatio de Tzaris titulo.

A. 1550.

A. 1550. non modò nihil nouarum turbarum erupit, inter excubantes copias; ſed etiam collatis conſilio atque manu, magnâ felicitate conantes irrumpere Scythæ, ab vtriſque, ſunt repreſſi.

Auguſtus Petricouienſibus comitiis euincit, vt Regina Barbara conſueto more coronetur.

Auguſtus ab ea parte pacatâ Republicâ, agitare ſecum cœpit, quomodo aduerſos Polonorum animos in ſua ſtudia inflecteret. Barbaram coniugem volebat conſueto more, regio diademate coronari: quod permiſſuros Polonos, Regis eam vxorem, non ſuam Reginam, vocitantes, vix ſperari poterat. Ingenio ergo ſuperanda, perfringendaque difficultas fuit. Indictis Petricouiam comitijs, Rex vetera quædam inſtituta, vſu contrario propè antiquata, inſtaurare ſe nouâ lege velle, præferebat: vt ſcilicet qui pluribus magiſtratibus fungerentur, vno contenti, cæteris ex templò decedere, comitiorum auctoritate iuberentur; Præfecturas Regias, ne quis plures obtineret; ademptæ antiquis poſſeſſoribus, aliquæ Regiæ menſæ addicerentur; reliquæ, inter viros benè de Republica meritos, ſed domeſticâ egeſtate laborantes, diſtribuerentur. Vtraque Regis rogatio popularis erat, ac optimatum capita tangebat: pertuliſſetque haud dubiè legem egentiorum conſenſu, ad quos emolumentum legis magnâ parte peruenturum erat. Eo metu plerique Procerum perculſi, ne Regem irritarent, non ſolùm contentionem omnem de reſcindendo matrimonio remiſerunt; verùm etiam conſenſerunt, vt more aliarum Reginarum Barbara, Cracouiæ coronaretur. Auguſtus obtentis ijs, quæ animo deſtinauerat:

uerat: lege quâ minimè opus habebat, abstinuit. Neque multò post Regina solemni ritu, apparatuq; magnifico regali diademate Cracouiæ est insignita. Fratribus quoque eius, Petricouiensium comitiorum lege est concessum, vt quas nuper apud Carolum V. Cæsarem prærogatiuas obtinuerant, ijs liberè in Polonia, ac Lituania vterentur. Auxit deinde non leuiter eorum, tum potentiam, tum dignitatem, Augustus, coniugis gratiâ. Nicolaum germanum Barbaræ, Palatinum Trocensem, ac Koydanouiæ hæredem renunciauit: Consobrinum eius Nicolaum, vulgò Nigrum; Mareschalcum & Supremum Cancellarium Lituaniæ. At non diu Reginæ licuit, ea regiæ beneuolentiæ, atque domûs decorum, voluptate frui. Ab ipso inaugurationis die, morbo correpta, per hyemem integram ac vernos menses, cum eo conflictata, Cracouiæ in festo Pentecostes obijt. Non defuerunt, qui suspicarentur, à proceribus Radiuilianæ domûs æmulis, medici cuiusdam Itali operâ, propinato inter medicinas veneno, Reginæ quidem vitam, Polonis verò inuisum eius regnum, præcisum fuisse. Hyems ea fuit morbis augendis vulgandisque per Lituaniam damnosa: ita enim tepidæ pluuiæ increbuerant, vt non aliter, quam vltimo vere solet fieri, omne frumenti genus in spicas excreuerit: quod deinde vniuersum intempestiuo gelu exustum, planè intercidit. Rex Reginæ morte mirum in modum afflictus, internos sensus magnificentiâ funeris testatus est: præter colorem festiuum, nihil defuit ad summum splendorem,

A. 1550.

A. 1551.

Barbara Regina moritur.

Lituaniæ calamitates.

A. 1551. dorem, quo Cracouiâ Vilnam vſque deportari curauit, atque ad latus primæ coniugis Auſtriacæ in Baſilica D. Staniſlai, tumulari. Lituaniam intereà afflixit ingens annonæ anguſtia; Volyniam verò Scytharum depopulatio: qui primo impetu vaſtatis obuijs, Braſlauiâ captâ ac exultâ, ingentem prædæ vim, atque mortalium captiuorum, impunè euexerunt. Ad finem Septembris Vilnæ Ordines comitia peregerunt: in quibus plenas periculo ſimultates inter Nicolaum Radiuilum Trocenſem, & Staniſlaum Kiſzka Vitepſcenſem Palatinos auctoritate ſuâ Rex cõpoſuit; gnarus nihil magis obeſſe publicorum negotiorum tractationi, quàm priuata optimatum diſſidia. Venerunt ad eadem comitia Polonorum Legati: qui coram Senatu ac Ordine equeſtri grauiſſimè perorarunt, vt Regno Poloniæ reſtitutis Prouincijs, Podlachia, Volynia, Kiiouiâ, Seueriâ; tandem aliquando perfectæ Polonorum cum Lituanis ſocietati, ac fœderi, vulgò *Vnioni*, extremam imponerent manum: nihil tamen effecerunt, diſertè negantibus Lituanis, ius aliquod, Poloniæ, in eas prouincias competere. In ijſdem comitijs ſciuerunt Ordines, vt miles ordinarius eſſet, qui contra Scythas ac Moſcos pro finibus excubaret: in ſtipendium verò, à iugo boum quinque groſſorum vectigal conceſſerunt.

Quartiani militis origo.

De pace cũ Moſcis agitur, & de titulo Tzaris.

Peractis comitijs, Rex Auguſtus, vt Moſcum in fœdere retineret, atque adeo in æquiores pacis perpetuæ conditiones inclinaret, duos è captiuis nobilitate generis claros Duces, Michaëlem Iuanowicz, & Iua-

num

num Sielechowski, Magno Moſcouiæ Duci, miſit, per Paulum Oſtrouicki ſuum internuncium. Beneuolè recepit captiuos Iuanus: ſed, Paulo debitos de more fauores ſubtraxit; quod is cùm ſalutaret eum, Tzarem compellare neglexiſſet: quin immò quòd Auguſtus Rex eundem titulum ſuis literis non præfixiſſet; ipſe quoque Auguſtum, in ſuo reſponſo, Regem non vocauit. A.1551.
Verebantur Lituani Proceres, ne ab hac ſcintilla, noua flamma erumperet: quare per clarum natalibus nuncium, Hayko, ſcripſerunt; tum vniuerſo Senatui, tum inprimis ſacrorum per Moſcouiam Antiſtiti, quem illi non ex Eccleſiæ, aut legibus, aut vſu; ſed priuatâ vſurpatione Patriarcham Moſcuanum vocant: perſuaderent ſuo Magno Duci, vt proniorem ad perpetua ſtabilienda fœdera animum induat, atque eorum causâ, maiores Legatos ad Regem mittat. Antiſtes reſpondit ſe eiuſmodi fungi officio, quod à belli armorumque conſilijs, plurimùm abeſſet; fruſtra itaque eo in negotio, ſuam operam interpellari: acturum nihilominus cum proceribus; vt Principem ad procurandam ſtudioſiùs pacem, conentur inducere. Senatus verò, ex indignatione, quòd literis, Tzaris titulus, non eſſet adiectus; literas ſuppreſſit: collatâ verò cum Principe ſuo ſententiâ, Lituaniæ Proceribus ſcripſit. Nullam ſpem pacis eſſe, ſi aut titulos Magno Duci ſubtrahere pergerent, aut vrgere vt priores Moſci, Legatos Vilnam mittant. Cùm enim & debita Magno Duci officia pertinaciter negantur; & ab eo indebita, per præſumptionem exiguntur: A.1552.

A.1552. guntur: bello potiùs irritamenta continuò ministrari; quàm ad fraternam concordiam inuitamenta. Post debellatam Casaniam, titulum Tzaris, exemplo aliorum triumphatorum, Moscouiæ Ducum fortunæ, meritò deberi. Legatos nunquam antea, ne quidem Papæ aut Romani Cæsaris rogatu, à Duce Moscouiæ, in Lituaniam, priores iuisse: quare neque nunc ire posse. Si Rex cogitaret suos Moscuam mittere, ne illi venirent, nisi tabulis induciarum nuper, initarum, adiectum Tzaris titulum secum ferrent. Nihilominus missi ab Augusto Legati Stanislaus Dowoyna Palatinus Polocensis, Eustachius Wolowicz Mareschalcus, Petrus Siemaszko Notarius Latuaniæ, magnâ constantiâ Iuanum, præsente eius Senatu, Magnum dumtaxat Moscouiæ Ducem salutârunt. Offensus eâ re Iuanus, neque literas regias acceptauit, neque munera: Legatos verò ab osculo dextræ exclusos, ad paucos Proceres, responsi excipiendi causâ, reiecit. Proceres exaggeratè expostularunt, quòd tanti nominis Principem, suo Regi amicitiâ fœderibusque iunctum, Magnum dumtaxat Ducem, velut vnum è Regijs subditis, aut ignotis vicinis nominando, graui contumeliâ affecerint, quam inuitus bello vindicare cogeretur. Sibi itaque, suoque Regi imputarent; si quid de solito legatis honore, ab irato Iuano imminutum esset. Sat maturè scriptum fuisse in Lituaniam, ne vlli Legati mitterentur, si Tzaris titulum denegaturi essent: quem Parenti Iuani Clemens Papa, ac Maximilianus Imperator, in suis literis attribuere non neglexe-

neglexerunt. Regij Legati ab aduerſo contendebant. A.1552.
Se neque moribus, neque exemplis exterorum Principum teneri. Iiſdem, ac planè totidem verbis ſalutâſſe Iuanum, quibus è vetere forma Legati Regij, parentem auoſque eius, ſalutare conſuêſſent: ex quibus nullam, Iuani maiores, inimicitijs occaſionem, ſumpſiſſent. Iuanum, Legatis Regijs, negato nullâ cauſâ debito honore, fœdera amicitiamque violâſſe. Pacis negotium, à pluribus annis agitari; titulorum controuerſiam, nuper primùm exortam eſſe. Agendum itaque potiùs de populorum concordia ac ſecuritate, de iniuriarum illatarum vindicatione: de titulorum formâ, Regem ipſum Moſci conuenirent; qui, vbi intelligeret, quis compellandi Moſcouiæ Ducem mos, alijs Chriſtianis Principibus eſſet, nihil deinceps aut Legatos, aut codicillorum Magiſtros, difficultatis moturos. Non poſſe ſatis ſe mirari, cur Iuanus ampliſſimis parentis ſui titulis, non contentus, nouos ambiret, offendereturque ijs, quibus maiores eius toties fœdera cum Lituanis auſpicatò inſtaurâſſent. Cæterùm, quandoquidem à Staniſlao Kiſzka Legato Regio admiſſæ eſſent induciarum tabulæ cum præfixo Tzaris titulo, ſe quoque non multùm recuſaturos eum tribuere, modo arces ac prouinciæ varijs artibus Lituanæ ditioni detractæ, (ac præſertim Smolenſcum) reſtituerentur. De titulis facillimam concordiam fore: ſi priùs de pacis legibus, ablatorum reſtitutione, iniuriarum compenſatione, conueniretur. Nihil ea permouerunt Moſcos: perinde, negabant agi

A.1552. posse de pace; nisi ante omnia, Tzaris titulus, à Rege ac Legatis eius, Iuano tribueretur; atque restituendarum prouinciarum mentio omnis, à fœderis conditionibus excluderetur. Abeundum itaque Moscuâ legatis fuit, rebus planè infectis. In viâ assecutus est Procerum Moscouiæ nuncius, per quem significabant: magno se consensu Tzari supplicâsse, vt quoniam pax non potuisset constitui, inducias saltem breues fieri permitteret; atque ei postulato Tzarem annuisse. Non latebat Regios legatos; preces procerum in speciem prætendi: cæterùm reuerà sponte suâ inducias optare Iuanum, quòd difficili cum Astracanensibus Scythis bello distineretur. Quia tamen eâ occasione obtineri aliquid posse in rem Lituaniæ non diffidebant, redierunt Moscuam, non omninò inuiti: inchoatâ verò induciarum tractatione nihil omnino de ijs agere voluerunt, priusquam de iniurijs circa Siebiezium illatis, certi aliquid à Moscis responderetur. Eâ constantiâ perfregerunt tandem Moscos, vt extemplò designarent iudices, qui Siebiezium delati, re cognitâ iuberent ablatos agros restitui, ac reliquas iniurias compensari. Vbi de his rebus partes conuenerunt, Legati Regij inducias triennales admiserunt, ijsdem, quibus proximæ, pactæ fuerant, legibus.

Sigismundus Rex Poloniam & Prussiã inuisit.

Cùm hæc in Moscouia per legatos aguntur, Augustus Rex Vilnâ in Ianuario profectus, comitijs Polonorũ Petricouiæ interfuit. Venerat eôdem Isabella eius soror, Regina Hungariæ vnâ cum filio regno suo exul, fortunæ collapsæ apud fratrem, & Polonos, subsidium quæ-

situra. Poloni ancipiti bello res suas implicari noluerunt: Rex indies consilia protrahebat: intereà Turcarum Imperator, missâ plenâ honoris legatione, in regnum Isabellam reuocauit, pace ac patrocinio suo promissis. Ita & regnum, & sceptri hæres perijt: cùm inde Turca, regnum pupilli, tutoris specie; inde Romanorum Rex succedendi iure, sibi ambiunt. Negotijs Poloniæ confectis, Augustus Prussiam petijt; ab Alberto Duce vbique, ac præsertim Regiomonti magnificè exceptus: vbi non exiguo suo periculo, defunctus est, fatis in alterius caput effusis. Cùm enim solito more, machinæ bellicæ è muris detonarent, vnus ex globis ferreis, Ducis Wisniewiecij Regem proximè comitantis caput ita abstulit, vt eliso cerebro, Regem ipsum conspserserit. Rex incolumis seruatus, magnâ clementiâ cauit, ne Machinarum Magister, seu casum, seu inscitiam, vitæ damno luere cogeretur. Ex Prussia priùs Caunam, deinde Vilnam delatus, non leues tum populi tum equestris ordinis offensiones incurrit. Inconsulto eo Ordine, extra comitia, ex aliquot Senatorum familiarium sententiâ, in singulos equos sexaginta grossorum, Lituanæ pecuniæ, vectigal, per vniuersam Lituaniam, indixerat. Eo onere haud multùm se grauari equites sentiebant, sed quòd contra leges impositum esset; violatas prærogatiuas equestres, vniuersi priuatim, ac palàm querebantur. Populus verò & insolito pensionis genere, & quæstorum exactionibus oppressus, quod vnicum illi ad vindictam telum suppetebat, multa in

A. 1552.

In Lituania popularis tumultus.

A. 1552. Regem ac Senatum probroſa, audaciſſimè iactabat. Reddita eſt deinde cum tempore quies: exactis enim perſolutiſque pecunijs, poſtquam onus tranſijt, ſenſus quoque eius, ceſſauit.

A. 1553. *Mors Pauli Epiſcopi Vilnenſis.* Sequens annus fatalis fuit clariſſimæ Algimundorum, Olſzanenſium Principum, domui: vltimo eius hærede Paulo Pontifice Vilnenſi è viuis erepto Luceorienſem ille priùs adminiſtrauerat Pontificatum: donatiſque ſuis paternis bonis, Ianouiâ & Paulouiâ, inſigniter reditibus auxerat. Vilnæ verò plurima religioſi ac fortis Pontificis argumenta, dedit, præſertim ſectam Luteranam reprimendo: quamquam non defuerint, qui maiores in eo, circa hoc negotium, ſpiritus deſiderauerint. Succeſſor ei datus Valerianus Szuſzkowski Protaſzewicz Luceorienſis Antiſtes. *Cum Moſcis cõcertatio de titulo Tzaris.* Moſcus per ſuos Legatos egit, tum vt inducias nuper initas, confirmaret, tum maximè vt Regi perſuaderet, ne ad pacem ſtabiliendam, titulus Tzaris in literis, ac legationibus negaretur. Reſponſum eſt Cæſaris ac Tzaris vocabula, vt literarum ſimilitudine ſibi eſſe propinqua, ita ſignificationis ſenſu, longè diuerſa. Cæſaris titulum, à Principibus varijs, ſoli Romano Imperatori, honoris causâ tribui, veluti primo inter Chriſtianos Principi: eum ab Iuano non appeti, ipſos etiam Moſcos fateri. Tzaris verò tamen ſolos ſectæ Mahometanæ Principes, Religionis Chriſtianæ hoſtes, Turcarum tyrannum & Scythicorum populorum regulos, vſurpare. Cùm igitur Reges Poloniæ Magnum Moſcouiæ Ducem fratris loco

habeant,

habeant, atque ad modum Christiani Principis, honorent: contra dignitatem Christiani nominis facturos, si communes cum barbaris honores ei tribuant. Quod si Iuanus suam dignitatem vsque adeò negligeret: facturum quidem Augustum Regem, quæ tantoperè ipse ambiret; sed priùs aliorum exempla expectare, ne tam insolentis rei auctor haberetur. Cum eo responso Legati expediti, literas regias ad suum Ducem vt acciperent, nullâ ratione sibi persuaderi sunt passi, vbi ijs titulum Tzaris deesse deprehenderunt. Rex Vilnâ Grodnam abijt, cum Reginâ matre, consilia de nouo matrimonio collaturus. Persuasit ea, ne inchoatam cum Austriaca domo affinitatem negligeret, sed peteret prioris coniugis sororem Catharinam in matrimonium: quæ Francisco Gonzaga Mantuæ Duce vitâ functo, vidua apud Ferdinandum parentem agebat. Posteaquam conuentum est in id matrimonium, Rex magnificentissimam Legationem instituit, è præcipuis proceribus Polonis Lituanisque, inter quos adfuit Nicolaus Radiuilus Palatinus Vilnensis Dux Olyciæ & Nesuisij. Nuptiæ incredibili pompâ, in Iulio, Cracouiæ, peractæ, singulis Procerum collegas apparatu superare annitentibus: è Lituanis, ante alios magnificentiæ primas partes tenuerunt, hic idem Radiuilus, & Gregorius Chodkiewicz. Atque hæc quidem connubialia festa, tunc quidem feliciter ad publicam hilaritatem celebrata sunt deinceps verò tristem exitum priuatim habuerunt: Regis animo, non multò post ita à Catharina auerso, vt repudiare

A. 1553.

Rex prioris coniugis sororẽ Catharinã Austriacã ducit.

A. 1553. pudiare eam, velut illegitimè in sororis demortuæ thorum superinductam, omnino constituerit. Procerum quoque aliquorum inconsulti amores, non leuiter Volyniæ pacem concusserunt. Demetrius Sanguszko Dux Volodimiriæ, Elizabetham Ostrogij Principem deperibat; neque Virgo abnuebat nubere Demetrio: at Mater pertinacissimè obsistebat. Demetrius spe omni, de expugnanda matris voluntate, perdita; specie amicitiæ in ciuitatem, arcemque, Ostrogium admissus, matre inuitâ, sponsam volentem secum abduxit. Mater incerta consilij, muliebriter furere: Regis auxilium implorare: Polonos proceres lachrymis, precibus concitare; ac inprimis Palatinum Calissiensem Zborowski. Amicorum omni operâ, qui priuatim componere negotium contenderant, nullo fructu consumptâ, dies Demetrio ad Regium tribunal dicitur. Iuuenis non amore magis, quàm fastu opumque fiduciâ insanus, mandata Regia contemnit: absens à Cancellario Lituaniæ Nicolao Radiuilo condemnatur, ac proscribitur: possessiones eius fisco; Matri filia, cum ijs quæ extulisset, caputque raptoris addicitur. Post Regiam sententiam, non modica equitum manus fuerat missa, quæ Sponsam raptori auferret: sed Demetrius ab amicis præmonitus, virili veste occultatam, magnis itineribus in Bohemiam secum auexit. Secuti fugientem satellites, in oppido sex leucis Pragâ dissito, deprehenderunt; corruptoque pecuniâ ædium Domino, clàm noctu in diuersorium admissi, inermem trucidârunt, atque Elizabetham matri reportârunt,

Demetrij Sanguszko audax facinus.

târunt. Eâdem deinde fœmina occaſionem nouis turbis dedit, quæ Simeonem Sluccij Ducem, & Comitem de Gorka, diu exercuerunt.

Comitia anni inſequentis Lublini, in frequente Senatu celebrata, nihil ferè habuerunt, præter Equeſtres querelas tota curiâ reſonantes, quòd in ſolitus comitijs locus lectus à Rege eſſet. Ad famam comitiorum, Moſcorum quoque Legatus venit: quem iuſſu Regis, viri illuſtres Theodorus Tyſzkiewicz, Alexander Zitomirski, Gregorius & Euſtachius Wollouicij, Theodorus Wodka, Petrus Siemiaſzko, Lublinum honorificè deduxerunt. Literas ille nullas tulerat, eo conſilio, ne Auguſto Regis titulum tribueret. Introductus in Senatum nihil ſe mandatorum habere diſertè dixit: eâ ſolâ dumtaxat miſſum affirmans, vt Magnus Dux hilaritatem animi, velut præcipuum victoriæ fructum, poſt ſubactam Aſtracaniam, communicaret cum Auguſto Rege. Reſponſum eſt Regis nomine: non Iuano ſoli, aut Regi Poloniæ, ſed vniuerſo Chriſtiano orbi meritò gratulandum eſſe, quòd tam amplâ prouinciâ debellatâ, Mahumetanorum vires haud modicè Chriſtianis armis ſint attritæ: miſſurum quoque propediem Regem Moſcuam Legatos, per quos de negotijs Chriſtianæ Reipublicæ commodo concernentibus, agere cum Iuano deſtinâſſet. Legato Moſcorum expedito, ac Paſchalibus feſtis Lublini peractis, Rex Breſtiam ac Grodnam, deinde Vilnam venit. Inde Georgium Tyſzkiewicz Moſçuam miſit: qui quamquam regias literas abſque Tza-

A. 1554. Mutuæ inter Regẽ & Moſcouiæ Ducẽ legationes.

A.1554. ris titulo attulisset, in sua tamen salutatione Iuanum Astracaniæ Tzarem nuncupauit. Eâ salutatione hilarior Iuanus, confidentiùs egit cum Legato: optare se affirmauit, vt tandem aliquando suis atque Augusti Regis viribus iunctis, vniuersi Europeæ Scythiæ populi, Christianorum cladibus viuere assueti, aut penitus exscinderentur, aut subijcerentur Christiano imperio: permisit deinde rem insoliti erga exteros in ea gente fauoris, vt cum quibus videretur ei proceribus, liberè ageret, Tyszkiewicius nihil aliud cum illis, atque inprimis cum sacrorum Antistite egit, quàm vt magnum Ducem, ad stabiliendam colendamque constanter pacem, hortarentur. Pontifex vbi negauit licere sibi cum ipso Principe super ea re, verba facere, spopondit suasurum se id alijs, quorum id officij esset. Proceres verò, etsi probare videbantur Tyszkieuicij studium, aiebant tamen, non posse se Magno Duci supplicare, nisi priùs id Senatus Lituaniæ per Legatos vrgeret. Regresso in Lituaniam Tyszkieuicio, præcipui Senatores scripserunt Moscis, vt prorogatis inducijs, plus temporis ad terminandam de titulis controuersiam, pacemque stabiliendam daretur. Respondit Collegarum nomine Moscuanus Antistes. Ab ipsis toto orbe maximis Principibus, Romano scilicet Imperatore, & Orientis tyranno, Tzaris titulum Magno Duci Moscouiæ tribui: vti constaret, ex adiunctis Maximiliani & Solymani literis, ad Basilium Basilidem datis. Cur igitur solus Augustus Rex, nihil hostile ab Iuano Duce hactenus expertus,

 contra

contra aliorum Principum morem id honoris negaret. *A.1554.*
Certè Aſtracaniâ & Caſaniâ debellatis, ac ſub imperium Moſcouiticum ſubactis, Magnum Ducem, verè Tzarem eſſe. De inducijs verò aut pace altum erat in literis ſilentium. Miſſi tamen ſunt pacis ſtabiliendæ causâ maiores Legati Moſcuam: Stephanus Dux Zbarazij Palatinus Polocenſis, Iuanus Szymkowicz Mareſchalcus, Venceſlaus Mikolaiewicz Notarius Lituaniæ, & Paulus Sokolinski Dux Druccius. *A.1550. Sexennales cum Moſcis induciæ.* Cum poſt ſolitæ ſalutationis cæremonias, indicâſſent, miſſos ſe ad agendum de pace: reſponſum eſt. Magno Duci Iuano, nihil pace magis hactenus in votis fuiſſe, ſed ob Legatorum Regiorum pertinaciam, titulos debitos imminuentium, nihil potuiſſe de ea concludi. Nunc inſuper acceſſiſſe rem momenti, quæ conciliandæ concordiæ plurimùm obſtaret, nimirum quòd Rex Scythas contra Moſcouiam concitâſſet. Subiecit deinde ſupremus exterarum Legationum Præfectus, quærendo, num in mandatis, quidpiam extra ordinem Legati haberent. Ad hæc legationis Princeps. Quæ de concitatis contra Moſcos Scythis audîſſet; ea grandem contra innoxium Regem calumniam continere: perſpectum quippe haberi ab ipſis Moſcis, quàm pronum eſſet Scythicis populis, ex vicinorum præda viuere aſſuetis, nullo concitante, bella in Lituaniam vel Moſcouiam, pro cupiditatis impetu, ordiri. Regem Auguſtum cultorem fœderum religioſum, procul eſſe ab ea noxâ, quam ij commiſcerentur, qui Chriſtiani ſanguinis auidi, bello concitando

A. 1555. non cauſas; ſed falſas ſuſpiciones, ſtudioſè colligerent. Titulos quos tantopere Iuanus ambiret, Auguſtum minimè negaturum, vbi cæterorum Principum conſenſus acceſſerit. Verùm hanc, alterius legationis materiam, curamq́ue fore. Conſultiùs vtique longè Iuanum facturum, ſi ſepoſitâ hâc controuerſiâ, iuberet agi de auertendo, quod imminebat bello. Remiſſi ad proceres, in ſexennales inducias antiquis legibus conuenerunt: ad quas firmandas Moſci Vilnam venerunt.

A. 1556. *Hæreſis Lutheranæ ac Caluinianæ per Lituaniã initia.* Cùm foris, pax breuibus inducijs prope de anno in annum, ægrè protrahitur: domi, contra publicas leges, cum ipſa Chriſtianâ religione, Iagelone Principe, natas, à Lutheri ſectatoribus bellum religioni indici cœpit. Iuuentutis Principes per Germaniam viſendi ſtudio & literarum causâ, peregrinati, quos ibi de religione ſenſus imbiberant, in patriam ſecum retulerunt. Nihilominus, etſi auitis ſacris nihil Diuini ineſſe opinarentur; dubij tamen, quam vnam inter tot ſectas amplecterentur: nullos adhuc profanos ritus certos, veteribus ſubſtituerant. Itaque, licentia illa quiduis de religione ſentiendi, per procerum nobiliumq́ue curias gliſcens, inter menſas & conuiuia dumtaxat, identidem fœcundis calicibus excitata, prorumpebat: templa necdum audebat occupare. Vilnæ primùm adhuc viuente Paulo Epiſcopo, Viclephus quiſpiam, Sacerdotem veſte ementitus, apud eundem obtinuerat: vt in S. Annæ tẽplo, ad plebem Teutonicæ originis, ex opificibus, ac mercatoribus, conflatam, verba de rebus diuinis facere

re posset, ibidemque sacris operari. Hic primùm de promiscuo in sacra mensa calicis vsu, Luteranum dogma pro concione vulgare cœpit. Pontificis deinde iussu, post probatam, damnatamque eius hæresim, templorum accessu exclusus, per priuatorum ciuium ædes, ac præsertim apud prædiuitem hominem Morstinum, confluenti populo propinare virus non destitit. Ausus deinde palàm suo exemplo carnium esum die Veneris persuadere, vix rudioris plebeculæ manus euasit. Quamquam verò ille, vrbem deserere metu mortis fuerit coactus: iacta tamen semina, etiam absente eo, ita succreuerunt, vt intra breue tempus opulentiores quique ciues, religionem mutauerint. *A. 1556.*

Ex eadem causa nouis turbis, Liuonia cœpit concuti. Guilhelmus Furstembergius Liuoniensium equitum Magister, propè cum vniuerso Ordine desertâ apertè Romanâ religione, ad Luteranam sectam desciuerat. Mox, vt eius sectæ ratio ferebat, animo ad occupandas Ecclesiæ opes intento, templorum ornamenta prædari; ascetarum claustra inuadere; possessiones agrosque Sacerdotum vsurpare. Obsistebat pro viribus suis, Guilhelmus Marchio Brandeburgicus, Rigensis Pontifex, sacrilegis Furstembergij conatibus. Hic verò comitijs Vendam indictis, reum Archiepiscopum agit, initæ cum Sigismundo Augusto Rege consobrino suo, & germano Alberto Duce Prussiæ, conspirationis: falsisque indicijs probat, Curlandiam Alberto, Liuoniam Augusto, promissam esse, ac propè perditam. Post comitia, *Liuonici belli occasio & materia.*

 mitia,

A. 1556. mitia, exeunte Iulio Pontificis ditiones aperto bello aggreditur, hostilemque in modum latè vastat. Multa erat nobilitas, pro æquo, & Archiepiscopo: sed is campo diffisus, maluit cum delecto præsidio Kokonhausum se recipere. Diu obsidio tolerata est; diu oppugnatio omnis, ab arce solidæ rupi imposita, est elusa: tandem, quos arma non subegerunt, fames ad deditionem coegit. Facta est deditio conditionibus non grauissimis. At Furstembergius, & fidei datæ, & dignitatis Vilhelmi immemor pertractum ad se à Satellitibus, variisque probris oneratum, in carceres coniecit: ac reliquas eius arces sacrilegis armis occupauit. Accepto eius rei nuncio, Augustus Rex illustrem virum ad Magistrum properè misit, vt causam Archiepiscopi tueretur. Verùm ita hæc noua religio, nihil iuris inuiolati relinquebat; vt eum Legatum in via interceptum, trucidauerit. Successit deinde cum simili legatione Episcopus Samogitiæ: sed nihil eius industria, nihil Regis auctoritas, apud furibundum hominem profecit. Rex armis iniuriam persequi certus, Sueciæ Regem in belli societatem pertrahere est conatus. Quia verò Suecus impendentem sibi à Mosco procellam opponebat, per literas, Suecos inter & Moscos amicitiam stabilire contendit.

Regina Bona in Italiam abit.

Eodem anno Regina Bona, post multam ac diuturnam concertationem, apud proceres Poloniæ largitionibus perfecit, vt in Italiam cum omni pretiosiore supellectili, atque gazâ regiâ, abire permitteretur. Quamquam verò deinde testamento ritè ante mortem condito,

to, filium Augustum hæredem vniuersæ rei scripsisset: tamen post mortem eius, artibus Papagodæ ministri voluntas vltima interuersa, tota ferè in irritum abijt. *A. 1556.*

Magnus Moscouiæ Dux, nuper ab Augusto ad ineundam cum Sueciæ Rege amicitiam inuitatus, nihil omnino ad votum respondit. Negabat sibi posse aliquid amicitiæ cum Suecis intercedere, quòd ij violatis incredibili fastu fœderibus, graues iniurias intulissent. Hortabatur præterea studiosè, vt secum inito fœdere, vires contra hostes Christiani nominis Scythas verteret, atque tot suarum Prouinciarum clades vindicaret. Intempestiua nimis belli Scythici mentio accidit Regi, totâ mole, arma in Liuoniam comparanti. Neque immeritò verendum erat, ne spreto apertè Scythici belli consilio, suspicionem Iuano moueret, initæ alicuius cum Scythis amicitiæ: atque inde, occasio hostile aliquid moliendi sumeretur, contra Augustum Liuonicâ expeditione intricatum. Purgare se igitur Augustus Iuano, per literas contendit. Si suo arbitrio agere sibi liceret, haud dubiè perlibenter accessurum fuisse paciscendo contra Scythas fœderi: at in libera Republica imperantem, legibus stringi, ad audienda priùs aliorum consilia. Proceribus verò Poloniæ, nullo omnino modo bellum Scythicum probari: quòd motis contra Scythiam armis, nemo non videret fore, vt Turcæ in id bellum excitentur. Adfuturos tamen propediem suos Moscuæ Legatos, qui cum Moscouiæ Proceribus conferrent, dispicerentq; diligenter, quid è Republica fieri posset.

A. 1557.

Moscus cũ Rege agit de bello Scythis inferendo.

A. 1557. posset. Literas subsecuti sunt Legati, Lucas Haraburda Notarius Lituaniæ & Ioannes Wilczek per Vilnensem Palatinatum Stabuli regij Magister: sed nihil momenti statuerunt; Moscis ad aduentum maiorum Legatorum negotium vniuersum reijcientibus.

Expeditio in Liuoniā eiusq; euentus.

Intereà in Liuoniam centum millium exercitus ab Augusto promouetur: accesserunt Georgius ac Simeon Duces Slucenses, cum delecta quatuor millium manu, priuatis stipendijs comparatâ. Castris ad Posuoliam locatis, Nicolao Radiuilo negotium datur, vt cum expeditiore agmine prægressus, Liuoniam inuadat, hostemque infestationibus diuexet. Furstembergius quoque bello sua tueri destinauerat: atque in eum finem octo millia mercenariorum equitum & aliquot millia peditum, ex agrestibus lectorum, armauerat. Non opinabatur fore, vt totâ vi Rex eum adoriretur: atque ideo copijs quas collegerat, satis fidebat. Verùm à speculatoribus edoctus, de regij exercitûs magnitudine, omnem belli cogitationem abiecit: Ferdinandi Imperatoris Legato, quem apud se habebat, arbitro, pacem, actorumque veniam, postulauit. Rex post tantas in apparatum belli impensas, non multùm in pacem inclinabat, rebus suis damnosam. Nihilominus, quòd victoriam innoxiorum sanguine, atque capitibus, constare necesse esset; non se ab ea alienum, esse Legato respondit: si Magister ipse præsens pacem peteret; atque Archiepiscopum solutum vinculis, quamprimum sisteret. Dura conditio: sed si succumberet, duriorem metuenti,

tuenti, hæc quoque ante incertam prælij aleam, toleranda est visa. Cùm trecentis ex equestri ordine Magister ad Regem venit: fœdus his præcipuè legibus, Nicolao Radiuilo Duce Nesuisiensi allaborante, perpetuum obtinuit. Magister Liuoniæ cum vniuersa Prouincia Regis imperium deinceps agnosceret: Archiepiscopus, cum omni honoris testificatione ac damnorum refusione, suo loco ac dignitati restitueretur: impensæ à Rege in eam expeditionem factæ, ex Ordinis ærario compensarentur: si Moscus, contra Liuoniam, aut Lituaniam, arma sumeret; vtriusque simul gentis viribus, bellum propulsaretur: neque alterutra sola, aut inducias aut fœdera, perpetua pacisceretur. Magistro præeunte, in eas leges reliqui Equites iurauerunt: fœderis tabulas præter Magistrum, duo à cæteris delecti, Henricus Stendich Præfectus Gondinensis, & Christophorus de Villanoua Mareschalcus Prouincialis, nominum suorum subscriptione firmauerunt.

A. 1557.

Primum fœdus Liuonum cũ Lituania.

Liuonicis rebus pacatis, missisque Moscuam Basilio Tyszkiewicz Palatino Podlachiæ, Nicolao Poszuszwinski Mareschalco, Ioanne Hayko Notario Lituaniæ, qui de pace cum Moscis agerent, Rex publicæ tranquillitatis securus, ex castris in Poloniam iuit. Intereà Dux Moscouiæ Iuanus, quod bellum in Scythas ac Suecos apparare videbatur, in Liuoniam inopinatò totis viribus effudit: veritus fortassè, ne prior eam Augustus occuparet. Non enim poterat ignorare, quæ nuper fœdera, cum Magistro Liuoniæ, fuissent pacta. Centum vigin-

A. 1558.

Moscus Liuoniam inuadit, legatos regios absq; spe pacis dimittit.

A.1558. ti millibus militum, id bellum à Moſcis geſtum eſt; atque magna pars Liuoniæ occupata, cum Felino, ac Derpato. Felini ipſe etiam Magiſter Furſtembergius, in poteſtatem hoſtium venit viuuſné, an cæſus? non comperio. Derpato expilato, vrbis ac prouinciæ eius Dominus, Epiſcopus Derpatenſis, cum vniuerſo Sacerdotum collegio, in captiuitatem eſt abductus. Perlatâ eius rei in Poloniam famâ, celeri nuncio Auguſtus Legatos ſuos monuit, vt Liuoniæ cauſam apud Iuanum Ducem ſuſcipiant. Verùm hoſtis ſucceſſuum proſperitate elatus, nihil aut modicum aut æquum, vel ipſe proponebat, vel à Legatis proponi, de Liuonia, atque adeo de pace cum Lituanis, ſuſtinebat. Repetentibus Legatis Seueriam atque Smolenſcum; diſertè proceres reſponderunt. Non eſſe ſibi per Principem integrum, de reſtitutione ablatorum agere. Pacem aliter obtineri non poſſe, quàm Ruſſiæ reliquæ ceſſione, quidquid tandem eius reſidui, in Lituana, aut Polona ditione, adhuc remaneret. Si pax his legibus circumſcripta, non placeret legatis; nihil ampliùs ad agendum reſtare: quòd Magno Duci conſtitutum eſſet inducias non prorogare. Immeritò ab Auguſto ſuſcipi curam Liuonum: Moſcouiæ illos ſubditos eſſe; atque denegato tributo, violatis templis, ſacris omnibus profanatis, ita contra ſe Tzarem concitâſſe: vt nulla ijs veniæ, aut pacis, ſpes ſit relicta, niſi indignatione eius per debitas pœnas mitigatâ. Infectis rebus digreſſos Moſcuâ Regios, ſecutus eſt ad Regem Iuani Legatus. Nihil ferè in mandatis habebat, præter

veteres

veteres de iniurijs finitimorum querimonias. Sed color hic Legationis quæsitus est, vt datis ad Regem literis solito fastu tituli ampliarentur: iam enim Dominum Liuoniæ in ijs Iuanus, se scripsit. Rex querelas, mutuis iniuriarum exaggerationibus reposuit: literis verò nouos illos titulos Tzaris Moscouiæ, ac Domini Liuoniæ præfigi vetuit. Atque ita postquam infida amicitia legationibus & breuium induciarum prorogatione, per viginti quatuor ferè annos, ægrè est sustentata, cùm Iuano Basilide; tandem rursus apertum Bellum occasione Liuoniæ exarsit. *A. 1558.*

Gothardus Ketlerus, nouus Liuoniæ Magister, Furstembergio successor datus, non ambigebat Moscum superioris anni successu inescatum, nequaquam quieturum. Sed & vulgi sermonibus iactata fama circumferebat, Archiepiscopo Rigensi, similem ac Derpatensis subijsset, sortem comminatum fuisse Iuanum. Impar igitur tantæ moli ferendæ, Augustum Cracouiæ conuenit, obsecrauitque, vt ex recentis fœderis formâ, Liuoniæ periclitanti opem ferat. Rex pertentatis Polonorum sententijs, cùm eos perquam alienos, ab omni Liuoniæ cura, deprehendisset, Gothardum spe oneratum, cum negotio vniuerso in Lituaniam remisit. Quia verò alacriùs suscipiuntur, agunturque illa, quorum ipsi nostris sententijs auctores sumus: experturus Lituanorum animos, nobilitati comitia Vilnam indixit. Frequentissimum eum conuentum fuisse perhibetur: multa in eo Equestris Ordo obtinuit; omnia liberalissimè,

A. 1559. Magister Liuoniæ opē contra Moscos ab Augusto petit.

Lituani suscipiunt Liuoniæ defensionē

A. 1559. à Polonis reiectam.

& pollicente & concedente Rege, vt proniores in suam rogationem faceret. Prærogatiuæ Ordinis, nouis tabulis firmatæ: leges quæ aut graues nimiùm videbantur, aut minùs iustæ, abrogatæ, substitutis clementioribus; pluraque alia his similia; in gratiam nobilitatis, concessa. Conciliatis eo modo animis, de suscipienda Liuoniæ defensione consilium instituitur: quæ & necessaria erat, ne Moscus oppressâ Liuoniâ, Lituaniæ infestior è propinquo redderetur; & perquam difficilis, ob ingentem ærarij publici egestatem. Non difficulter tamen omnes consenserunt; vt Rex Liuoniæ patrocinium susciperet, fœdusque cum Liuonia, quale in Reipublicæ rem, optimum videretur, pro suo arbitrio pacisceretur: certam quoque pecuniæ pensionem assignârunt, in biennales belli impensas. Adfuerunt comitijs præsentes, ipse Magister ordinis Ketlerus, & variorum Liuoniæ statuum Legati: qui operâ Nicolai Radiuili Ducis Nesuisij consenserunt; vt Liuonia in fidem ac clientelam Sigismundi Augusti, vti Magni Lituaniæ Ducis, his legibus, transiret. Ordo Teutonicorum in Liuonia equitum, agros omnes qui inter Druiæ limites ab vtroque Dunæ littore, & Ascheradensem Præfecturam intercipiuntur, Bouscum præterea, Reziciam, Lutzinum, Dunemburgum, Zelburgum arces cum suis latifundijs, Lituaniȩ consignaret: tum in tesseram gratæ voluntatis; tum maximè pignoris titulo, pro impensis, ex Lituano ærario faciendis. Bello iunctis viribus perfecto, ac pace redditâ, ius esset Liuonibus, ea territoria numeratis

Conditiones huius fœderis.

rătis ſexies centenis millibus florenorum, Lituanicæ *A.1559.*
monetæ, redimendi. Si Liuones, nullis Lituanorum impenſis, ſed ſolâ ſuorum legatorum induſtriâ pacem cum Moſcis procurauerint: nulla pecuniâ exhibitâ, arces cum agris liberè reciperent. Intereà earum præfecturarum incolis ac nobilitati, magiſtratus à Magno Lituaniæ Duce inſtituti, ius ſecundum patrias Liuoniæ leges dicerent: vniuerſis & ſingulis, ſua iura, prærogatiuæ, ſacra, in integro conſeruarentur; neque vllus iniuſtis vectigalibus oneraretur. Magnus Lituaniæ Dux, ac vniuerſi Lituaniæ Ordines, Liuoniam omnem, ac Teutonicos Equites, proprijs impendijs ac milite tuerentur. Exercitûs Lituani Duces, vires cum Liuonibus iungerent: collatis conſilij bellum gererent, darentque operam, ne per caſtra, ſtatiua, hyberna, viaſque militares, Liuoniæ incolis damna inferantur. Armis ab hoſte communi recuparata, ijs cederent, quorum dominio ante ſuberant, Lituanis aut Liuonibus: propriæ verò Moſcorum ditiones, æquo iure, inter Lituaniam ac Liuoniam diuiderentur. Rex Auguſtus ante exitum currentis anni per Legatos ſuos à Moſco occupata & captiuos repeteret, damnorum compenſationem vrgeret, à vexatione Liuoniæ deterreret: niſi hæc velit præſtare Moſcus, bellum denunciaret.

Poſteaquam Gothardus Ketlerus cum præcipuis ſuorum, præſentibus Secretarijs Regijs Gabriele Narkuski Vilnenſi Canonico & Nicolao Naruſzewicz Marcouienſi Præfecto, pridie Kal. Sept. iuramento has leges

A. 1559. ſolenni firmauit: Rex animum tuendæ Liuoniæ ſedulò adiecit. Ioanni Chodkiewicz, & Georgio Zenowicz negotium datum eſt, arcium Liuonicarum recipiendarum, firmiſque Lituanorum præſidijs muniendarum. Moſcuam quoque Legatus expeditus eſt. Hic illatarum iniuriarum compenſationem, publicè vrſit priuatim verò cum Proceribus, non Regis, ſed Palatini Vilnenſis Radiuili nomine, egit, vt curarent; ne repentino bello, non tractatio modò omnis pacis, ſed & ſpes, præcideretur. Reſponderunt Moſci, nihil hactenus hoſtile contra Regem, à ſuo Principe, aut re actum, aut animo deſtinatum, fuiſſe: ſed iam cogi vel inuitum ad arma ſumenda, poſteaquam ſe Rex in negotia Liuoniæ ingeſſit. Ea in bellum propenſione Moſci agnitâ, Rex magnæ conſtantiæ virum Martinum Wolodkowicz ad Iuanum miſit. Martinus in Senatu, diſertè ac conſtanter Iuano ediſſerit; Liuoniam ſuâ ſponte, magno Magiſtri ac Ordinum omnium conſenſu, Lituaniæ Ducatui ſeſe adiunxiſſe, atque ſub imperium Sigiſmundi Auguſti liberè cõceſſiſſe. Orat præterea, vt earum induciarum intuitu, quibus hactenus amicitia mutua conſeruata ſtetiſſet, bello omni in Liuonia Iuanus abſtineat: quòd Sigiſmundo Auguſto Regi defendendæ omni ope Liuoniæ, non minùs quàm Lituaniæ, cura iam impoſita eſſet. Adiunxerunt ſuas; Senatûs Lituani Principes, ad Proceres Moſcos, literas, Nicolaus Radiuilus & Euſtachius Wolowicz: quarum ſumma erat. Regem ſuum, vti hactenus, nihil contra Moſcouiam mouiſſet;

Rex Moſcum conatur auertere à Liuonico bello.

ita

ita nunc constanter à bello abhorrere. At Lituaniæ Ordines vehementer obstare, ne Rex mutuâ internunciorum literarumque missione, belli tempus sub spe incertæ pacis luderet: quin in publico ausos esse comminari; obsequium se erga Regem omne excussuros, si bellum, quod totis Lituaniæ viribus pro Liuonia geri oportere, Ordinum suffragijs decreuerant; procrastinari trahique aduerterent. Solos aliquot Senatores, tum precibus, tum auctoritate, ægrè apud tumultuantes euicisse: vt non diutiùs arma in quiete continerentur, quàm quantùm temporis satis esset, ad iter Moscuâ conficiendum Vilnam. Curarent itaque Proceres Mosci, vt intereà misso ad Regem à Magno Duce Legato, cruentum bellum sisteretur. Proceres Mosci ostensis Wolodkowicio literis Derpatensis, seu Iuriensis, Episcopi manu ac iuramento firmatis, in quibus tributi annui nomine pro singulis suorum capitibus Marcam Germanicam spondebat: hoc solùm adiecerunt. Iniquum omnino sibi videri, vt à Magno Duce nuncius iret ad Regem, qui tributariam Ducis Prouinciam auertendo, tam aperta hostilis animi argumenta prodidisset. Literarum ab ipso Iuano per eius nuncium, ad Regem datarum, hanc sententiam reperio. Præ nouitate rerum stupere se, neque satis intelligere ea, quæ à Rege de Liuonia accepisset. Constare quippè sibi certò, Liuoniam etiam, cùm Daniæ Regis imperio oppressa obtineretur, Moscouiæ Ducem, solitam fuisse recognoscere, vti Dominum ac Principem suum legitimum: nihil vnquam à vici-

A. 1559.

Moscus Regem à Liuoniæ defensione auertere conatur.

A.1559. à vicinis, Romanæ religionis Principibus, accepiſſe; præter Sacerdotes, ac Latinæ linguæ magiſtros. Se in ſacram contra Scythas pro Chriſtianis expeditionem, intentum, nihil omninò de diſſidijs cum Rege animo agitare; atque ideo enixè deſiderare, vt Rex contentus prouincijs induciarum formula expreſſis, à Liuonia abſtineat, præſidia inde ſua deducat, neque bello ampliorem materiam miniſtret. Vt verò quocumque tandem modo Regem à Liuoniæ, cui ipſe inhiabat, curâ auerteret: miſſo altero Legato ſororem Regiam alterutram (mortuâ intereà coniuge Anaſtaſiâ) in matrimonium ſibi poſtulauit. Deſignati ſunt à Rege Staniſlaus Pac Pro-præfectus Dapiferorum, & Matthias Pietkiewicz Pincerna Lituaniæ, vt de eo negotio cum Legato agerent: verùm hi rem integram diſtulerunt, ad maiores Legatos, qui à Rege & Magno Duce, ad fines Moſcouiæ conuenirent.

Legatorũ Lituaniæ ac Moſcouiæ congreſſus. Condicto tempore, Legati regij Ioannes Szymkowicz, Ioannes Hayko, & Martinus Wolodkowicz adfuerunt: de pace, atque connubio Iuani cum ſorore Auguſti, nonniſi Moſcuæ acturi, cæterùm eò non progreſſuri, niſi priùs in ipſis limitibus, certi aliquid cum Moſcis, de iniurijs vltrò citroq; illatis, & de negotio Liuonico, ſtatuiſſent. Occurrerunt proceres Moſci, atq; in prima ſalutatione ſui Principis nomine queſti ſunt: multa, præter morem hactenus obſeruatum, geri; Legatorum collegio, neminem ex maioribus proceribus adiunctum eſſe; quamquam vt id fieret, ſingulariter

poſtulatum

postulatum esset; intempestiuâ Liuoniæ curâ omnes A. 1559.
concludendæ pacis rationes perturbari: cogi se, vt extra Regiam, de Principum affinitate agant. Pro Collegis suis Mareschalcus Lituaniæ Szymkowicz respondit. Nobilitatem in Lituania censu aut opibus non æstimari: vbi omnes Equites, paribus prærogatiuis gaudere oporteret. Dignitatem singulorum ex officijs quidem ac muneribus publicis censeri: sed ea, non solùm se, qui vnus ex præcipuis Senatoribus esset, verùm etiam collegas Legationis, Notarios Magni Ducatûs Lituaniæ, sat eximia habere. Grauiter itaque hallucinari Moscos, qui in regia Legatione, aut claritatis aut honoris, aliquid, desiderarent. De pace dominiorum, atque affinitate Principum, non acturos se alibi, quàm loco solito, in Regia Moscorum Ducis. Quoniam verò à tot annorum Legatis, omnis opera nullo euentu Moscuæ consumpta esset: ne in irritam spem nunc etiam tantum itineris susciperetur, iussos se esse experiri priùs in finibus, quàm sincerè in pacem pronos habituri essent in ipsa Regia Moscos. Cùm ea priùs, inter vtrosque comparanda proponuntur; quæ, si in limine non complanata transirentur, omne in progressu negotium præcipitatura essent: nihil ad perturbandam pacem fieri. Deductâ tandem re ad consultationem, Legati regij inter iniurias Lituaniæ illatas, ante alias, Seueriæ ac Smolensci occupationem vrgebant. Mosci verò nihil aliud respondebant, quàm eas Prouincias Russi imperij olim fuisse, Lituanorum Principum iniustâ vi oppres-

ſas, atque ideo Moſcouiæ Duci deberi. Ita rebus omnino infectis, vtrique diſceſſerunt.

A. 1560. Videbat probè Rex, nihil iam, niſi bello, confici poſſe; habebatque omnia ad repellendam vim pridem comparata: nihilominus ſiue aliâ quâuis ex causâ, ſiue quòd naturâ in agendo lentus, nihilque ferè niſi neceſſitate vrgente agere aſſuetus, procraſtinaret; priùs Michaëlem Haraburda miſit. Legationis ſumma erat, vt ſaltem intereà infeſtari Liuoniam Iuanus prohiberet, dum legati de pace acturi Moſcuam venirent. Pollicitus id ſanctè Iuanus, nihil minùs egit, quàm quod promiſerat. Immiſſo enim exercitu, barbarè finitima Liuoniæ euaſtauit. Propinqui hoſtis metus impulit Liuones, vt in fœdera nuper Vilnæ pacta faciliùs conſentirent, atque publicâ omnium ſtatuum auctoritate ac ſententiâ, XVI. Kal. Mart. ea confirmarent. Acceſſit poſtero die eiſdem fœderibus, Vilhelmus Archiepiſcopus Rigenſis, cum vniuerſo ſacerdotum collegio: atque arces Marienhauſenum, & Lenuartum, cum latifundijs, in ſumptus bellicos, Regi conceſſit, iſtiuſmodi legibus. Reditus earum præfecturarum omnes, ad Archiepiſcopum, quamdiu viueret, pertinerent: præfectus ab eodem deſignatus, fidem ſuam iureiurando obſtringeret, arces eas Archiepiſcopo mortuo, nemini alteri, quàm Regi, aut eius miniſtro, ſe traditurum. Allato in Lituaniam nuncio, inde fœderis induſtriâ Ducis Neſuiſij, Nicolai Radiuili, ritè perfecti, inde Moſcouiticæ in Liuoniam irruptionis, vniuerſi arma pro Liuonia ſumpſerunt.

Bellũ Lituanorum pro Liuonia contra Moſcos.

runt. Primus Hieronymus Chodkiewicz nobilitatem Samogitiæ, atque Trans-Viliensis Lituaniæ, versùs Vendam duxit: quam vrbem quinquaginta millibus Mosci cinxerant. Secuti sunt Hieronymum impigrè cum stipendiarijs Georgius Zenowicz, Ioannes Chodkiewicz, Alexander Polubinski, tribuni militares; ac præcipui cohortium ductores Nicolaus Osticus, Zizemski, Szemeth, Surwil, Holubicki, Lucas Swierski, Daugird, Skinder, Baka, & alij, tum genere, tum rebus militiâ gestis, clarissimi viri. Ad famam venientis exercitûs Mosci non obsidionem, tantùm, sed & campum deseruerunt, satis trepidè. Non deprehenso ad Vendam hoste, nobilitas domum redijt; defendendæ verò Liuoniæ prouincia Alexandro Polubinski obtigit. Hic hostem alacriter insecutus, duobus locis aliquas cohortes lentiùs progredientes cecidit, ac deinceps toto quinquennio bellum hoc fortunatissimè administrauit. *A. 1560.*

Accensis vtrinque in bellum animis, nulla pacis spes suppetere videbatur. Non destitit tamen eam Iuano Augustus suadere, misso Moscuam Borkolabo Korsak. Querebatur in literis inuito se, Lituanos arma coactos sumere: quòd Iuanus promissi immemor, Liuoniam infesto exercitu aggressus, Vendam oppugnari iussisset. Nondum tamen rem eò prolapsam esse, vt sistendi belli ratio desit; modò Iuanus, æquas pacis conditiones, aut ipse inquirere non negligeret, aut oblatas admittere. Nihil pacati responsum est ab Iuano: occupatâ enim Esthoniâ propè vniversâ; ægrè ferebat, difficultates o- *A. 1561. Moscus pacem oblatam cõtemnit.*

A. 1561. bijci, ne reliquâ Liuoniâ tam citò, vti cuperet, & ſperaret, potiretur. Quin immò auſus eſt barbarè exprobrare Regi, quòd quas iniurias Lituaniæ illatas prætenderet, conſultò fingeret, ne aut occaſio aut prætextus bello deeſſet: atque adeo nihil ab eo ſincerè, omnia dolo agi. Nihilo moderatiùs reſpondit Iuanus Wiskouaty Euſtachio Wolowicz. Interpellauerat hic Iuanum, vt quoniam ante alios gratiâ apud Magnum Ducem floreret, animum eius ad pacem ſuis conſilijs inflectere contenderet. Iuanus verò non adeo ſe annis maturum eſſe præfatus, vt de tanti momenti negotijs, Magno ſuo Duci loqui auderet: omnis belli, quod vnquam inter Lituanos ac Moſcos interceſſiſſet, quodque recenter exortum eſſet, originem, atque adeo iniquitatem, in Principem ac Proceres Lituaniæ, deriuauit. Contendebat Liuones, iam inde à Rurico Ruſſiæ vniuerſæ Principe, Ducibus Moſcouiæ paruiſſe: ac deinceps publicis tabulis fidem ſuam obſtrinxiſſe, ſub nullius vnquam alterius Principis poteſtatem conceſſuros, ſed in obſequio Ducum Ruſſiæ perpetuò perſeueraturos. Seueriam atque Smolenſcium ab Olgerdo Lituaniæ Principe in Moſci ditione relictas, poſtea ſucceſſorum fraudibus Lituaniæ aggregatas, optimo iure Moſcouiæ deberi. Hæc, vt multùm plausûs apud Moſcum habebant; ita apud peritos Hiſtoriæ, nihil fidei. Nam & Liuoniæ finitima haud pridem Moſci vſurpare cœperant, & ex Olgerdi fœdere Lituanæ ditionis termini Mozaiſcum vſque protendebantur. Rurici tempore, nomen Moſcorum

De iure Moſcorum in Liuoniã Seueriam Smolenſciam.

eorum inter cæteros Russiæ populos, valde obscrum, ne dicam ignotum omnino, fuit, solius Moscuæ ciuitatis agro circumscriptum. Atque vt fortè Rurici imperio Moscuam subiectam fuisse nemo negauerit; ita in eius Ducibus, nullus historiæ gnarus, vllum ius, in Rurici successorumque eius dominia, concedet. A. 1561.

Respuentibus pacata Moscis, bellum in Liuouia resumptum est, primo vere. Nicolaus Radiuilus Birzanus Dux, supremus militiæ Lituanæ Magister, cum stipenpendiario milite in Liuoniam mouit. Auxerunt vires exercitûs, lectis proprio sumptu copijs, Hieronymus & Gregorius Chodkiewicz, Paulus Sapieha, Basilius & Georgius Tyszkiewicz, Gregorius Tryzna, alijque procerum præcipui. Quam primùm per Liuoniam vulgatum est Lituanas copias per Dunam transportari, Moscus ne aperto campo decernere cogeretur, relicto milite qui præsidijs arcium sufficeret, cum reliquo exercitu, in tutum se recepit. Radiuilus dato negotio Georgio Tyszkiewicz, & Gregorio Tryzna, vt quinque millium expedito equitatu, hostium vestigijs insisterent, ipse robur exercitûs ad Tauri arcis oppugnationem duxit. Tyszkieuicius ad ipsos Moscouiæ fines citato agmine hostem secutus, nullibi pugnandi copiam habuit: itaque impunè per Moscouiæ agros grassatus est. Tauri oppugnatio diutiùs exercuit reliquas copias. Post viginti dierum, & ampliùs irritum laborem, tandem perducto ad mænia cuniculo, eiectaque muri non modicâ tormentarijs pulueribus parte, via ad victoriam est aper-

Bellū pro Liuonia contra Moscos.

A.1561. ta. Summâ contentione, ac celeritate, ruinam Moſci obſtruebant: pars comportabant materiam reparando muro neceſſariam; pars irruentes lunatis ſecuribus, gladijſque, arcebant. Neque vanum eorum incæptum fuiſſet, niſi Ioannes Wolminski, haſtatæ cohortis ductor, ſuos properè ex equis deſcendere, directiſque in obſtantes haſtis, maximo quo poſſent impetu, ſe ipſo duce, ire iuſſiſſet. Haſtatos reliqui ſecuti, in arcem penetrârunt. Expugnatio loci, vt diuturno labore, ita nulla ferè maiore iacturâ, victoribus ſtetit; quàm quod inſignem cohortis præfectum, Modrzewski, amiſerint.

Fœdus Liuoniæ cũ Lituania nouis legibus inſtauratur.

Liuoniæ Magiſter Ketlerus, meliore ſpe, atque animis, ex felici noui fœderis ſucceſſu, auctus; non audebat ſe integrè, ei quæ in præſens erat, fortunæ permittere. Nam, vt fortè auxilijs Lituanorum vlteriores Moſci progreſſus reprimere potuiſſet: at viribus Liuonicis penitùs collapſis, inter potentes hoſtes Daniæ, Sueciæque Regem, ac Moſcouiæ Ducem deprehenſus; à Cæſare Imperioque Romano deſertus; non videbat quomodo Eſthoniam ac Derpatum Moſcis extorqueret; maritimæ oræ loca aut retineret, aut à Dano, cui pleraque ceſſerant, reciperet. Maioris molis ea res viſa, quàm vt ſolius Lituaniæ auxilijs perfici poſſet. Quare vniuerſo equeſtri Ordine, legatiſque ciuitatum flagitantibus, Auguſto Regi ſupplicauit: vt quempiam in Liuoniam deſtinaret, qui re è propinquo inſpectâ, maturiùs diſpiceret, quid opis, Liuoniæ in arcto poſitæ, ferri expediret.

ret. Missus est Nicolaus Radiuilus Dux Nesuisij Rigam, A.1561.
qui Gubernatoris regij titulo, collatâ cũ indigenis sententiâ, rebus Liuonicis prouideret. Rigenses, quamquam in obsequio se Regis constanter mansuros profiterentur, neque arcem, neque vrbem Radiuilo permiserunt: dissimulauit hic factum, ne intempestiuâ irritâque concertatione, magis suam Regiamque, imminueret dignitatem. Instituto deinde de Republica consilio. perpensoque prouinciæ statu, neque difficulter aduertit, neque fateri dubitauit Liuoniæ defendendæ vix suffecturam Lituaniam. Quare disertè suasit Liuonibus, vt quibus legibus Lituaniæ accessissent, ijsdem Poloniæ regno sese adiungerent: quòd eâ ratione Polonæ quoque opes, in subsidium Liuoniæ, pertrahi posse viderentur. Indixerat fortè Rex Vilnam Lituanorum comitia: in ijs Magister, cum alijs legatis, quæ destinauerat, Regi ac Senatui exposuit. Verùm, quòd absentibus Polonis, nihil certi concludi poterat, res integra ad Polona comitia est reiecta. Ne verò ex mora, Liuoniæ status in peius prolaberetur; Rex inprimis promisit totas Lituaniæ vires, ad eius conseruationem, collaturum: tum, industriam omnem in Polonorum animis ad Liuonum vota inflectendis. Hac Regis beneuolentiâ permoti Liuones, Magistro ordinis auctore, nouo se ac Liuoniam omnem fœdere Poloniæ Lituaniæque obstrinxerunt: ex cuius formâ, non iam fœderata tantùm, ac socia prouincia; sed eidem Reipublicæ insita deinceps haberetur. Fœderis noui hæ leges fuerunt. Sigismundus Augustus

A. 1561. Conditiones istius fœderis.

gustus Rex omni studio allaboraret, ne nouum hoc fœdus, aut Magistro ipsi, aut Equitibus Ordinis, damno, fraudi aut vexationi esset apud Imperatorem, Imperiumq; Romanum: quin immò procuraret, vt Cæsar, Principes, ac supremus Ordinis Magister, ea fœdera rata firmaque in perpetuum manere, iuberent. Religio sacrique ritus, prout in præsens secundùm Augustanæ Confessionis dogmata, deinceps integrè inuiolateque relinquerentur nihilque innouari permitteretur. Ius omne, priuatorum hominum, ac ciuitatum, statuum, ordinum, cum suis prærogatiuis, intactum seruaretur. Ab ordinarijs magistratibus, ad Gubernatorem Liuoniæ, pro Rege præsidentem, appellandi potestas, libera cuiuis esset. Tribunal iudicum regiorum, ex illis duntaxat constaret, qui in Liuonia agros aliasúe possessiones haberent, siue ij nobiles, siue ciuiles magistratus, siue Ordinis equites, essent. Qui in territorijs nupero fœdere Regi addictis, viuerent: ijs à prædicto tribunali, ac quouis alio Iudice, ius liberum appellandi ad Regem daretur. Ciuitatibus præessent, vti hactenus vsus habuerat, magistratus, more Teutonico lecti. Per propinquiora hosti castella, ij durante bello præficerentur, quorum fides magis esset probata Regi: redditâ pace, præfecturæ omnes Liuonibus, Germanici sermonis peritis, committerentur. Magistri Ordinis titulus, officiumque in perpetuum aboleretur. Gothardus Ketlerus Curlandiam ac Semigalliam Ducis titulo, iure, vt vocant, *feudali* possideret: ditione eius, Curoniæ Episcopatus,

copatus, & quidquid inter Dunã ac Samogitiæ Lituaniæque terminos continetur, comprehenderetur: ad sexennium cum sua prouincia à bellicis oneribus liber, immunisque relinqueretur. Quidquid trans Dunam Liuoniæ esset, cum Esthonia ac Derpatensis Pontificis ditione, Regi eiusque successoribus, perpetuo iure cederet. Riga omni Magistrorum Liuoniæ imperio soluta, Regi subesset: arcis, vrbisque administratio ijs demandaretur, qui natione Liuones, linguam aut Teutonicam, aut popularem Liuonicam callerent: Præfectum Vrbis, vulgò *Burgrauium* legerent ciuiles Magistratus; Rex confirmaret. Monetæ cudendæ ita Duci Curlandiæ potestas esset; vt vnâ eius parte, facie aut stemmate Ducis signatâ, altera aut Regem, aut insignia Poloniæ Lituaniæue repræsentet. In has leges ita inter Lituanos ac Liuones conuentum est: vt, etiamsi fortè Poloni Liuoniam suo regno inseri prædictis legibus abnuerent, Magno tamen Lituaniæ Ducatui, insita vnitaque perpetuò maneret. Confectis tabulis 4. Kal. Decemb. ijsque Regis Sigismundi Augusti manu, ac Lituaniæ maiore signo, ritè communitis: Gothardus insignia præteriti muneris, Crucem auream, ac Sigillum Magistri, publicè Regi tradidit, in ærario Lituaniæ, per Cancellarium eiusdem, Nicolaum Radiuilum deponenda; mox solenni pompâ, Dux Curlandiæ ac Semigalliæ est renunciatus, atque inauguratus. Gubernatio verò Liuoniæ, Gregorio Chodkiewicz Castellano Trocensi Campestri militiæ Lituanæ Duci, commissa

A. 1561.

Primus Curlandiæ Dux Gothardus Ketlerus.

Gubernator Liuoniæ Gregorius Chodkiewicz.

missa est, vt eam pro Rege administraret, atque bellum contra Moscos perurgeret.

A. 1562. Chodkieuicius maturè in Prouinciam profectus, militem tum stipendijs auctoratum, tum ex ordinaria Samogitiæ recensione lectum, non procul à Derpatensibus agris contraxit. Priusquam tamen infesta in hostem signa immitteret, experiri voluit, quam spem pacis Mosci facerent. Datis ad Derpatensem Palatinum literis spopondit allaboraturum se, ne Rex ab ineunda pace alienum se præberet, modò Palatinus quoque id ipsum apud suum Principem efficeret. Respondit ille: præstitisse ex fide se, quæ Chodkieuicius postulâsset. Scriptum esse sibi Moscuâ, Magnum Ducem tum suapte, tum Procerum precibus inductum, vnicè desiderare Regis Augusti amicitiam. Restare itaque, vt ipse suas partes, vti promisisset, studiosè ageret, apud Regem & Senatum: vt quàm primùm legati Moscuam mittantur. Chodkieuicius relicto in castris Legato Alexandro Polubinski cum ijs literis ad Regem excurrit. Intereà vtriusque partis consensu miles ab infestationibus cessauit, donec aliquid certi à Principibus mandaretur. Dederant in eodem negotio literas, ad Macarium Summum in Moscouia sacrorum Præsulem, & aliquos Magnates, Valerianus Episcopus, & Palatinus Vilnensis Nicolaus Ioannes Radiuilus, Senatûs Lituani Principes. Macarius quidem nihil ampliùs rescripsit, quàm collata cum alijs præsulibus operâ, impetrâsse literas, à Magno Duce, quibus liber Moscuam aduentus permit-

De pace inter Moscos & Lituanos agitur.

permittebatur Legatis Regijs de pace tractaturis. Magnates verò multa fastuosè, planeque barbarè scripserunt. Quòd titulus Tzaris per tot annos negatus sit à Rege, vt nimiùm arrogans factum incusabant: sacrilegio cuiuis æquabant, quòd solitis stipendiis, Scytharum Crimensium copiæ, contra Moscouiam auctoratæ, Seueriam nuper suasu Michaëlis Haraburda, peruastârint. Sed ante omnia maximè perstringebant susceptum Liuoniæ patrocinium. Augustum Regem, aliam atque aliam causam nouo fœderi prætendentem, vel inuitum confiteri, nullum sibi ius in Liuoniam competere. Quid enim necesse fuisset illi, modò donum Cæsaris Romani, modò Lituaniæ patrimonium, Liuoniam vocare, nisi prætextum veri quæreret, in re apertè falsa? Indignam omnino rem fuisse tanto Principe, quantus esset Augustus, tam contraria, ne dum diuersa, scribere. Num lateret eum Historia Lituana, in qua legeretur Iagelonem & Vitoldum suos maiores, pecuniâ solitos militem in Liuonia conquirere? nullo vtique modò id facturos, si Liuonia, vetus Magnorum Lituaniæ Ducum patrimonium fuisset. Hæc Proceres Mosci. At reuerà Liuonia, & vetus Lituaniæ patrimonium rectè vocabatur, & donum Cæsaris. Liuones enim, olim eiusdem cum Lituanis originis ac linguæ, ante aduentum Germanorum in Liuoniam, ortis dissidijs, non semel à Lituaniæ Magnis Ducibus bello sunt deuicti. Hac verò tempestate Liuoniam premente, Carolus V. Cæsar alijs bellis intricatus, Liuones opem tanto terrarum

A. 1562.

De iure Moscorum ac Lituanorum ad Liuoniam.

 interual-

A. 1562. interuallo implorantes, disertè ad quærenda, apud vicinum Poloniæ Regem, auxilia, remiserat. Quamquam autem hæc omnia defuissent: certè quemadmodum Moscus, nihil vspiam in Liuonia obtinebat, nisi quod illata vi rapuisset; ita nullum magis æquitati conforme ius cogitari poterat, quàm id, quo suâ sponte Liuones sub imperium Augusti Regis concesserunt.

Quàm alieno à pace animo Mosci essent, quidquid in speciem ore iactarent, satis argumenti in ijs literis dederunt: ex quibus constabat clarè, nihil eos ad commuue cum Legatis consilium allaturos, quod non cum summo Liuoniæ ac Lituaniæ detrimento coniunctum esset. Ipse verò Dux Iuanus, ne tantillum quidem ab armis temperauit, quamdiu Regij internuncij Moscuæ sunt morati. Liuoniam non attigit, quòd comparatum isthîc ad bellum militem, signum belli expectare non ignoraret: Albam Russiam inopinatò aggressus, Vitepscenses, Dubrownenses, Orszanos, Kopysienses, ac Sklouienses agros latissimè populatus est. Ad eius rei nuncium Augustus Rex copias bifariam partitur. Polonos Floriano Zebrzydowski, Campestri Regni Duci, versùs Pólociam mandat ducere: Nicolao Radiuilo Lituanos versùs Smolenscum. Radiuilus magnis itineribus Orszam vsque progressus, cùm nullibi in campo hostem deprehendere potuisset, firmatis ad Borystenis ripam castris, equitatum omnem ad vastandas Mosci ditiones misit. Redditâ per Smolensciam mutuâ hosti clade, Vitepscum mouit: inde Vieliziensem oram ingressus

Dato à Moscis initio bellandi.

Lituani Moscouiæ ditiones vastant.

gressus obuia excidit, ac ciuitatem Vieliziam exussit. *A.1562.*
Arx, neque primo impetu capi potuit, opportuno loco sita, ac valido præsidio firmata: neque deinceps oppugnatione tentari; quòd festinantem, spe intercipiendi alicubi hostis, militem, vetuisset Imperator machinis tormentarijs onerari. Zebrzidouius Polociam prætervectus, Iezierziscios primùm, deinde Neuelium peruenit. Isthîc inopinatâ ægritudine deprehensus, quòd se imparem laboribus experiretur, Stanislao Lesniowolski suas vices commisit: cum hiscé mandatis, vt omnem circa oram percurrat, hostemque vestiget. Mille delecti equites Poloni, cum ducentis Lituanis, ad eam operam assignati sunt: quibus Dowoyna Palatinus Polocensis, trecentos circiter suos variè armatos adiunxit. Cum tantilla manu, haud multùm progresso Lesniowolscio, quadraginta quinque millia hostium occurrerunt insperatò. Lesniowolscius, in tam subito discrimine, tantaque virium debilitate, dubius consilij, plusné periculi, pugna, quàm fuga, habitura esset, maluit pugnare. Castris, vt tempus, ac periculum repens, ferebant, loco paludoso permunitis, campestribusque machinis opportunè locatis, hosti signa audacter inferenti, aperto prælio occurrit. Pugnatur acriter maiore longè hostium cæde; sed ea minùs sentiebatur in tanto numero, quàm inter paucos exigua. Tribus millibus hostium in campo cæsis, quindecim apud Lesniowolscium desideratis, cùm æquante multitudinem virtute, victoria diu neutrò inclinaret: nox prælium diremit.

Poloni Moscos profligãt.

A. 1562. remit. Altero die Moſci, non auſi prælij fortunam iteratò experiri, motis in Moſcouiam priùs caſtris, victoriæ confeſſionem Leſniowolſcio reliquerunt. Intereà hyems ingruens victores ad hyberna reuocauit.

A. 1563. Inſtabat iam tempus comitiorum, quæ Varſauiam Rex indixerat, acturus cum Polonis Ordinibus, de Liuonia, regno adiungenda. Adfuerunt in tempore Liuonum Legati, mandataque ſuorum in Senatu explicârunt. Poloni tot annorum bellis grauiſſimis, Pruſſico, Moſcouitico, Scythico, Valachico, Turcico, mirè exhauſti, nihil ægriùs audiebant, quàm cùm de nouis expeditionibus ſermo inferretur. Quandoquidem ergo, non aliter poterat Liuonum poſtulatis ſatisfieri, quàm ſuſcepta Liuoniæ contra Moſcos, Danos, & Suecos defenſione: ne ſe his difficultatibus intricarent; apertè omnia Legatis negauerunt. Atque ita in ſolas Lituaniæ opes vniuerſa belli pro Liuonia gerendi moles relapſa eſt. Moſcus æſtate totâ quieuit. Remiſſis inſuper cum honore Regijs nuncijs, pacata omnia præſeferebat: datis enim ad Regem literis ad pacem eum eſt hortatus; paratumque ſe oſtendit pacis causâ, quidquid Regi liberet præſtare: ſiue mallet Rex ſuos Legatos Moſcuam mittere; ſiue Moſcos Vilnæ præſtolari. Vniuerſa hæc ad fraudem erant compoſita; vt ſi Rex falsâ ſecuritate illuſus, verteret aliò copias, Iuanus inopinatò aliquam Prouinciam inuaderet: quemadmodum deinceps euentus probauit. Nam præcipuâ exercitus parte ductore Polubinſcio, ad vindicandam à Dano maritimam

Moſcus ſpe pacis decept. Letuani Polociam inuadit.

mam oram conuersâ; reliquis copijs in vlteriorem Lituaniam hybernorum occasione digressis: Iuanus cum ducentis peditum, octuaginta equitum millibus, ac ducentis machinis tormentarijs, (quas copias toto eo anno in silentio comparauerat) Polocensem Palatinatum inuasit; caputque Prouinciæ, vrbem ac duas arces, arctâ obsidione, Decembri extremo, cinxit. Eodem anno per Octobrem, Demetrius Dux Wisniewiecki in Valachia profligatus, plurimos amisit illustres viros; ipse quoque captus, atque barbarâ crudelitate ab vnco suspensus, occubuit: vir rebus contra Scythas, Valachos, ac Turcas fortunatè gestis celebratissimus. *A. 1563.*

Comitia Vilnæ peragebat Rex, cùm Polociam ingenti à Moscis exercitu obsideri, nuncius est allatus. In re subita, Radiuilus Lituaniæ militiæ Dux iubetur celerrimis nuncijs stipendiarios ex hybernis euocare: publicis edictis, mandatur nobilitati, vt ad arma absque mora concurrat; inuitantur Proceres, vt priuato milite publicam rem iuuent. Ex nobilitate pauci admodum confluxerunt: quòd & repentina bellandi necessitas imparatos occupasset; & incommodum bello tempus, pluribus indigeret. Ex proceribus soli ferè Gregorius & Nicolaus Radiuilus, in tempore venerunt. Minsci copiæ recensæ, duo millia Lituanorum, mille quingentos Polonorum habuerunt. Nihilominus, tam exiguam manum, Palatinus Trocensis Radiuilus, magno animo contra hostes duxit: palatos eos variè, magno successu cecidit: castris intra octo leucas ab hoste permunitis,

A. 1564. Rex laboranti Polociæ subsidia procurat.

excur-

A. 1564. excurſiones hoſtiles ſtitit. Verùm neque penetrandi ad obſeſſos via modusúe vllus ſuppetebat: neque audendi è propinquo aliquid animum, virium conſcientia permittebat. Moſcus verò, eò magis accelerare contendit oppugnationem, quò vehementiùs metuebat, ne maiore exercitu collecto Regiorum, aut aperto prælio decernere, aut ab incæpto deſiſtere cogeretur. Præerat intra vrbem ſummæ rei, loci Palatinus, Douoyna: habebat in præſidio viros conſilio manuq́ue promptiſſimos, Ioannem Hlebowicz, Gregorium Holubicki, Petrum Dorohoſtynski, Ieſzmanos ac Korſakos, eius Palatinatûs Equites, & Centurionem Polonum Wierzchlinski, cum alijs tribus eius collegis. Inſigni horum omnium virtute, non ſolùm à mænibus ſtrenuè reijciebatur hoſtis; verùm etiam magnâ in obuios per excurſiones ſtrage editâ, in dies affligebatur. Nihilóminus, vt tela à multis ſimul, etiam in incertum, proiecta, non omnia irrito ictu cadere ſolent; non deerant obſeſſis ſua neque vulnera, neque funera: quæ in paucitate magis ſentiebantur. Perculit maximè Holubiccij interitus, qui trabis globi maioris impetu excuſſæ, oppreſſus onere, occubuit. Iam vereri cœperat Palatinus Douoyna, ne imminuto ſenſim præſidiariorum numero, impar redderetur propugnandæ vniuerſæ ciuitati. Creſcente cum tempore metu, tandem conſtituit turbam, quæ ex agris vicinis concurrerat, expellere, mænia atque ædes omnes igne demoliri, vniuerſam belli molem intra arces receptam, ſuſtinere. Improbabat acriter id conſilium Hlebouicius:

Polocia ciuitas à ſuis exuritur.

bouicius: absoluebat Douoynam curâ defendendæ ciuitatis: quòd enim inter agrestes, haud dubiè viginti minimùm millia habilium armis reperturum se speraret; cum ijs hostem se reiecturum promittebat. Vicit sententia Palatini, longè maiore obsidentium, quàm obsessorum commodo; postquam & agrestis turba omnis pulsa est, & flamma pluribus locis ciuitati subiecta. Iam hostis, vt necesse erat hyberno tempore contingere, consumptis, quæ ad rapiendum obuia agri habuerant, cœperat extremâ annonæ difficultate laborare: eam verò eximiè releuârunt agrestes à Douoyna pulsi, seu metu hostium, seu irâ in suos acti, indicatis, quæ, per subterraneos specus, granaria copiosissima occultauerant. Absumptâ quoque flammis ciuitate, facilior patuit ad arcem via, siue confertim connitentibus in vallum, siue tormentis in aduersa mœnia dirigendis. Tardè nimis cœpit damnare inconsultum suum Douoyna factum: tum nimirum, cùm summâ vi institutâ oppugnatione, pars hostium obstinatè in vallum eniteretur, pars turribus ac munimentis ignem subijceret, pars tormentis fistulisque explosis, vallum propugnatoribus nudaret. Multis pereundum fuit, cùm discurrunt incerti, ignemné extinguerent, an hostem repellerent. Desperatâ re, Palatinus cum Archiepiscopo, ex arce progressus, deditionem offerre cœpit. Mosci nihilo inde mitiores, ferociùs apertæ portæ signa conantur inferre: occupassentque procul dubio arcem, nisi Wierzchlinius, cum suis commilitonibus, atque nobilibus

A. 1564.

Polociæ arces à Moscis capiuntur.

A. 1564. Polocensibus, irrumpentes reiecissent. Exclusi arce, omissâque oppugnatione, pacatè cum Palatino de deditione transegerunt. Dedita est XV. Kal. Mart. conditionibus non omnino iniquis, quarum nullam Iuanus seruauit. Contra fidem datam, omnes Lituani nominis nobiles, ipseque Palatinus cum coniuge ac liberis, in vincula coniecti sunt, nulli reditu in Lituaniam permisso. Ciues fortunis omnibus exuti. Templa donarijs ac supellectili pretiosiore spoliata. Soli quatuor Poloni centuriones, habiti liberaliter, veste Persica ac pellibus Sebellinis ornati, in Poloniam sunt liberè dimissi. Arcibus validum præsidium, præsidio ac Prouinciæ Dux Szuiski est præfectus. Comparatis intereà validioribus copijs Radiuilus in hostilia castra successit, atque obsidionem arcium orsus est. Diuturna ea fuit, verùm irrita. Nam, hostis copiosè apparatu bellico, annonaque præsidium instruxerat: & Radiuilo ad vrgendam maiore vi expugnationem bellicæ machinæ subministrari non poterant, Vilnæ ac per omnem viciniam pestiferâ lue, grauissimè sæuiente.

A Lituanis irrito conatu obsidentur.

Rex belli Ducibus, Liuoniæ ac Albæ Russiæ curâ, commissâ; Varsauiam ex Lituania abijt, comitiorum causâ: in ijs titulum atque ius Hæredis Lituaniæ ac Russiæ, in gratiam Polonorũ exuit, quartam ex Regijs præfecturis prouentuum portionem, in stipendia ordinarij contra Scythas militis, donauit; vnde vulgare *Quartianorum* militum nomen, originem accepit. Perlato Varsauiam nuncio, amissæ Polociæ; & quàm lentè, nullâque

Quartianorum militum origo.

que ſpe boni ſucceſsûs, recuperationis cura promoue- A. 1564.
retur: Rex Georgium Bykowski, deinde Baſilium Mackiewicz, in Moſcouiam miſit, vt inducijs belli progreſſum ſiſterent. Ægrè Iuanus Dux conſenſit in breues inducias ad VIII. Id. Decemb. duraturas, nec aliter, quàm eâ lege, vt intereà maiores Legati Moſcuam mitterentur. Antequam Legati expedirentur, nonnihil turbatum eſt in confinijs vtrimque: cum inde Michaël Dux Wiſniewiecki, in Seueria, Nouogrodenſes agros peruaſtat; illinc Bogdanus Saburouius, Lukomlam exurit: nihilominus quòd induciarum ignorantiâ factum crederetur, cognitio iniuriæ ad maiorum Legatorum aduentum eſt dilata. Legatione functi ſunt Georgius Chodkiewicz, Georgius Wolowicz, & Michaël Haraburda. Introducti in Senatum, more veteri, præteritis ſilentio recentibus titulis, Iuanum Magnum Ducem ſalutârunt. Tum præfati ſe ad agendum de pace, mandatis plenis inſtructos veniſſe, paratoſque eam æquis conditionibus ſancire; ante omnia poſtulauerunt: vt Magni Moſcouiæ Ducis nomine planè explicaretur. Quam tandem cauſam Magnus Dux, bello tam cruento, tamque diuturno, non minoribus Moſcouiæ, quàm Lituaniæ cladibus, funeſto, prætenderet! Ignorato ſiquidem diſcordiarum fonte, irritam ac infructuoſam, omnem ſtabiliendæ pacis contentionem fore, ſatis iam ex tot Legationum euentibus conſtitiſſe. Inſolens viſa, Moſcis hæc poſtulatio: iuſſus tamen ei reſpondere ſupremus legationum Magiſter, populari vocabulo *Diacus*,

Induciæ breues inter Moſcouiam ac Lituaniã.

Legatorũ cũ Moſcis concertatio.

A. 1564. *cus*, hæc ſolùm repoſuit. Hactenus Auguſtum Regem tantæ legationis munus, ſolitum fuiſſe committere hominibus, neque ætate maturis, neque dignitate præcipuis. Non decuiſſe itaque, vt Magnus Dux ſecreta animi ſui illis panderet, atque ſinceram belli cauſam apertè indicaret. Nunc demum primùm inclinaſſe animum, vt eam per ſuos Proceres diſertè explicaret. Deuoluto itaque ad Proceres omni negotio, Moſcos ita locutos reperio. Ab annis ſedecim Staniſlaus Kiſzka, Georgius Komaiewski, & Hlebus Ieſman Regij Legati, cum quinquennalium induciarum tabulis Tzaris titulum adſcribere noluiſſent: ſpoponderunt effecturos ſe, vt neque Rex, neque eius Legati, deinceps eum honorem Magno Duci ſubtraherent. Id quia hactenus præſtitum non eſt: inde, aut vnica propè, aut præcipua bello cauſa, ſumebatur. Multo tempore, Poloniæ Principes regio titulo caruerunt; neque habet inter ſuos maiores Auguſtus, qui ante Iagelonem Rex ſit appellatus: nihilominus hanc ei prærogatiuam omnes deferunt, neque Magnus Dux vnquam negauit. Titulum Tzaris progenitores Magni Ducis, ſtatim ab inauguratione, vſurpârunt: quem tribuere illi ne Imperatores quidem Romanus ac Conſtantinopolitanus, aut Reges Angliæ, tergiuerſarentur. Cur igitur Auguſtus ſolus, eiuſque Legati, pertinaciter, denegarent? Cur etiam ipſi præſentes Legati, in ſolenni Magni Ducis ſalutatione, eum titulum ſilentio præteriuiſſent? An ignorarent, quoties Magnus Dux ſuorum Procerum precibus dediſſet, vt regios

Moſcorum expoſtulatio.

gios

gios Legatos admitteret; eam conditionem disertè adiecisse, ne venirent in conspectum si titulum Tzaris essent subtracturi? Accedit, quòd cùm repetita toties induciarum instauratione, semper fuerit cautum, de transfugis mutuò repetendis, nunquam id à regijs ex fide præstitum sit. Vt verò multa paucis concludantur; tum Rex ipse, tum eius Legati, non solùm hactenus nihil voluerunt admittere, quod ad ineundæ pacis rationes plurimùm conducere Magnus Dux iudicabat: verùm etiam nouis iniurijs, alias super alias, bello causas, ministrârunt. Argumento eius rei sunt: Liuonia nullo iure vsurpata; Scythæ Crimæi contra Moscouiam concitati; affinitas cum Magno Duce spreta; Arx Taurus in Liuonia capta, militesque Mosci ibi deprehensi rebellibus Liuonibus proditi; in epistola Gregorij Chodkiewicz nomen Magni Ducis indignè tractatum. Quamquam verò Senatus Lituaniæ pacem optare præseferret: plus tamen obstaculi, quàm adiumenti, ad eam contulit; quòd præter vsitatum hactenus morem, literas suas sacrorum Antistiti inscribendo, virum sacris officijs intentum, profanis negotijs implicare contenderit. Nullus itaque iam pacis perpetuæ modus vobis superest, nisi has eius conditiones admittatis. Titulus Tzaris Magnis Moscorum Ducibus, mox à solenni eorum inauguratione, à Rege ipso, Legatisque illius, ac subditis omnibus, daretur. Rzeczycia, Sklouia, Mohilouia, Rohaczouia, Kiiouia, & quidquid circa Borysthenem arcium agrorumque esset; quidquid Volyniæ vtriusque ac Po- A. 1564.

A. 1564. doliæ ambitu contineretur; quidquid inter Smolensciæ fines, & Berezynæ fontes, ac Poloniæ minoris terminos interciperetur; quidquid Russis Ducibus inter se digladiantibus, Lituaniæ Principes è Russiæ prouincijs occupâssent; vniuersa integrè, imperio Moscouiæ, iure perpetuo, adiungerentur. Ad hæc, pro Legatis Regijs, constantissimè Chodkieuicius. Regem Sigismundum Augustum consueuisse in Legatis suis æstimare, non annorum sed iudicij maturitatem: quam, cani non semper aut augerent, aut indicarent. Curâsse præterea semper, vt eam prouinciam demandaret, viris generis nobilitate claris, quæ par omnibus Equitibus, incrementa neque ab opibus, neque ab officijs, posset sumere. Ducem verò Magnum Iuanum hactenus, cum Regijs quidem Legatis iniuriosè egisse, iuuentutis prætextu, solitos, debitosque honores detrahendo: de pace autem omnino fraudulentè tractâsse; quòd per tot annos, Legatis belli causam sincerè non indicâsset. Quare, quòd tantâ operâ nihil sit de pace constitutum, tot impensæ in irritum abierint, tot cladibus Christiani populi sint afflicti: omnem culpam esse penes Magnum Ducem, consiliorumque eius administros. Hæc loquentem interpellans Moscus. Nequaquam, inquit, Magnus Dux argui potest, quòd cum Legatis minoris per Lituaniam notæ, de tanti momenti negotijs, agere sit dedignatus: sed neque tu Chodkieuici, quamquam nobilissimâ te ortum familiâ non ignorem, è numero Senatorum es. Chodkieuicius moderatè subridens, vt insulso homini

Legatorũ regiorum responsio.

contemptim

contemptim satisfaceret, breuiter respondit: se de numero eorum esse, qui præcipuis Magistratibus fungerentur, atque ratione muneris sui, Principis lateri familiores, subsellia Senatoria non ambirent. Deinde ad diluenda superiùs ab aduersarijs dicta redijt. Augusti Regis Diuos Maiores, non priuatâ cupiditate in Regios titulos inuolâsse: sed liberi populi suffragijs ad gubernandam eam Rempublicam electos; cuius Principem, Regem nominare, vetus ac concors omnium Principum mos esset, quod non ignorarent, Regiæ dignitatis ius à legitima potestate, Poloniæ collatum esse. At Iuano Tzaris titulos meritò negari: quòd eorum vsum conferre; neque esset ipsius Iuani sibi arrogantis; neque vnius, alteriusúe Principis assentantis; neque arbitrij Regij: indigere omnino eam rem concordi Principum omnium consensu. Pacis stabiliendæ causâ nihil omnino Augustum neglexisse, nihil eorum quæ induciarum legibus constituta fuerant violâsse: promptum se semper exhibuisse, ad postulata Magni Ducis; modò is æquum aliquid, aut saltem non immodicè iniquum, postulare voluisset. Liuoniam non Regijs artibus illectam, sed iniustis Moscorum armis oppressam, sub Augusti protectionem, ex communi concordique Ordinum suorum sententiâ confugisse. Affinitatem cum Regia sorore, non Regis contemptu, sed ipsius Iuani culpâ, non coaluisse: quod Ioannem Szymkowicz Mareschalcum, legatione suâ perfungi non permisisset, cui id negotium fuerat commissum. Taurum arcem in Liuonia expugnatam A.1564.

natam

A.1564. natam, eam belli ſortem ſubiuiſſe, quam priùs Felinum ab Iuani exercitu tuliſſet. Gregorium Chodkiewicz virum militarem, ferro non calamo inimicitias exercere ſolitum, nihil ſcripſiſſe vnquam probroſum Magno Duci. Michaëlem Haraburda in Scythiam à Rege miſſum iuiſſe, non turbarum ciendarum causâ, ſed vt ſtipendiario Regis militi, pecuniam antiquo more numeraret. Denique Senatores Lituanos, ideo Pontifici Moſcuano ſcripſiſſe: quòd nullam aliam magis ſacram curam eſſe exiſtimauerint, quàm quæ conciliandis inter ſe Chriſtianorum Principum animis, ſiſtendiſque innoxiorum populorum cladibus, impenditur. Quàm ſincerè Moſci, cum ſuo Duce, pacem hactenus optâſſent; planum ſatis modò feciſſe, ijs propoſitis conditionibus, quæ omnem pacis tractationem in limine præciderent. Poſtulare enim eos talia, quæ ipſi ſcirent certò, ſe obtinere non poſſe: repetendo à Lituanis totam Ruſſiam, cuius magna pars Polonæ ditionis eſſet. Relinquerent igitur has ambages: & ſi de pace ſincerè ſecum agere vellent, ea proponerent; quæ neque poſtulare immodicum eſſet, neque concedere impoſſibile. Reſtituerent ipſi potiùs Smolenſciam ac Polociam, dubium fraude magis, an vi, per certam tamen iniuriam, interceptas: de alijs verò arcibus olim Lituaniæ detractis, ſecum agerent. Vrgentibus deinde Moſcis, an haberent plenam ſtatuendi poteſtatem de Tzaris titulo, ac Liuonia? reſponderunt Regij. Pacis causâ Regem minimè curaturum, etiamſi tituli Magni Ducis gemino incremento amplia-

ampliarentur: Liuoniæ verò negotium non adeo in difficili positum, vt complanari nequeat, modò Mosci ad æquiora sese demittant. Denique eò re deductâ vt Mosci solam Liuoniam & titulos Tzaris postularent: Regij petierunt, vt prorogatis intereà inducijs, Regis sententiam priùs explorare permitterentur. Quin immò inducias ad quindecim vel pauciores annos offerebant: his legibus. Polocia vrbs, cum ijs quæ trans Dunam sita essent, in possessione Magni Ducis maneret; quidquid verò eius Prouinciæ cis Dunam agrorum oppidorumúe iaceret, à Rege, induciarum tempore, obtineretur: pari ratione de Liuonicarum arcium possessione partes inter se compararent. Iuanus permittebat quidem Legatis Regijs, vt vel ipsi ad Regem irent, vel literas scriberent, sententiam eius exquisituri; cæterùm nullo modo, aut in longiores inducias, aut in breue armorum, dum Rex interrogatur, silentium, consentire voluit; quòd tacitè collectas copias; non procul finibus Lituaniæ per hyberna dispositas haberet, inopinatò bellum orsuras. Propè ijsdem vestigijs, quibus Legati, desperatâ pace, domum redibant, exeunte iam anno, infesta signa sunt secuta: vrgentibus Iuanum fatis in eam cladem, quæ imminebat. Petrus Serebrny & Casanensis regulus, cum quinquaginta Moscorum, Scytharumque millibus, quidquid circa Borysthenem erat, ferro & igne populari iussus est; ac Szuyscius superato Duna reliquias Palatinatûs Polocensis, ac Vitepsciam vastare: tum collatis ad Iuanscum binis castris, vniuersam

A. 1564.

Mosci spernunt inducias, & Lituaniam inuadunt.

belli molem Vilnam conuertere.

A. 1565. Szuyſcius profligatur à Nicolao Radiuilo.

Iam Szuyſcius populabundo agmine Czaſnikos vſque progreſſus, fixis iſthîc caſtris Serebrnij aduentum præſtolabatur: cùm Nicolao Radiuilo nunciatum eſt hoſtem gemino exercitu per Lituaniæ confinia graſſari. Superioris anni exemplo cautior Radiuilus, neque promiſſis Moſcorum, neque hyberno tempori fidebat; atque ideò delectas quatuor millium copias in caſum retinuerat in caſtris. Aderant multi Procerum, aliqui honorariam cum ſuis militiam profeſſi, alij cohortium ſtipendiariarum ductores. Gregorius & Ioannes Chodkiewicz, Theodatus Solomerecki, Romanus Sanguſzko, Boguſſius Korecki, Georgius Zenowicz, Nicolaus Sapieha, Ioannes Wolminski, Georgius Tyſzkiewicz, Borkolabus Korſak, Baka. Nemo erat tribunorum præfectorumque, qui non ſuaderet decernendum prælio priùs cum Szuyſcio, quàm cum Serebrnio vires cõiungeret. Magnâ ſummorum infirmorumque, alacritate, itum eſt aduersùs hoſtem. Radiuilus ſuppeditandorum, quò res poſceret, in tempore auxiliorum ſibi curam; Gregorius Chodkiewicz ducendi in hoſtem exercitûs prouinciam ſumpſit. In Iuanſcenſibus campis, VII. Kal. Febr. horâ ante ſolis occaſum infeſtæ acies concurrerunt: accendebat prælium breue pugnandi tempus; metuentibus vtriſque, ne ante victoriam nox irrueret. Quò maioribus animis pugnatum eſt, eò citiùs victoria in vnam partem inclinauit. Moſci, amiſſo Duce copiarum Szuyski, & viginti quinque millibus militum, magnâ

gnâ clade profligati ſunt. Inter cæſorum cadauera, omnium oculos atque ſtuporem, in ſe vertit, enormi magnitudine Ioſephus Theodori Bykow, quatuor cubitos & mediũ procerus. Ducis Szuyski corpus conquiſitum, Vilnam eſt honorificè deportatum atque in Ruſſorum templo, B. Virgini Deiparæ dicato, tumulatum. Qui cædi ſuperfuerunt, pauci ſaucij Polociam ægrè euaſerunt, præcipui quique, ac ferè omnes capti. Ignarus eius cladis Serebrnius non procul Orſzâ conſederat, expectabatque tum à Szuyſcio nuncium, quo ſtatu res eius eſſent, tum ſpeculatores certi aliquid de Lituano exercitu allaturos. Præuenit eos nuncius Radiuili, ad Philonem Kmita, Orſzanum Præfectum miſſus, de profligato cæſoq; Szuyſcio. Philo vir inter paucos militarium artium peritus, accepto eo nuncio, experiri conſtituit, quid animi, ad inſperatum Collegæ caſum, Serebrnio eſſet futurum: vt ſi fortè infauſtus nuncius terrorem in caſtris concitaret, ipſe hoſtium perturbatione ad audendum, cum ſuis, vteretur. Literas Dubrownam properè ſcribit, depictaque Szuyſcianâ clade quàm exageratiſſimè, Præfecto præſidij ſignificat, victorem exercitum rectà Orſzam tendere, vt Serebrnium ſecurè agentem improuisò inuadat. Tabellario mandat, ne ſollicitè vitando excubias hoſtiles, eas prætergrediatur; aut neglectim in eas incurrendo, fraudis ſuſpicionem moueat. Ipſe ac Georgius Oſticus Palatinus Miſciſlauienſis tacito agmine Orſzâ profecti, ſyluas caſtris hoſtilibus vicinas opportunis locis cum expeditiſſimo equi-

A. 1565.

Serebrnius profligatur ſtratagemate à Philone Kmita.

A. 1566. tatu insident. Non defuit fortuna solerti consilio. Interceptus cum literis tabellarius, atque ad Serebrnium perductus, extra suspicionem. Lectis literis tanta repentè Ducem ac tribunos, vniuersumq; exercitum trepidatio peruasit; vt neque consilia neque imperia, aut ductores expedirent, aut reliqui expectarent: omnes tumultuario impetu desertis castris, quò quemque sua sors rapiebat, in fugam effunduntur. Philo, vbi ex insidijs, plena omnia apud hostem tumultu, passimque signa deseri, aduertit: ad augendam fidem literarum, perculsorumque metum, suos hâc atque illac in apertum prorumpere ita iubet, vt speciem præcursorum venientis exercitûs facerent. Hinc maior inter hostes consternatio, atque effusior fuga. Persuasis omnibus, victores toto robore superuenire; nemo sub signa coire, nemo in globos se colligere, vt insequentibus resistat; nemo respicere, quæ vires tergo instarent: cuncti existimare solam illis salutis spem reliquam esse, qui alios fugâ anteuertissent. Magna cædes, atque multò maior, quàm pro insequentium numero, in fugientibus edita est. Verùm Philo metuens ne aliquo casu suorum paucitas ab hoste deprehensa, fortunam animosque variaret, maturè ab insequendo reuocauit, atque per otium castra diripuit. Viginti quinque millia plaustrorum, variâ prædâ onustorum deprehendit: loricas ac diuersi generis arma, quæ sex millibus armandis abundè sufficerent. Non feliciore euentu rem initio gessit, Georgius Tolkmak ad arcem Ozierisce: quamquam deinde fortunam correxerit.

Georgius Tolkmak funditur à Sniepo-rodo.

Trede-

Tredecim millibus Moscorum eius oppugnationem acriter vrgebat. Monitus de periculo à præsidiarijs, Vitepscensis Gubernator Stanislaus Pac, copias ex nobilitate eius prouinciæ, ac ordinario leuis armaturæ equitatu festinè legit, adiunctisque paucis mercenarijs, duo circiter millia ad pugnam recenset. Ioanni Snieporodo, viro militiâ probatissimo negotium dat, vt eâ manu obsidionem soluat. Ioannes nihil cunctatus, instructâ acie, contra Tolkmakum duxit: neque is prælium declinauit. III. Id. Iul. concurritur: post cruentam pugnam Moscorum quinque millia in campo cæduntur, reliqui profligantur, castra cum omni apparatu occupantur Snieporodo Vitepsciam cum victore milite, reuerso, præsidiarij velut omni periculo defuncti, securiùs agendo, se & arcem perdiderunt. Nam Tolkmakus fugâ ex prælio elapsus, magnâ celeritate reliquias exercitûs refecit, atque improuisò securos aggressus, primo impetu in mænia euasit, præsidiumque excidit. Perijt inter alios nobilis centurio Ioannes Dzierzuzinski. In Seueria Philo Kmita, iunctis cum Comite de Gorka, Lesniouolscio, ac Secignieuio viribus, circa Crasnopolim latissimè omnia populatus Poczapouiam opulentam ciuitatem expugnauit, direptamque exussit: præda ingens victoribus cessit, quòd ad primum belli tumultum, Turcæ Moscuam cum pretiosis mercibus tendentes, eò se, ex itinere, paulò ante recepissent. Lituanis bello Moscouitico occupatis, Ericus Sueciæ Rex Liuoniam inuasit, atque Reualiam, & Album-lapidem, in pote-

A. 1565.

Seueria vastatur à Kmita & Polonis.

Sueci in Liuonia profligantur.

A. 1565. ſtatem redegit. Nicolaus Talwoſſius, qui militi Lituano per eam prouinciam legatus præerat, ſuos properè legit, atque contra Suecos liberè graſſantes duxit. Ad vicum Kiriempe eos adeptus, prælio fudit, quadringentos è præcipuis cepit, militaria ſigna plura ademit, reliquias fuſi exercitûs Reualiam vſque inſecutus eſt. Alter militaris legatus Lucas Bolco Dux Suierski, cum exigua valde manu feliciſſimè contra Moſcorum incurſiones, fines Liuoniæ tutatus, inſuper Carcum & Holmetum, arces nobiles, vi expugnatas hoſti extorſit.

Carcus & Holmetũ arces Moſco eripiũtur.

Per hos ſucceſſus imminutis haud dubiè non leuiter Moſcorum animis, maior pacis ſpes affulgere viſa: quare Senatores aliqui priuato nomine Moſcos Proceres, ad agendum de ea inuitare ſunt auſi. Dato à proceribus initio, Principes quoque per internuncios, Wolodimirum Zielinski Moſcum, & Theodorum Iuraham Lituanum, conuenerunt, vt per maiores Legatos eius negotium tractaretur. Georgius Chodkiewicz Caſtellanus Trocenſis, Georgius Tyſzkiewicz Palatinus Breſtianenſis, Michaël Haraburda Notarius Lituaniæ, additis decem è regiâ aula illuſtribus viris, mille circiter equitum manu comitati, Legatione ſplendidè ſatis, functi ſunt. At non meliore euentu, quàm ſuperiorum annorum Legati: Moſcis continuò eadem ingerentibus. Iam inclinauerant Regij animos, vt in perpetuam pacem ſequentibus legibus, etſi valdè iniquis conſentirent. In Ruſſia Smolenſco & Polocia, aut ſolâ Pólociâ reſtitutis, reliquæ prouinciæ ſub Caſimiro & Alexandro Regibus,

De pace cũ Moſcis agitur euẽtu irrito.

Regibus, à Lituaniâ auulsæ, Moſco cederent. In Liuonia verò, quæ in præſens, aut Rex, aut Moſcus, poſſideret, vterque perpetuò obtineret. Suecus collatis viribus è Liuonia eijceretur: vindicata Lituani ac Moſci inter ſe partirentur. Captiui nullâ numeri aut dignitatis habitâ ratione, vtrimque omnes reſtituerentur. Nihil tamen admiſerunt Moſci. De captiuis reſponderunt; numerato pro Douoyna lytro poſſe ſingulos cum ſingulis in capita, abſque diſcrimine commutari. Deſperatâ omninò pace, id ſolùm ægrè euicerunt Regij, vt viciſſim Iuanus Legatos ſuos ad Regem mitteret; ac per id tempus, vtrimque ab armis temperaretur. *A. 1565.*

Intereà Lituaniam ſuſpecta Regis valetudo, domuſque eius nullo hærede firma, maiore curâ perurgebat: nimirum, ne tot bellis implicata, à Polonis repentè deſtitueretur; ſi fortè ante perfectum cum illis fœdus, (vulgò vnionem) contingeret Regem vitâ decedere. Multa adhuc ſupererant, non leuiter controuerſa, quæ obſtabant ne eorum populorum ſocietas, duorum ſæculorum labor, conſummaretur. Lituani celebratis Breſtiæ magnâ ordinum frequentiâ comitijs, miſerunt legatos Lublinum, quo Polonis ad VIII. id Iul. comitia fuerant indicta. Legationis compendium fuit. Quamquam difficili ac periculoſo bello occupati eſſent Lituaniæ ordines; tamen auctore Rege Sigiſmundo Auguſto, non inuitos conueniſſe Breſtiam: vt diſpicerent, quâ tandem ratione perpetuam Lituaniæ cum Polonia vnionem perficere poſſent. Superioribus annis, ſatis iuſtam, *A. 1566. De vnione Lituaniæ cum Polonia perficienda agitur.*

A. 1566. ac propè necessariam rescindendorum fœderum causam habuisse: quando Poloni in Varsauiensi & Bielscensi conuentu postulata Lituaniæ reiecerunt. Nihilominus, quòd sincerè desiderarent, vt hæ duæ nationes in vnam Rempublicam coalescerent, tunc quidem perstitisse in amicitia, nunc verò dissimulatis præteritis, concordi omnium sensu has fœderi leges offerre. Lituani nunquam soli magnum Ducem sibi legerent: sed ad locum ab Interrege Archiepiscopo Gnesnensi, designatum venirent. Isthîc pari cum Polonis prærogatiuâ, singuli equites ius suffragij haberent: qui verò Rex Poloniæ crearetur, idem & Magnus Lituaniæ Dux esset. Peragendæ noui Regis electioni locus, circa confinia vtriusque gentis destinaretur. Hostes, & amici, vtrisque ijdem essent; & collatâ operâ fines Poloniæ ac Lituaniæ defenderentur. Comitia alternis vicibus in Polonia & Lituania peragerentur. Quoniam verò nihil ampliùs his legibus quæreretur, quàm vt Reipublicæ ac nationis Lituanæ dignitas retineretur; ante omnia sponderent Poloni neque curaturos se, neque permissuros, vt hæc æterni fœderis forma immutetur. Quid responsi Legati acceperint, non reperio. Nihil tamen fuisse constitutum, argumento sunt ea, quæ deinceps contigerunt. præsertim, quia Legatis prohibitum fuerat, ne quidquam decernerent, sed rem integram ad ordines in Brestianensi conuentu referrent. Ita scilicet volebant, eam vnionem perfici: vt nihil de Reipublicæ dignitate: Magistratuum, iudiciorumque formâ; nihil de legibus,

prærو-

prærogatiuis ac consuetudinibus; nihil denique, de finibus Magni Ducatûs Lituaniæ, decederet. A. 1566.

Moscorum Legati superiore anno promissi, diu nimis non venerunt: & quamquam inter ipsum Moscouiæ Ducem & Regios Oratores, nuper conuenerat; vt dum ea Legatio expeditur ac perficitur, pacata manerent omnia: nihilo tamen minùs quieuerunt Mosci. Circa Vsuiatam, & in confluente Dunæ Vlæque excitatis munitionibus vicinos vexabant: Voroneciam arcem expugnare attentârunt, licet irrito euentu. Querenti de iniurijs Basilio Zaborowski Regis nomine; respondit Iuanus. Vsuiatam & Vlam suæ ditionis esse, in qua pro arbitrio erigere castella, inducijs minimè prohiberetur. Voroneciam constructam à Regijs esse, fœderis tempore, atque eâ causâ à suis aliquantùm infestatam. Cùm nihil æqui per literas ac nuncios obtineri posset, Rex finitimarum arcium Præfectos monuit, vt vicissim Moscorum agros incursationibus infestent. Ante alios Bierula Stanislai Pac domesticus tribunus, cum leui Vitepscensium equitatu, frequente prædatione viciniam Moscorum afflixit. Tum primùm Iuanus & Legationis & induciarum memoriam resumpsit. Per celerrimum nuncium solicitè excusare, quòd aliquamdiu legati tardârint: spondere propediem eos affore: rogare, ne ex ea morâ, bellicis motibus noua ansa sumatur. Venêre non multò post Legati Grodnam. Rex Primorum officia ita partitus est: vt alij essent, qui eos acciperent, deducerent, haberentúe regiâ magnificentia; alij qui de De pace tractant irrito euẽtu.

A. 1566. Republica cum eis agerent. Prior Prouincia obtigit, Nicolao Kiſzka Pincernæ, Nicolao Dorohoſtaiski Dapifero, Ioanni Wolowicz & Ioanni Wilczek Mareſchalcis, Ioanni Tryzna, Skumino Toczynski, & Nicolao Konsza aulæ regiæ familiaribus; tractandi verò de pace induſtria delata, viris grauiſſimis, Nicolao Radiuilo Palatino Vilnenſi, Georgio Chodkiewicz Caſtellano Trocenſi, Georgio Tyſzkiewicz Palatino Breſtianenſi, Euſtachio Wolowicz & Ioanni Szymkowicz Mareſchalcis, Nicolao Naruſzewicz Ærarij præfecto, Michaëli Haraburda Notario Lituaniæ. Poſtquam, ad ſummam negotij, colloquium Procerum cum Moſcis peruenit: vrſerunt pertinaciſſimè Moſci, vt quæ hactenus Magnus Dux armis occupâſſet, ea perpetuò Moſci iuris eſſent. Rex à Liuonia penitùs abſtineret: Vlâ, Sokolâ, Ozieryſcijs, Vſuiatâ cederet: Ducem Andream Kurpski cum vniuerſis fugæ comitibus dederet. Paulò ante hic, peroſus crudelitatem Iuani, in Lituaniam ſe cum domeſticis tranſtulerat. Furebat planè ob id factum Iuanus: nam & famulum eius caſu interceptum, crudeliſſimè necauit; & vnum Primorum, qui trucidati cadauer tumulari curârat, tamdiu atrocibus tormentis excruciauit, donec ſub torquentium manu exſpiraret. Neque tamen ijs cædibus, velut impare victimâ, furibundus homo placari voluit; ſed ad exſatiandam ſæuitiam ipſum Andream expetebat. Tam indigna, non conceſſu modò, verùm & auditu, poſtulantes, cùm nihil de veſana pertinacia remitterent, non diuturnam delibera-

tionem

tionem Regi ac Senatui fecerunt. Quid enim promptiùs esset, quàm verbo negare omnia; cùm nihil in postulando proponeretur, quod concedi posset? Vt verò ipsi, ex sua sententia, quàm absurda postularent, aduerterent: ostendit Rex spem dedendi Andreæ, hâc lege. Si Iuanus vicissim Duces Linguienieuios, Glinscios, Bielscios, Trubecios odoieuios, Massalscios, cæterosque cum eorum familijs ac patrimonijs Regi sisteret. Ita infectis rebus dimissi legati, atque breuibus inducijs bellum successit, cui initium ante finem induciarum Mosci iam dederant. Quo tempore per Legatos Grodnæ de pace agebatur, miles ex Seueria missus, repentina irruptione grauiter Ostrogij Ducum possessiones deuastauit. Quare Stanislaus Pac liberiùs infestationes Moscouiæ prosecutus est. Sitnum initio Decembris vi cepit, trecentos præsidiarios excidit, tormenta maiora aliquot, leuiora centum viginti, cum ingenti pulueris tormentarij ac globorum copia abduxit. Inde Vielizium institutâ circa Id. Dec. excursione, prætoriam Ducis Moscouiæ legionem, maiore parte, ex nobilibus aulæ illius lectam profligauit.

A. 1566.

Bellum cũ Moscis resumitur.

Eodem anno Lutheranorum secta, inter Sacerdotes per Liuoniam non audens hactenus publico se credere, sub Augusti Regis patrocinio in apertam erupit impudentiam. Pontificalis ad Rigensem Basilicam Collegij, sacerdotes, omni iure proculcato, partitique inter se, eius Collegij amplas possessiones, ad sacrilegas nuptias conuolârunt. Vt scelus impunè abiret, literas Regias

Cathedrale Collegiũ Rigense Catholicam religionem deserit.

A. 1566. gias, VI. Kal. Decemb. datas obtinuerunt, quibus Rex suam auctoritatem, ad eorum acta defendenda obstrinxit. Quamquam illi diuinis legibus protritis, humanas pœnas non vsque adeò metuebant. Agrorum, prædiorumque possessio incerta, solicitos eos magis reddebat. Verebantur ne collegæ, Kunheimius & Strubitzius, à sacræ prædæ communione exclusi, litem mouerent, exuerentque bonis priuatâ cupiditate occupatis. Eiusmodi defectiones ab auitis sacris, nimiùm dissimulabat Augustus Rex, etiam per Lituaniam: vnde, non immeritò, suspicionibus sermonibusque populi vapulauit; veluti obnoxius sectæ Lutheranæ. Auxit opinionem populi, quòd destinatum ante aliquot annos facinus, hoc anno exequi institisset: Catharinâ Austriacâ apertè repudiatâ. Reuocabat enim suo facto Romani Pontificis auctoritatem, qui priùs quàm celebraret Augustus cum Catharina connubium, soluerat eum religione legum vetantium, ne mortuæ coniugis thalamo germana superinducatur. Prætendebat Rex, diuinitus immissis terroribus, se ita ob incæstas nuptias exagitari, vt morte ipsâ grauiùs duceret Catharinæ conuiuere. Diluit abundè hæc, & his paria, Legatus Cæsareus Antistes Quinqueecclesiensis: sed, & vulgò, vt certa res, spargebatur, præstigias eas fuisse ex adulterinis amoribus profectas. Nihil tamen de obstinatione remisit Augustus. Catharina ad Maximilianum Cæsarem remissa, non superuixit tantæ contumeliæ, animi magis quàm coporis ægritudine, in itinere consumpta.

Augustus Rex coniugem repudiat.

Bellum

Bellum contra Moſcos à Ducibus, legatiſque militaribus ſatis proſperè gerebatur. Staniſlaus Pac agros Velizienſes Vſuiatenſes, Bialenſes populatus vaſtè, oppidiſque exuſtis, cum Petro Holouino feliciliter conflixit. Miſſus hic ab Iuano cum prætorio ſelectæ nobilitatis equitatu ad ſiſtendas Pacij vaſtationes, amiſſo in prælio exercitu, ipſeque cum præcipuis captus, non modicè auxit eius victorias. Acta hæc per Ianuarium: ad initium autem veris, Campeſtris Dux Romanus Sanguſzko, cum expeditiſſima mille nongentorū manu, maturè caſtris ad Czaſnikos oppidum locum cepit, vt inde in hoſtiles motus intenderet. Nemo enim ambiebat futurum, vt Iuanus ſuperiores clades vindicaturus, primo vere Lituaniam inuadat. Nec vana opinio fuit. Edixerat enim Iuanus, vt ductores legionum, tempeſtiuè cum milite non procul Orſzâ conuenirent. Præceſſit alios, delendæ quam acceperat nuper, ignominiæ cupiditate, ferocior Serebrnius, cum Moſcis copijs, & Amurathe Scytharum ductore: octo millium exercitum habebat. Romanus accepto ab exploratoribus nuncio, ingenti ſilentio Czaſnicis mouit, acceleratoque per noctem itinere, ita induſtriè excubiarum centuriam ante lucem intercepit deleuitque, vt nuncium in caſtra elabi non permiſerit. Cum aurorâ, edito repentè tumultu, qualis ſpeciem faceret maioris exercitûs, caſtra ipſa adoritur: repagula arborum curruumque refringit, ſemiermes inuadit, cædit. Pauci euasêre cum Serebrnio ſaucio: reliqui aut potiore parte cæſi cum Amurathe,

A. 1567. Moſci profligantur Petrus Holouinus à Staniſlao Pac.

Serebrnius à Romano Sanguſzko.

A. 1567. aut capti cum Duce Palicki. Ex victoribus duodecim dumtaxat desiderati; duplò plures saucij: quorum desiderium abundè explerunt captiui magno numero in libertatem asserti. Romanus alacritatem militum per eum successum erectorum, fortunæque fauorem, ad prosequendam victoriam vertit. Nunciabant exploratores Iosephum Szczerbaty cum collega Georgio Boratynski, sex millia Moscorum tria Scytharum ductore Segite, Vlâ Suszam mouisse: neque consultum videbatur, si illis & pauci, & equites soli apertè occurrerent. Vitatâ itaque viâ, quæ rectâ ducebat, suos Romanus cautissimè per nemora circumduxit, atque extra omnem apud hostes suspicionem vicinas castris syluas insedit. Obseruato tempore, cùm maximè securi negligentiùs in castris agunt, simul repentinum clamorem excitat, simul cursu in castra fertur. Improuiso discrimine turbati Mosci, quia nullo ordine occurrerunt, magno impetu incurrentibus, post breue prælium fusi sunt. Fit primò cædes lentè conglobatimque cedentium, maior deinde, effusorum in fugam. Præter plurimos nobiles, octuaginta illustres viri, atque in ijs belli Duces, viui in potestatem venerunt. Tam celebris victoria, trium dumtaxat morte, triginta sauciorum vulneribus, Romano constitit. Rex Augustus ex tot successibus, nihilo ad bellum pronior, pacis iungendæ rationes pertentat. Per Ioannem Bykowski Iuano Duci scribit: se coactum Moscorum iniurijs grauibus, ac præsertim quòd nuper durante armorum ex condicto quiete, O-

Et Szczerbatij, ac Boratynski.

Moscus ad agendum de pace inuitatus, legatum regium violat.

strogiorum

ſtrogiorum poſſeſſionibus euaſtatis libera Chriſtianorum capita, pro pauculis nummis ſeruituti Mahumetanæ addixiſſent, in campum prodiuiſſe: nihilominus paratum omnino eſſe, pace perpetuâ quamprimum cruentum bellum ſiſtere, modò non iniquæ pacis conditiones ab Iuano proponerentur. Iuanus infelicium in Ruſſia expeditionum pertæſus, bellum in Liuoniam tranſtulerat. Ad caſtra itaque regius nuncius euocatus eſt: & mox expoſitis mandatis regijs Moſcuam relegatus, rebus omnibus exutus, atque in carcerem cum vniuerſis comitibus coniectus. Grauiter eius rei nuncius perculit Auguſtum Regem. Totis ſimul viribus ſacrilegum iuris vniuerſi violatorem aggreſſurus, ſtipendijs militem conſcribi, ac delectus quàm maximos inſtitui, iubet. Sed paratum magis, quàm geſtum, hoc anno bellum eſt: Rege comitijs Grodnenſibus implicato, quæ ad conficiendum conſummandumque Liuonicum fœdus Ordinibus indixerat. *A. 1567.*

Sextus iam annus poſt initum ſecundò in Lituanos ac Liuones fœdus, excurrebat; Polonis Liuoniæ diſcrimen, extra aleam ſpectantibus. Quare Auguſtus Rex, poſteaquam nihil omnino apud Polonos ſuâ auctoritate effecit, vt Liuoniam Regno adiungerent, ex forma præteriti fœderis, cogebatur eam Prouinciam Magno Lituaniæ Ducatui inſerere. Peractum eſt id negotium Grodnæ, firmatumque tum legibus comitiorum auctoritate latis, tum tabulis exeunte Decembri conſcriptis, adiectiſque nominibus, Regis, Senatorum ſex ſupra

Liuonia cũ Lituania vltimũ fœdus ſub Auguſto.

A.1567. pra triginta, ſeptem Mareſchalcorum, quatuor notariorum ſupremorum. Conditionum potiſſimæ fuerunt hæ. Liuonia omnis, Magno Lituaniæ Ducatui inſita, deinceps illi Principi tantùm ſubeſſet, qui Magnus Lituaniæ Dux ritè ac ſecundùm leges eſſet inauguratus. Pars eius, cis Dunam ſita, Duci Curlandiæ, iuxta prioris fœderis formam, relinqueretur: quidquid verò trans Dunam Liuoniæ Ducatûs nomine cenſeretur, in Rigenſe, Treidanum, Vendenſe, ac Dinemburgenſe territoria diuiſum, ad normam cæterarum Prouinciarum, Lituaniæ accederet. In ſingulis territorijs, Senator Liuo, cũ duobus iudicij collegis, ac notario, viris nobilitate generis conſpicuis, ius genti diceret. Acta publica progreſſus litium, ſententiæ iudicum, Teutonico ſermone connotarentur. Prouocationes ab ordinarijs iudicibus, intra Liuoniam à ſupremo Adminiſtratore, ac quatuor Senatoribus terminarentur: ſententia tribunalis, Liuoniæ ſigillo proprio, muniretur. Senatores in Senatum Lituaniæ cooptati, locum ac ſuffragij ordinem, certum, neque poſtremum, haberent. Adminiſtrandæ Liuoniæ dignitas ſolis Liuonibus, aut ſi id commodè fieri non poſſet, Lituanis peritis linguæ Germanicæ, demandaretur. Stemma nouo Liuoniæ Ducatui Rex pro arbitrio deſignaret. Nobilitas Liuonica paribus cum Lituana prærogatiuis Equeſtribus gauderet, comitijſque intereſſet. Legatis territoriorum in publicis conuentibus locus honeſtus tribueretur. Pecuniæ cudendæ forma eadem in Liuonia, quæ in Lituania eſſet. Si fortè Lituaniam,

niam, Poloniæ nouis fœderibus arctiùs iungi contingeret, Liuonia nomine Lituaniæ comprehenderetur. Augustanæ Confessionis religio inuiolata conseruaretur. Gymnasium ad formandam honestis artibus iuuentutem, regijs impensis excitaretur: Collegia Virginum antiquitùs erecta, addicerētur iuniorum puellarum honestæ educationi, ac matronarum natu grandium, quarum viri exularent, alimentis. Donationes regiæ, priuilegia, dignitatum collationes, in Regia ab eiusmodi rerum administris, sigillo Magni Ducatûs Lituaniæ munirentur. Hæc vniuersa Augustus Rex rata æternùm esse voluit; publicisque tabulis, ita fore, pro se ac successoribus sanctè spopondit: Ducatum Vltra-Dunensis Liuoniæ instituit, eique solemne signum esse iussit; Gryphem album in rubra area in pedes erectum, dextro anteriore gladium vibrantem, pectore complexum primas Regij nominis literas S. & A, sibi implexas, ac diademate regio coronatas. Eo nimirum monumento conseruari ad posteros optabat memoriam sui, inprimis, tum Ioannis Hieronymi Chodkiewicz Comitis in Szklow & Mysz, Supremi Samogitiæ Præfecti, Mareschalci Lituaniæ, Administratoris Liuoniæ. Hic enim maximè suâ industriâ in tales fœderis leges, Liuones permouit: atque insigne domûs à Romano Cæsare parenti suo Heronymo, cum Sacri Imperij Comitis titulo, collatum, Gryphem habebat. Quæ ad firmandum fœdus opportuna videbantur, ijs ritè peractis: vetusta Liuoniæ monumenta, quibus prærogatiuæ ac iura ab Imperatoribus.

A. 1567.

Stemma Ducatûs Liuoniæ.

A.1567. ribus Romanis Ordini Liuonico concessa continebantur, consentiente Maximiliano Cæsare Regi præsentata sunt, atque Magno Ducatui Lituaniæ consignata, in eiusdem sanctiore tabulario per Cancellarium deponenda. Deinceps itaque, ad Stephani vsque regnum, Liuoniam veluti sui corporis portionem sola Lituania proprijs impensis ac viribus, nihil Poloniâ conferre volente, contra Moscos ac Suecos est tutata.

A.1568. *Bellũ contra Moscos apparatũ vano exitu.* Confectis Liuoniæ negotijs, successit cura Moscouitici belli, magno molimine superiore anno apparari cœpti. Radoszkouicios edicto regio vniuersæ copiæ euocatæ, conuenerunt in tempore, inde totis viribus in Moscouiam ituræ. Centum millia bellatorum censebantur. Famâ eius apparatus permotus Dux Moscouiæ, Ioannem Bykowski regium nuncium nuper violatum, ac detentum, honorificè colere cœpit, ac properè in Lituaniam remisit, inuitando Regem vt amicè secum congredi vellet: aiebatque facillimam rem fore, vt ipsi Principes vltimam manum imponerent ei negotio, in quo tot annis laboratum esset vano euentu per Ministros. Rex in literis vehementiùs respondit, exprobrando iura gentium, etiam barbaris populis sacra, ab ipso violata in nuncio: quem etsi tandem liberum dimisisset, res tamen ei, comitibusque eius, vi abstractas, restitui non iussisset. Vbi agendi tempus deinde venit, cum tanto milite nihil egit, ob inertem procrastinationem. Consumptis per otium in campo duobus mensibus, expilatis extremè circumquaque agrestibus, Nobilitate Lituanâ,

A. 1568.

t uanâ, ac Polonicis auxilijs domum remiſſis, non immeritò ſcommate notatus eſt, vulgò ea expeditione gallinaceâ vocata. Rege nullo victoriæ fructu, magno gloriæ impenſarumque damno, Grodnam reuerſo, Ioannes Chodkiewicz cum mercenarijs, ac honorarijs Lituanorum copijs Vlam ex caſtris mouit. Oppugnata eſt arx, nullo alio operæ pretio; præter fortitudinis commendationem: non pauci enim animoſiùs quàm prudentiùs agentes fortiter occubuerunt, cum Ioãne Kurnicki pedeſtri centurione. Quamquam verò nihil ſit à Chodkieuicio omiſſum, quod capiendo vi loco ſeruiret: ſubmiſſis tamen Pociâ per Dunam recentibus auxilijs omnis conatus in irritum ibat. Cùm obſidio ſpe diutiùs extrahitur, Chodkieuicio ad alia Reipublicæ negotia euocato, cura oppugnationis ad Romanum Ducem Sanguſzko tranſlata eſt. Romanus, dato mandato equeſtribus turmis, vt hoſtilem agrum latè popularentur, ipſe negligentiùs cum paucis obſidionem vrgere orſus eſt: eo conſilio, vt ſuâ remiſſione hoſti præberet occaſionem ſecuriùs agendi, eamque improuisò in caput eius verteret. Philon Kmita vaſtando Smolenſcum progreſſus, Moſcos qui ex arce eruperant, cecidit, atque acciſis eâ clade præſidij viribus, liberiùs Viazmam vſque vaſtitatem vulgauit. Georgius Zenowicz cum filio Chriſtophoro, circa Leplos igne ac ferro graſſatus, aliquot hoſtium millia, quæ populationem ſiſtere conabantur, prælio vicit, ac deleuit. Romano ad Vlam, remiſſiùs, vti credebatur, agente, iterùm recens miles Po-

Vla à Romano Sãguſzko capitur Ditiones Moſcorum vaſtãtur.

A.1568. lociâ Vlæ immiſſus eſt: præſidiarij vſu ad ſecuritatem aſſuefacti, die cum nouis commilitonibus hilariùs peracto, per noctem liberiùs ſe ſomno permiſerunt. Romanus, id quod erat, quodque futurum ſperabat, ſuſpicatus, iam ante præparatis in eum caſum ſcaphis, impoſitiſque promptioribus è leuiore equitatu, iubet quàm maximo ſilentio ſub ipſa ſe mænia à tergo arcis applicare, ductoribus Birula, Minko, Oskierka. Ipſe viâ Turowlenſi inſtructâ acie cum cēturionibus Runczkowski & Tarnawski peditatum ſcalis inſtructum, Polocenſi portæ opponit. Equites per tenebras ſub mænia ſcaphis tacitè delati, ipſâ loci propinquitate ab ictu tormentorum ſecuri, pars ignem ligneis munitionibus ſubijciunt, pars ſecuribus portas effringunt. Excitati à ſomno excubitores, cuncta tumultu complent: concurrentibus hinc inde Moſcis, neque valentibus periculum, tam prope admotum, tormentorum vi reprimere; pugna ad manum & gladios deducitur. Acriter vtrimque dimicabatur: ſed Moſcos maior numerus, & extremi periculi metus, audaciores ex deſperatione, faciebat. Conſpicatus id equeſtris turmæ præfectus Nicolaus Solohubus, eques cum ſuis in fluuium ſe conijcit, nandoque eum tranſgreſſus, prælium reſtaurat. Iuſſu Ducis, ſequuntur Nicolai exemplum, alij equitum ductores, Woyna, Tyſzkiewicz, Lukomski, ceteriq́ue. Aucto oppugnatorum numero, vno ſimul omnium niſu, fit in Moſcos veſtigio immorientes impetus. Non diu ſuſtinetur: confertus pugnantium globus perumpitur: cæ-

duntur resistentes pertinaciùs: arx vi occupatur. Capti sunt in ea octingenti sclopetarij, nobiles trecenti, duo Palatini de Velaminorum domo. Duces Moscouiticæ militiæ Seremetes, Basilius Buturlinus, & Gregorius Sobor, valido Moscorum exercitu & sex millibus Nahaiensium Scytharum succincti, non sunt ausi aperto campo cum Romano congredi: verùm vt eum ab Vlensi obsidione auellerent, Vitepsciam V. Kal. Oct. cinxerunt. Per desertam ab incolis ciuitatem excitatis ad terrorem ignibus oppugnationem arcis semel iterumque tentârunt: à Stanislao Pac Palatino fortunatè reiecti. Adfertur intereà nuncius, Romanum Vlâ potitum esse, atque Vitepscium mox adfore: ad eam famam Mosci, tertiâ ab aduentu nocte, oppugnationem trepidè deseruerunt. Expeditus eques, iussus abeuntes insequi, ac morari, nihil maioris operæ præstitit: nisi quòd cohortes tardiùs procedentes, inter impeditiores vias aliquantùm vexârit, carpseritque. Par fortuna eius anni, etiam in Liuonia Moscis fuit. Nam Alexander Polubinski Izborgum ciuitatem, atque arcem expugnauit, virumque amicitiâ Magni Ducis Iuani insignem, Athanasium Naszczekinum, loci eius Præfectum, cepit. Eius rei nuncio in furorem versus Iuanus, Moscuæ, incredibili crudelitate, in captiuos Lituanos, ac præsertim nobiles, deseuijt. Argumenta horrendæ sæuitiæ piget ad posteros transmittere, quòd ea Guagninus in sua Sarmatia abundè depinxerit.

A. 1568.

Vitepscensem obsidionem Mosci trepidè deserunt.

Izborgum Moscis eripit Polubinski.

Remittente amentiâ cum tempore, celerrimo nun-

A.1568. cio, Naſzczekinum à Rege Iuanus repetijt, quòd acce-
Comitia Grodnæ celebrata. ptum eſſe dicebat durantibus inducijs. Ita illi lubebat induciarum tempus prætendere, quoties in promptu militem non haberet. Iterauit poſtulatum rurſus, per Petrum Kazimierski, eâ ſolâ causâ à Moſco libertate donatum. Rex, quòd in curam ordinandæ Lituaniæ intentus, quiete egeret, ad comitia Groduæ, ex voto peragenda; nuncium Iuani, accepit beneuolè & ſuo viciſſim Moſcuam miſſo, oblatum ab armis otium captauit. Eius operâ, Bykouio, ablatæ nuper res, ex fide ſunt reſtitutæ: Douoyna Palatinus Polociæ captus, pro Suyſcij cadauere promiſſus; ac viciſſim Naſzczekinus cum captiuis Izburgo abductis, pro illis, quos ibidem Iuanus expugnatâ arce ceperat. Curâ belli Moſcouitici ſolutus Rex, ſed animo imminentia fata præſentiente, intentiùs per comitia incubuit in Lituaniæ negotia. Pecuniam ad belli ſumptus neceſſariam ex Ordinum conſenſu indixit. Liuonicum fœdus ſtabiliuit, ac lege latâ locum tum Senatoribus, tum alijs Liuoniæ Magiſtratibus, inter Lituanos deſignauit. Tandem ſuperatis ingentibus impedimentis, peruicit apud Ordines: vt Comitiorum auctoritate eiuſmodi legerentur, ad Polonos Legati, quibus plena ac ſine exceptione, poteſtas committeretur, perpetuæ Lituanorum cum Polonis amicitiæ ac Societatis, vulgò *Vnionis*, ſtatuendæ ac perficiendæ, controuerſijs quibuſuis vtrimque planè ſopitis, obliteratiſque.

A.1569. Celeberrimus itaque ſequens annus fuit Lublinenſibus

bus comitijs: quæ consummandi inter Polonos ac Lituanos fœderis spe certâ, vniuersam Europam erexerant ad expectationem. Plurimi Principum exterorum Legati, Summi Pontificis, Cæsaris Romani, Regis Sueciæ, Turcarum, Scytharumque, & Magni Moscouiæ Ducis, aliorumque, Lublinum confluxerunt. Alterius Reipublicæ in Lituania, quàm quæ nunc est, vestigia aliqua facilè posteri legent, ex eorum officijs, quorum humeris tantæ molis Prouincia concredita est. Ex Pontificibus lecti sunt, Valerianus Vilnensis, & Nicolaus Pac Kiiouiensis. Senatorius Ordo non sacer, in geminam subselliorum classem diuidebatur: ex prima fuerunt destinati Nicolaus Radiuilus Dux in Olyka Palatinus Vilnensis, Mareschalcus, & Cancellarius Lituaniæ, Stephanus Korybut Dux in Zbaraz Palatinus Vitepscensis; ex altera Nicolaus Kiszka Pincerna Lituaniæ, Præfectus Drogiciensis. Ex ordine Ducum, & Baronum, Nicolaus Radiuilus Palatinides, Hieronymus Chodkiewicz. Castellanides Vilnensis, Iuanus Dux in Czartorysk, Iaroslaus Sanguszko Dux in Nieswiecz. Ex Mareschalcorum Ordine, Petrus Zaorski, & Michaël Lozinski. Ex patritijs, Melchior Szemet, Melchior Snowski, & Ladislaus Dux in Zbaraz. Ex Vexilliferorum Ordine Paulus Ostrowicki Osmianensis, & Nicolaus Ianowicz, Vpitensis, Signiferi. Ab vniuerso Equestri Ordine, quælibet Prouincia, sequentes sibi substituit. Samogitia Nicolaum Wolodkowicz, Volynia Ielonem Malinski, Kiiouia Theodorum Soltan, Smolenscia

A. 1569. Comitia Lublinēsia de Vnione inter Poloniam, ac Lituaniā.

A.1569. lenſcia Baſilium Kopec, Polocia Andream Ducem Lukomski, Nouogrodecia Petrum Horoſzewicz, Vitepſcia Iuanum Soroka, Miſciſlauia Simonem Kamienski, Podlachia Chriſtophorum Olecki Præfectum Branſcenſem, & Adamum Kocinski Notarium Drogicinenſem. Ciuitatum vices ſuppleuerunt conſules Vilnenſes Lucas Opachowski, & Zeno Zarzecki. Auxit celebritatem comitiorum aduentus Romani Sanguſzko, qui ex bello Moſcouitico reuerſus, ſplendido apparatu illuſtriores captiuos, & machinas bellicas hoſti victo ereptas, Regi exhibuit. Negotij ipſius caput, diu nimis ingenia laboremque, tum Regis, tum aliorum, in publico congreſſu exercuit. Vix ſuperabile opus pleriſque videbatur, duas nationes concordiâ perenni iungere: quarum vna ingenti contentione tres ampliſſimas prouincias Kiiouiam, Voliniam, Podlachiam, repetebat; altera, non minore ſtudio obſtabat, ne earum poſſeſſione detruderetur. Rex omni ope pro Polonis annitebatur, etiam minis in Lituanos intentatis, ſi pergerent obnunciare. Præcipui Procerum, cùm reclamando nihil proficerent, ne legem cui liberâ voce, ac conſtante animo, aduerſabantur, præſentiâ comprobare viderentur, Lublino inſalutato Rege abiuerunt. Rex intereà ſuo edicto nominatas Prouincias regno Poloniæ addixit. Subſcripſerunt regiæ ſententiæ è proceribus Lituaniæ, Conſtantinus Dux de Oſtrog Palatinus Kiiouiæ, & Alexander Dux Czartoryski Palatinus Voliniæ. Liuones quoque inſtaurârunt iuramentum, quo fidem

Vnio Polonorũ cum Lituanis concluditur.

fidem ſuam Sigiſmundo Auguſto, tanquam Poloniæ Regi obſtrinxerunt. His perfectis, facilè in alias fœderis leges conuentum eſt, ac præcipuè vt vtriuſque gentis comitijs Rex Poloniæ eligeretur, neque vnquam alius à Rege, Magnus Dux Lituaniæ crearetur. Verùm iam amplitudinem eius tituli ægrè implebat imperium Lituaniæ; inde per hoſtem Seueria, Nouogardia, Pleſcouia, Smolenſcia, Polocia ereptis; inde per ſocios, Kiiouia, Volinia, Podlachia, auerſis: longè vtique ſe ipſo minus; præſertim poſteaquam illuſtres familiæ, à Lituaniæ ac Ruſſiæ Principibus genus ducentes, cum poſſeſſionibus auitis, ad regnum tranſierunt. Sentire cœperat imminutæ viribus patriæ damnum Auguſtus: ſed eum ſenſum obtundi facilè permiſit ſponſione Mazouiæ, ad Lituaniam adiungendæ. Cæterùm illud ſolùm Lituanis ſolatio fuit, quod Kiiouiâ ac Voliniâ ad Polonos tranſlatis, viderent belli Scythici, continua prope incommoda, ad Regni curas ac impenſas, tranſiîſſe. Quare cùm multò deinde poſt tempore, ad propulſandas Scytharum irruptiones, auxilia Lituanorum in comitijs poſtularentur, à principe Senatûs Lituani reſponſum eſſe traditur. Lituanos nequaquam eiuſmodi auxilia poſtulaturos, ſi Poloni ſemel ſe curâ Scythici belli liberare vellent, Volyniâ & Kiiouiâ reſtitutis. In publicis tabulis, vetuſto iure, Poloniæ proprias fuiſſe iſtas Prouincias non ambiguè Rex fatetur; Lituani tamen contendunt ab irritato Rege id conſultò adiectum. Ego, vt iudicem non ago, ita de ſubſecuta concordia gaudeo. A.1569.

A. 1569. Leges Lituaniæ instaurantur.

In ijſdem comitijs actum eſt de corrigendis Lituaniæ legibus. Verùm hæc cura longior futura erat: itaque extra comitiorum tempus perficienda, paucorum induſtriæ demandari debuit. Lecti ſunt ad id negotium, ex comitiorum ſententiâ, Valerianus Pontifex Vilnenſis, Melchior Szemet Caſtellanus Samogitiæ, Nicolaus Dorohoſtaiski Supremus Lituaniæ Dapifer, Lucas Swirski Mareſchalcus Samogitiæ, Benedictus Iuraha Mareſchalcus regius, Paulus Sokolinski, *Succamerarius* Vitepſcenſis, Kierdeius Kryczewski Iudex Breſtianenſis, Andreas Maſzkowicz Notarius Terræ Vilnenſis, & Auguſtinus Rotundus Prætor Vrbis Vilnæ, vir iuris diuini humaniqúe conſultiſſimus.

Primi ex Polonis in Moſcouiã legati.

Conſtitutâ pace domi, de ſiſtendo foris bello cura manſit: decreta proinde eſt Legatio ad Moſcouiæ Magnum Ducem. Quia verò tranſlatâ ad regnum Kiiouiâ, ac Voliniâ, Poloniæ limites in Moſcouiam vſque pertingebant: ab his primùm comitijs mos cœpit, vt quoties legatio ad Moſcos inſtitueretur, nec Poloni ſoli, neque ſoli Lituani, eâ fungerentur. Primi itaque è Polonis Moſcouiticam legationem admiſerunt Ioannes de Krotoſzyn Palatinus Inouladienſis, & Raphael Comes de Leſzno: collegas è Lituanis habuerunt Nicolaum Taluoſſium Caſtellanum Minſcenſem, & Andream Charytonowicz Obrinski Notarium Lituaniæ. Præiuit Legatos Andreas Chalecki à Rege miſſus, tum vt de Legatorum aduentu ſignificaret; tum maximè, vt exploraret Iuani mentem, quâ ratione de captiuorum libera-

tione,

tione, transigi optaret? An lytri numeratione, vel mutuâ permutatione? Iuanus negotio omni ad Legatos reiecto, nihil certi Andreæ respondit. Legati nonnisi sequente anno Moscuam attigerunt. *A. 1569.*

Incredibilis à media hyeme fames extremè Lituaniam afflixit. Egentiores agrestes, non bestiarum modò extinctarum carnibus, sed hominum etiam exhumatorum cadaueribus, pascebantur. Remisit malum cum hyeme. Eodem anno, hortatu Cardinalis Hosij, à Valeriano Protaszewicz Suszkowski Vilnensi Antistite, ad sistendos incredibiles variarum in religione sectarum progressus, Societatis Iesu Sacerdotes Vilnam sunt introducti. Miris artibus obsistebat Hæresis: sed constantia Antistitis, Regis Sigismundi Augusti diplomate atque auctoritate fulta, perfregit vniuersa obstacula. Ad Basilicam D. Ioannis Vilnæ Collegium, Latinarum Græcarumque literarum Magistris, erexit dotauitque; apertoque Lituanæ iuuentuti publico gymnasio, fundamenta prima celebris Academiæ iecit. *A. 1570. Collegium Vilnæ Societatis Iesu erigitur.*

Legati in Moscouia haud multùm suâ industriâ profecerunt. Remissi, vt cum Proceribus Moscis de pace agerent, conati sunt inprimis Iuanum, non modò suo Regi conciliare; sed etiam Ioanni Sueco, qui non pridem Augusti sororem Catharinam in matrimonium duxerat. Responderunt Mosci, nihil suo Principi belli hactenus fuisse cum Suecis: cum Augusto Rege ob solam Liuoniam non conuenire. Cæterùm non deesse illi animum stabiliendæ pacis, si æqua, & postularentur & admit- *Legatorũ in Moscouia progressus.*

A. 1570. admitterentur. Erecti his verbis ad aliquam ſpem Legati, de conditionibus ſermonem ſunt orſi. Tum verò Moſci, veteres concertationes reſumere: horrere, ad omnem reſtitutionis mentionem: Ruſſiam vniuerſam repetere. Itaque Legati ad Magnum Ducem redeunt: explicant, quàm æqua Regis nomine proponerent: petunt vt ijs contentus, iuberet ſuos de pertinaciâ remittere. Ad hæc Dux. Expenderent potiùs mandata regia rectè, & diſpicerent, an integrum per ea eſſet, pacem perpetuam ſancire legibus, quas à ſuis Proceribus audiuiſſent. Si eæ non probarentur, ne deinceps vanis legationibus aures obtundendo, animum magis irritarent. Negantibus Legatis, poſſe in ea ſe conſentire, quæ commiſſam facultatem excederent, de inducijs breuibus ſermo illatus eſt. Iuanus ipſe quinquennales obtruſit, legatis annuas concedentibus: tandem in triennales conuenerunt. De captiuis nihil ferè actum: niſi quòd proceres Moſci repetendo imaginem B. V. M. Thomam Mackiewicz cum quinquaginta captiuitatis ſocijs, pro ea promiſerint. Celebris illa, antiquitate, & cæleſtibus beneficijs, per Moſcouiam habebatur, ab Helena Regina, inde euecta, atque poſt eius mortem in præcipuo Ruſſorum Deiparæ templo collocatâ: noſtrâ ætate ad ædem Sanctiſſimæ Trinitatis magnâ populi religione colebatur. Verùm ea res, vti mandatis regijs minimè comprehenſa, ad Regem eſt dilata. Multa, quo tempore Moſcuæ ſunt morati, planè barbara paſſi legati, diu detenti, ac propè violati, vix altero anno in Lituaniam reuerterunt.

Induciæ triennales cũ Moſcis.

Qqq 2 Secuti

Secuti eos, confirmandarum induciarum causâ, Moscorum Legati, in itinere collegam, Ducem Kambarouium, morbo absumptum amiserunt. E Lituanis quoque Proceribus, Romanus Dux Sanguszko Imperator fortis æquè ac fortunatus, velut cessante per inducias bello, rude donandus, è viuis IV. Id. Maij abijt. Circa idem tempus Perecopenses seu Crimæi Scythæ, omni ferè Moscouiâ peruastatâ, ipsam regiam aggressi, Moscuam vrbem cum extima arce, igni ac ferro funditùs exciderunt. Interior arx Kitaigrodum, ægrè impetum hostilem sustinuit, stititque. Rex Legatis Moscorum dimissis, Varsauiæ comitia Polonorum celebrauit: vt, quæ spes ei facta Lublini fuerat, Mazouiæ cum Lituania coniungendæ, horum comitiorum auctoritate impleretur. At rogatio regia variè elusa est, præsertim Mazouiâ palam reclamante: itaque neque Rex quidquam obtinuit; & Ordines nouo exemplo ante finem comitijs more solito impositum, Varsauiâ tumultuosè abiuerunt. Tum primùm Regem sensisse, impositum sibi à plerisque, rerum Lituanarum scriptores tradunt. Dolere itaque factum esse, quod infectum nequiret fieri: in auctores consiliorum, furere: agitare animo, quibus rationibus acta Lublini rescindi possent. Tanta fuit ea animi ægritudo, vt breui in corpus quoque diffunderetur: tandem planè viribus concidere, ac confici cœpit.

A. 1571. Romanus Sāguszko moritur.

Moscouia à Scythis vastatur.

Rex cogitat rescindere vnionem Lublini constitutum.

Tikocinum in Podlachia, quo loco vehementer oblectabatur, releuandi animi morbique desiderio profectus, cùm in dies debiliorem se experiretur, Knyszinum

A. 1572.

A. 1572. num deportari voluit. Intereà nouo bello fax à Liuonibus, Ioanne Tudio & Cleto Cruzo prolata est, sparsis contra Regem & Moscouiæ Ducem probrosis, Germano idiomate, libellis: eo consilio, vt aut ipsi inter se committerentur, aut Liuonia contra vtrumque ad arma sumenda, concitaretur. Augustus itaque misso maturè Michaële Haraburda Notario Lituaniæ, apud Iuanum obuiauit, ne insanorum hominum audax facinus, inducijs fraudi esset. Actum est per eundem Legatum cum Iuano, vt captiui omnes vtrinque liberi dimitterentur, & Polocensium in Vitepscenses agros iniuriæ compescerentur. Pronum se ad omnia exhibuit Iuanus, hortatusque est Regem per literas, vt maiores Legatos conficiendæ pacis causâ, ac præsertim Eustachium Wollowicz & Michaëlem Haraburda, quàm primùm mitteret. Proceres quoque spem fecerunt fore, vt perpetuæ pacis studio non grauatè Magnus Dux Polociâ, ac Curlandiâ cedat, modò vicissim Rex sincerè ad æquas conditiones descendere velit. Necdum Moscuâ abierat Michaël, cum Scytharum Perecopensium Legati, ex superioris anni successibus, fastu pleni venerunt, tributum ab Iuano velut victores exacturi. At Iuanus, & reuocatæ cladis ignominiâ, & arrogantis legationis impudentiâ accensus; trecentos ex eorum comitatu securi percuti iussit: principes verò legationis, naribus, labijs, ac auribus ignominiosè præcisis fœdatos, ad Regulum Tauricanum remisit: adiunxit doni vice securim; minatus illâ se, vti alijs iam Moscuæ fecisset, in regia

De pace cũ Moscis agitur.

Scytharũ legati in Moscouia violãtur.

regia ipsa ceruices eius præcisurum. A. 1572.


His barbarorum dissidijs, Lituaniæ pax consistebat, Rege Augusto, atque cum eo, masculâ Iagelonis stirpe in occasum vergente. Michaël Haraburda ex Moscouia reuersus Regem in viuis adhuc deprehendit: sed internuncius Iuani, Michaëlem ex interuallo secutus, iam functum vitâ mortali reperit. Mortuus est Sigismundus Augustus vltimus Iageloniæ stirpis Princeps Knyszini XV. Kal. August. cum ætatis annum quinquagesimum iam decurreret. Fuit Princeps eruditus, nisi eruditionem superstitiosâ curiositate vitiâsset: in rebus gerendis tardus, atque ideo crastinus Rex per scomma appellatus: circa religionem negligentior; quæ potissima fuit ianua sectis in viscera huius Reipublicæ: in Regiâ, eruditos, ac inprimis facetos, libenter videbat. Facto post eius mortem de Republicâ à Senatu cõsilio, Theodorus Zienkiewicz cum literis missus est, ad Magnum Ducem Moscouiæ, ne ex morte regia turbis occasionem sumeret. Significabatur eâ epistolâ, Regem Sigismundum Augustum, iam mortalitatis debitum persoluisse: nihilominus inducias, cum superstite Republica integras subsistere; æquum proinde esse, vt eas Magnus Dux iubeat inuiolatas conseruari. Aduenturos propediem à Republica Legatos, à Rege nuper promissos, qui de perpetuis fœderibus Reipublicæ vniuersæ nomine conueniant. Respondit Senatui Iuanus. Dolere se vehementer ex morte Sigismundi Augusti Regis; sed longè magis ex Christiani sanguinis multiplicatis cladibus: quibus

Moritur Rex Augustus.

A.1572. quibus Mahumetanum ferrum per Christiana regna barbarè, effuséque grassaretur. Optare igitur vnicè, ne Scytharum opes crescant ex Christianorum discordijs: atque ideo aduentum Legatorum, cum quibus de pace transigat auidè expectare. Circa fines Lituaniæ nihil se omnino hostile tentaturum: at non posse fieri, vt intereà pacatam Liuoniam relinquat. Si pacem Lituania sincerè cuperet; Liuoniæ curam abdicaret: se Polociâ eiusdem causâ, cessurum. Primùm in his literis Iuanus se *Autocratora*, seu Monarcham vniuersæ Russiæ appellare cœpit: Lituani verò, ne durante interregno nouis turbis materiam aliquam præberent, contradicendo; fastu ac falsitate tumentem titulum dissimulare ad tempus maluerunt.

Ad Maiorem Dei Opt. Max. Gloriam, Regis Regum, Reginæ cæli, & SS. Lituaniæ Custodum Angelorum ac Patronorum Honorem.

FINIS.



1.7.384

- controllo collazione;
- restauro carta (rammendo piega, imbrachettatura, sutura di strappi e lacune): carta giapponese Vang 517, veline giapponesi Vang 502,508, e 561, adese con Tylose MH300p al 6%;
- ricomposizione fascicoli;
- pressatura tra cartoni, sotto pressa a colpo;
- preparazione fogli di guardia struttura "F" in Ingres Vang 20231 e pelle uovo;
- loose guard in carta giapponese Vang 517;
- cucitura piena su 4 nervi di canapa singoli: fili di lino inglese, corde di pura canapa a 8 capi;
- preparazione piatti: cartone fibrato nel verso, cartoncino LC Fabriano; scarnitura dei cartoni a smussare gli

